UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatvs Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniæ Agrippinæ, 1603

urn:nbn:de:hbz:466:1-59574

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th. 4473.
L I
22
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

FRANCISCI ARIAS, SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

TRACTATVS TRES spirituales.

I. De Profectu spirituali.
II. De vera diffidentia suijpsius.
III. De Mortificatione sui.

OMNIBVS CHRISTIANAE PERfectionis assequendæ cupidis per quam vtiles & necessarij.

Nunc ex Italico in Latinum conuersi à R. P. Ioanne Buseo Societatis IESV Theologo.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Arnoldi Mylij Birckmanni. Anno cIↃ. IↃcIII.
Cum gratia & priuil. Sac. Cæs. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX I. TRACTATVS DE PROFECTV SPIRITVALI.

CAP. 1. Declaratur, quàm gratus sit DEo homo profectus spiritualis studiosus.

2. De testimonijs quibus Deus declarauit sibi gratum esse studiũ proficiendi.

3. Quantum Ecclesiæ Dei prosint homines pij in virtute proficientes.

4. Quam vtile & necessarium sit omnibus Dei seruis, pro dono cuiq; communicato in cursu virtutis proficere.

5. Quam salutare & necessarium sit in virtute proficere ad cauendum periculum tepiditatis.

6. Curam proficiendi conuenire non solùm incipientibus, sed etiam proficientibus & perfectis.

7. Quam necessaria & salutaris sit doctrina de progressu indies faciendo in vita piè sanctè q; inchoata.

8. De fructu spirituali, quem haurire possunt incipientes ex hac doctrina de profectu spirituali.

INDEX

II. TRACTATVS DE VERA DIFFIDENTIA suiipsius.

Cap. 1. Declaratur, quantopere profectum spiritualem impediat homo suis viribus fidens, & quæ mala inde pullulent.

2. Vitio confidentiæ fieri vt pia desideria, bonaq; opera nobis pereant.

3. Vitio confidentiæ nimiæ hominem vinci à tentationibus.

4. Id confirmatur S. Euangelij testimonio.

5. Quomodo per inordinatam confidentiam homo actionum humanarum fructu spolietur.

6. De primo medio, quo acquiritur sancta suipsius diffidentia.

7. De operibus diuinæ gratiæ, & quatenus à Deo promanent.

8. Quod ex doctrina iam tradita hauriendæ sit humilitas, qua nobis ipsis diffidamus.

9. Humilitatis & propriæ diffidentiæ fructum capiendum ex consideratione suiis;

ne finis, ob quem DEus omnia opera sua facit.
10. Vanas fuisse virtutes sapientũ mundi, eo quod vera agnitione sui destituti fuerint.
11. De secundo medio, quo acquiritur suipsius diffidentia.
12. Notitiam experimentalem de cognitione sui capi ex propria imbecillitate.
13. De tertio medio, quo acquiritur sui diffidentia.
14. Quanti faciendum sit donum diffidentiæ sui, & quam studiosè à DEo petendum
15. Quibus notis & signis homo humilis, sinis, & diffidentiæ suæ agnoscatur.
16. De aliis signis per exempla Sanctorum declaratis.
17. Quaratione diffidens sibi possit fiduciam collocare in operibus bonis, & intercessione Sanctorum.

INDEX III. TRACTATVS DE MORTIFICATIONE, EIVSQVE FRVCTV.

PARS PRIMA.

In qua agitur de fine quem mortificationis studiosus proposítum habere debet. deinde mortificationis vtilitatibus.

CAP. 1. *Quid sit mortificatio, & quis dicatur homo mortificatus.*

2. *De nominibus variis, quibus in sacris litteris commendatur.*

3. *Quam gratum sit Deo mortificationis exercitium.*

4. *Esse Deo gratam mortificationem etiam in rebus paruis.*

5. *Quod mortificationis exercitio imitemur Christum.*

6 *Quod mortificatio corruptioni naturæ humanæ sit data loco antidoti.*

7. *Quod beneficio mortificationis magna parte naturæ corruptelam sanare possimus.*

8. *Exemplis ostenditur naturam corruptam per mortificationem reparari.*

9. Rur

9 Rursum aliis exemplis idē cōfirmatur.
10 Non sanari naturæ corruptelam beneficio mortificationis nisi in fidelibus.
11 Exemplis id declaratur.
12 Quod homo beneficio mortificationis satisfaciat propeccatis, & à promeritis pœnis liberetur.
13 Beneficio mortificationis orationes nostras reddi efficaciores ad impetrā-da Dei munera.
14 Mortificatione obtineri puritatem, lumenq; internum res diuinas contemplandi.
15 Mortificatione item internā pacē, & solatiū spirituale animæ suppeditari.
16 Mortificationis ope omnes tētationes vinci, peccata futura impediri, & gratiam conseruari.
17 Mortificationis exemplo multos ædificari, & ad bona opera commoueri.

PARS SECVNDA.

Quibus in rebus homo se debeat mortificare.

CAp. 1. Declaratur Qualis sit amor proprius, qui à nobis mortificandus est, & qui sint eius effectus.
2 Quomodo amor proprius, cum affectibus ex

bus ex eo ortis sit mortificandus.
3. Quid sit propria voluntas, & vt sit mortificanda
4 Quomodo mortificãda sint inordinatæ voluntatis affectiones, vt curiositas, vimiaq; familiaritas, & id genus alia.
5. Exercitium mortificãdi propriam voluntatem quam sit vtile.
6. De inordinatione propriæ voluntatis circa honores coercenda.
7 Quemadmodum honorum cupiditas in nobis mortificanda sit
8 Sanctorum exemplis confirmatur cupiditatem honorum refrænandam.
9 Sanctorum exemplis declarantur media quibus respuendi honores & laudes, qui alicui deferuntur ratione eruditionis vel doni prædicandi.
10. Quam necessaria sit mortificatio intellectus, propriiq; iudicij.
11. Quibus medijs proprium iudicium mortificandum sit.
12 De mortificatione passionum partis sensitiuæ, & quæ earum natura.
13 Quibus modis mortificandæ sint huiusmodi passiones.
14. De mortificatione sensuũ externorũ.

15. De

15. De mortificando visu, in spectandis ludis, tripudijs, & alijs rebus vanis.
16. De eodem mortificando in spectandis rebus curiosis & imaginib inutilib.
17 De eodem mortificando, quoad visiones & apparitiones, ne facile eis fides præstetur.
18. De mortificando sensu auditus.
19 De mortificatione Odoratus.
20. De mortificando gustu quoad lautitiem edulsorum.
21. De eodem mortificando quoad ciborum quantitatem.
22 De mortificatione eiusdem quoad finem in cibo sumendo propositum.
23. Quibus medijs mortificanda sit inordinatio gustus.
24. De mortificando gustu in potu, maximè vini.
25. De mortificatione sensus tactus.
26. De varijs mortificationum modis, quos Sancti ad mortificãdum sensum tactus usurpárunt.
27. De mortificatione Linguæ.
28. De mortificanda lingua, quoad detractiones.
29. De mortificando abusu detegendi arcana.

30. De alijs linguæ abusibus, vt mendaciorum, & fictionum corrigendis & mortificandis.
31. Quomodo mortificanda sit cupiditas contendendi & rixandi.
32. De mortificatione linguæ, quoad verba otiosa.
33. Quibus medijs mortificandi sint linguæ abusus.

PARS TERTIA.

Qua discretione debeat exerceri mortificatio, & quibus rebus impediatur.

CAP. 1. Declaratur, quæ discretio tenenda sit in mortificationis externæ exercitio ad comparandam veram animi puritatem.
2. Quæ fraudes beneficio dictæ discretionis auertantur in exercitio mortificationis.
3. Qua moderatione mortificatio instituenda sit, vt nec vitæ, nec virib. corporis ad diuinum seruitium præstandum necessarijs obsit.
4. Sic instituendam mortificationem, vt opera præstantiora non impediantur: & qua discretione in hac re imitandi sancti.

5. Qui-

INDEX

5. Quibus rebus impediri soleat studium mortificationis, ac primò quidem doctrina quorundam parum salutari.
6. Nimia sanitatis conseruandæ cura idem studium impediri.
7. Impediri studium mortificationis sanctorum quorundam exemplis perperam intellectis.
8 Quomodo facta quædam Sanctorum, quibus vel mysterium inest, vel Dei peculiari instinctu contigêre, intelligenda sint.
9 De medijs, quibus vinci potest difficultas, quæ est in exercitio mortificationis.
10. De alijs medijs.
11. De eodem argumento.
12. Epilogus, & anacephaleosis totius materiæ, de mortificationis fructibus, & quanta sit hominis mortificati felicitas.

TRAC-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TRACTATVS DE PROFECTV SPIRITVALI.

PRAEFATIO.

VT intelligatur, quàm necessarium, quantiq; momenti sit, eos qui semel veræ pietatis exercitationi se dederunt, rectè informari, quemadmodum semel inchoatam piè viuendi rationem constanter persequantur, progressumque indies in diuino seruitio faciant, ac media in eundem finem necessaria & salutaria vsurpent: principio declarandum est, quàm gratus sit Deo huiusmodi progressus, quantumque commodorum tam spiritualium quàm temporalium in Ecclesiam Christi, & Rempublicam Christianam inuehere possit, ob ingentem cœlestium beneficiorum copiam, qua Deus tales remunerari & locupletare solet.

CAPVT

CAPVT I.

QVAM GRATVS SIT DEO homo profectu spiritualis studij sui.

CERTVM est quemuis hominem iustum, hoc est, gratia diuina præditum, quocũq; tandem in gradu gratiæ sit cõstitutus, coram Deo esse admodum gratum & acceptum. Verùm si collatio inter iustos instituatur, magnum intercedit discrimẽ: nec enim obscurum est eos qui diligentes, feruentesque sunt, & in dies conantur in cursu pietatis progressum facere, eaq; opera imprimis exercere, quæ Deo norunt gratissima, maiore loco, gratioresque esse apud Deum, quam sint alij multi, licet iusti, qui de profectu parum solliciti, id tãtum cauent, ne lethali aliquo lapsu diuinam maiestatem offendant. Similitudine res fiet clarior. Sit Dominus, cui famuli sint quinquaginta, mãdat omnib. vt ad quotidiana ministeria domi foris q; sint prompti, exeunte comitentur, nihil alienum surripiant, imperata in omnibus faciant: Sed hac adiecta cautione, vt si quis notabile furtũ fecerit, si in negotijs magni momenti

menti ipsū, vel alios graues viros fraudarit, si seruorum aliquem vulnerarit vel pulsarit, norit se vel capite noxam luiturū, vel in perpetuas triremes compingendū: Sin in leuiorib. tātum deliquerit, etiamsi sibi ea ne bilem cōmouisset, vel molestiā aliquam procreasset, non ideò aut vita priuandum, aut domo seruitioq; abigendum, sed leuiori pœna multandum, vt relegatione in duos tresue menses, vel stipendij cōsueti imminutione. Ex his igitur famulis, quadraginta nouē veriti, ne discrimē vitæ incurrant, aut ædibus exturbentur, aut gratia & beneuolentia Domini excidāt, multa quidē clāsurripiunt, sed parui pretij; crebro mendaciolis, alijsq; fraudibus Dominum circūueniūt, sed leuioribus à mutuis verberib. & pugnis quidē abstinēt, sed nō à clamorib. & rixis: Vnus verò tantum famulus est, qui studio ductus Domino placendi in omnibus, nihil omittit quod Dominū offendere possit, ne minimā quidē rē alienā in suū vsum cōuertit, nullo mēdacio fallit, mādata sedulò præstat, etsi tarditate aliquādo delinquat, mox vbi sese collegerit, lapsū corri-

delictum labatur, extemplo dolet & resipiscit. Aurem quoq; diuinis inspirationibus, quibus Deus voluntatē suā patefacere solet, prębet, eisque obsequi conatur. Et quoniam in magno pretio habet eiusdem consilia, multa quoque ex illis obseruat. Adhæc crebris misericordiæ, humilitatis, pęnitentiæq; operib. quæ scit deo esse pergrata, licet nulla lege imperata fuerūt, libentissimè se exercet, vt tanto amplius diuinæ maiestatis beneuolentiam sibi conciliet.

Ex his seruis ingentem Deus in Ecclesia sua numerum habet, sed alios aliis sanctiores & prouectiores: qui oculos diuinitatis suæ conuertens in id q̄ ratio, lexq; ęterna postulat, hunc seruū diligentem & proficiendi desiderio flagrantem pluris æstimat, quam magnū numerum lentorum & tepidorū, maioremq; ex huius vnius, quam ceterorū omniū officijs & ministerijs, capit voluptatē. Nec mirū. Sæpenumero siquidē contingit vnū aliquē dei seruū fructus spiritualis cupidū, velut quotidie maiorē semper accessionē facit ad gratiā & amorē Dei, ita plus gratiæ cōsequiā Deo, q̄ alios quamplurimos, qui

nulla

nulla cogitatione de quotidian o fr ctu ſuſcepta, languidè Deo ſeruiunt. In hãc ſententiã B Greg. alijque ſancti exponũt illud dictũ CHRISTI. *Maius gaudiũ eſſe in cœlo ſuper vno peccatore panitentiã agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent panitentia.* Volunt. n. illũd intelligi, non de quolibet peccatore pœnitentiã agente, ſed de eo qui intimo animi ſenſu anteactę vitę errata deplorat, & magno feruore nouã vitæ rationẽ eſt ingreſſus. Quod ſi de quouis peccatore, quæ multorũ eſt opinio, intelligatur, tũc nomine *maioris gaudij*, accipi nõ debet gaudiũ eſſẽtiale vel principale, ꝙ naſcitur ex æſtimatione & amore rei de qua gaudem⁹. (Sic enim Deo angelisq; maius gaudiũ eſſet de iuſto maiori gratia prædito, quam de peccatore pœnitẽtiam agente,) ſed accipi debet gaudium nouum & accidentale, quod naſci ſolet ex recuperatione rei amiſſæ. Si vero hoc dictũ exponamus cũ B. Greg. & alijs de peccatore ꝙ deſerto peccãdi ſtatu, magno feruore Chriſtianã pietatẽ colit, tũc collatio inſtitui debet, nõ cũ quocũq; iuſto, ſed cũ ijs ꝙ languidè & negligẽter

Greg. hom. 34. in Euang. Beda in Luc. 15. Bonau. ib. S. Tho. & Caiet.

Deo

Deo seruiunt: vt dicto Christi hæc sub iecta sit sententia. Apud Deum meliore loco esse seruum, sedulo & feruenter officio suo fungentem, etiamsi paulo ante grauibus obstrictus fuerit peccatis, quam nonaginta nouem iustos, lentè & frigidè saluti suæ studentes.

ID declarat S. Gregorius his verbis consideratione dignis. *Considerãdum*, inquit, *nobis est fratres mei, cur Dominus plus de conuersis peccatoribus, quã de stantibus iustis gaudium esse fateatur. Vnde hoc, nisi quod ipsi per quotidianum visionis experimentum nouimus, quia plerunque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt: stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam anxiè non anhelant, tantoq; sibi in rebus licitis vsum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumq; pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala grauiora. At contra, nõnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso dolore suo compuncti inardescũt in amore Dei, seseq́ue in magnis virtutibus exercent:*

cuius

cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagrant desiderio, ad cælestem patriam anhelant: & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo de peccatore conuerso, quàm de stante iusto gaudium fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quam eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit. Sed inter hæc sciendum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vita tantum est gaudium, vt eis qualibet peccatorum pœnitentia proponi nullatenus possit. Nam multi & nullorũ sibi malorum sunt conscij, & tamen in tanti ardoris afflictione se exercent, ac si à peccatis omnibus coangustentur. Cuncta etiã licita respuunt, ad despectũ mundi sublimiter accinguntur, licere sibi nolunt omne quod libet. Bona sibi amputant, etiam

tiam concessa, contemnunt visibilia, invisibilib. accenduntur, lamētis gaudēt. In cunctis seipsos humiliant, & sicut nō nulli peccata operum, sic ipsi cogitationū peccata deplorant. Quid itaq; istos dixerim, nisi iustos & pœnitentes, qui se & in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti semper in opere perseverāt. Hinc ergò colligendum est, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iustus: si facit in cælo gaudium, quando hoc quod malè gessit, per pœnitentiam damnat in iustus. Hæc omnia Gregorius.

Quibus verbis, quasi cælesti face prælata, perspicuè declarat magno in pretio apud Deum esse, qui cum sollicitudine fructum spiritualem colligēdi illi seruiunt, eiq; plurimum arridere studium & feruorē, quo conantur in virtute progressum facere. Deinde eosdē, quantūuis recenter è grauiū peccatorū sentina emerserint, & initiū tantū seruiendi Deo fecerint, cariores Deo esse, multis iustis tepidis, & sui profectus nullā curā habentib. Quod autem ait, nullā peccatorum pœnitētiam antepo nendam vitæ iustorum feruentiū, ve

rissimum

rissimũ est secundũ legẽ ordinariã. Dici verò non potest, quãtũ valeat huius doctrinæ cognitio, ad faciendũ in cursu veræ pietatis processum. Quis enim si vel scintillã amoris vnicam in se habeat, non optet Deo afferre voluptatẽ, quã ille maximã capit ex feruore & studio proficiẽdi nostro? Eius siquidẽ cib. lautissimus est, teste S. Bern *pasci inter lilia*, vt est in Cãticis, hoc est, candore & odore virtutũ delectari: pasci escis, quibus libẽter vescitur, profectib. nostris. *Cant. 2. Bern. serm. 71.*

Si ergo profectu nostro tãtoperè oblectamus diuinam maiestatem, tamq; gratũ illi opus præstamus, nõ est quod vel excellentius aliquod bonum exoptemus, vel ad maiorẽ gloriam aspiremus. Tantũ enim bonum est, placere Deo, vt meritò S. Chrys. scribat in hæc verba. *Si*, inquiens, *omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, aliam ne require mercedem, præter hoc ipsum, quod placere meruisti. Si enim requiris mercedem, verè ignoras quantum boni sit placere Deo: Si enim scires, nũquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expeteres* Quib. verbis non dehortatur nos ab expectanda bonorum *Chrys. lib. 2. de compunct. cordis.*

bonorum operum mercede: nam & illam expectare expetereque licet, modo id imprimis propositum in animo habeamus, vt Deo placeamus: sed tantum id indicare voluit, idque verissimè, tam excellens bonum esse, placere Deo, vt si alia nulla suppeterent, non magnoperè ea requirere debeamus.

CAPVT II.

DE TESTIMONIIS QVIBVS *Deus declarauit sibi gratum esse studium in virtute proficiendi.*

QVANDO homo auctoritate & sapientia præstãs crebrius, & magna contentione quippiam ab amicis suis petit, non obscurè indicat se magno studio illius rei consequẽdæ teneri, gratissimumq; futurum si postulata concesserint. Sic Dominus Deus, vt declararet quantoperè optaret nos magnos progressus facere in cursu virtutis, magnoque studio & diligentia iter semel ad cælestem Hierusalem susceptũ nulla mora interposita prosequi, toties à dilectis suis seruis, verbisque tanto affectu & grauitate plenis id quõ-

dam

dam postulauit. Ad Abraham enim patriarcham, cum eum è patrio solo eduxisset, dixit. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ambulare coram DEO aliud non est, quàm vitam piam sanctamq; instituere, non solùm secundũ hominẽ exteriorem, qui ab hominib. cernitur, sed etiam, idq; præcipuè, secundum interiorem, quem solus Deus intuetur: id enim est, quod B. Paulus vocat, *Spiritu ambulare.* Postulat Deus ab Abraham, vt sanctè religioseq; viuat, scilicet eo studio & industria adhibita, vt semper magis magisque proficiat, donec in perfectum Heroa euadat. Quod verò in veteri testamẽto DEVS exegit ab Abraham, idem ab omnibus fidelibus, verisque Euangelij seruis exigit in nouo dicens: *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Quorum verborum hic sensus est. Contẽdite ad perfectionẽ charitatis, omniumque virtutum, vt tanquam filij imitemini Patrem vestrum cęlestem: idque non alio modo, quam quo potest creatura imitari quadantenus suum Creatorem.

Gen. 17.

Gal. 5 & 6.

Matth. 5.

Hoc vehemens de nostro in virtute pro-

profectu desiderium impressit Deus cordi B. Pauli Apostoli, qui tanquã cęleste quoddam Dei organum sic locutus est ad Colossenses: *Ex ea die, qua audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra carissimo conseruo nostro, qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu, non cessamus pro vobis orantes & postulãtes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia DEI, in omni virtute cõfortati secundũ potentiam claritatis eius in omni patientia & longanimitate cum gaudio.*

Coloss. 1.

Idem desiderium patefecit DEVS illa voce cælitus à S. Ioanne audita. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.* Luculẽtum quidem hoc testimoniũ est, quo Deus perspicuè declarat, sibi placere, vt ne serui sui languidè iter cæleste prosequãtur, sed in dies progrediantur longius, & in virtute proficiant, quandoquidem sua diuina & immensa maiestas dignata est reipsa tam sigillatim hoc desi-

Apoc. 22.

desiderium suum nobis detegere.

Non parvum quoque momentum habet ad stabiliẽdam hanc veritatem, perpendere, quanti DEVS eiusmodi seruos suos faciat, quanto in pretio & honore habeat, vt si alij omnes qui trepidè & negligenter officium hominis Christiani præstant, cũ his cõferantur, minimo vel potius nullo apud Deum loco esse videantur. Quamuis enim certum sit Deũ Opt. maximũ tam singulari, suaui ac prorsus paterna ac pia cura fouere omnes fideles gratiæ suæ non expertes, vt nullam in tota hac vniuersitate, nisi erga istos prouidentiam exercere, salutem illorum tantùm promouere videatur, tamen erga eos fideles, qui feruẽtes sunt in diuino cultu & quotidie accessionem aliquã facere ad priores virtutes conantur, tot tãtáq; prouidentiæ, intimiq; amoris argumẽta præbit, varijs spiritus donis eos ornando, ab impendentibus tentationibus tuendo, precesque eorum & desideria exaudiendo, vt veri & germani eius filij & dilectissimi amici esse præteris existimari queant. Id verissimum est, quamuis omnis qui in

gratia dei degunt sint amici & filij Dei tamen hos speciales, atque imprimis percaros esse eiusdem filios & amicos.

Confirmemus rē paucis exemplis. Dubium non est in de ab Abrahæ temporibus vsque ad Moysen, hoc est, trecentis eoque amplius annis quamplurimos homines toto orbe terrarum, ac imprimis inter filios Israhel in gratia Dei vixisse, & diem extremum clausisse: & tamen Deus perinde, atq; si illorū omnium oblitus esset; trium tantum, qui sibi charissimi fuissēt, nomina Moysi prodidit. Nam cum ei apparuisset in deserto dixit se appellari Deum Abraham, Deum Isaac & Deum Jacob iussitque eo nomine se apud populum Israhel vocari, hoc nomen sibi fore perpetuum, eodemq; omnibus retro sæculis nuncupandum. Sicut enim Reges & Principes magni huius mundi nomenclaturam sibi assumunt ab vrbibus quas maximè charas in toto regno habent: Sic DEus nomini suo inseri maximè voluit eorum nomina, quos dum viuerent, singulari præ cæteris in filis amore & tutela prosecutus fuisset, atque

Exo. 3.

laq; dum appellauit se speciatim Deum Abrahæ, Deum Isaac, & Deum Iacob, palam mundo declarauit, præstantes illos & sanctos viros magno loco semper apud se fuisse, eorum singularem curam habuisse, multis beneficijs & donis locupletasse, ac denique promissioni semel illis factæ, eorumq; posteris, satisfacturum esse.

Verum & declarauit hac nomenclatura se vnumquemque illorum triũ in magno pretio habuisse: nec enim nominauit se Deum omnium trium simul, Abrahæ, Isaac, & Iacob, sed particulatim Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob. Nec solum hoc nomen in deserto patefecit Moysi, sed & voluit illud in toto populo Israhitico, imò in toto mundo vsurpari in orationibus alijsque diuinis laudibus, vt perpetua apud omnes memoria exstaret se Abraham, Isaac & Iacob pro singularibus suis seruis & amicis habere. Quod autem Deus illos tres tam honorifica appellatione alijs hominibus pijs prætulerit, non alia causa fuit, quã quod illo sæculo præ alijs in virtutum studio progressum fecerint, perfectius-

que diuinam voluntatem zelãdo pro gloria Dei, præstiterint.

Moysis æuo certum est multos homines pios, Deoque gratos fuisse: si enim in discessu ex Ægypto tam numerosus erat populus, vt sexcenta millia eorum essent, qui vigesimum ætatis annum superârant, præter fœminas omnis ætatis, & iuuenes qui vigesimũ non attigerant, atq; etiã præter Ægyptios, qui deserto idolorum cultu populo Dei se aggregârãt; sic vt scriptura appellet vulgus innumerabile: dubitandum non est in tanta fidelium multitudine, quæ legem Dei, eiusq; Sacramenta venerabatur, ac oculis suis miranda Dei opera propter ipsos patrata spectârat, copiosissimũ numerũ adultorũ in vtroq; sexu extitisse, qui immunes essent à lethali peccato, & in gratia Dei viuerent. Et tamen videmus solum Moysen, quia perfecta virtute præditus erat, cauebatque non solum grauibus, sed etiam leuibus lapsibus diuinam maiestatem offendere, atq; in his pietatis operibus sese exercere, quæ nõ erat Deo esse gratissima, vt in contume-

Auctor catenæ in Exo. cap. 3.

Dio. Cart. ibid.

Exo 12.

lijs & iniuriis populi fortiter tolerandis, in caritate quoque ardenti omnibus æquè inimicis atque amicis deferenda: videmus inquam, eum omnibus s alijs sanctis & pijs fidelibus à Deo ob hæc elogia prælatum. Nam cum aliquando decreuisset totum populum ob scelera admissa funditus delere, nullo habito ad innoxios, qui in illo supererant, respectu, vel quia per ætatem ad peccandum impotentes essent, vel quia peccato cæterorum non consensissent, ob solum Moysen à cæde abstinuit, eique soli dixit. Dimitte me, vt ira mea in populū desæuiat. Quid, quæso Domine, retardat te, quo minus omnes è medio tollas! num tot innocentum turba, quę nunquam deliquit? nū Leuitæ tuæ gloriæ tuendæ studio flagrantes? Non certè, sed vnus Moyses omnipotentiæ tuæ manus cohibet, tuæq; iustitiæ furorem, ne omnes disperda, auertit. O quātum placet Deo, videre seruos suos in dies magnum in virtute facientes progressum? si tanti facit eos, qui ad veræ pietatis culmē peruenerunt.

ELIAE quoque tempore multi supererant serui Dei, quos Deus in media impiorum turba beneficio gratiæ suæ immunes ab omni scelere seruârat, vt indicat diuina scriptura: & tamen vnũ ex omnibus Eliam tanti fecit, vt dederit illi potestatem in tempora & nubes, ne imbres dimitteret in terram, ad castigandam hominum improbitatem, & rursum vt sua oratione, quando vellet, pluuiam de cælo quasi euocaret. Quia enim excellenti virtute præditus erat, idcircò pluris illum Deus fecisse videtur, quàm reliquos omnes iustos.

3 Reg. 18. 17. 18.

Rom. 11. Anſel ibid. lae 5.

Quo verò tempore Dauid & Salomon imperabant, tantaque accessio facta erat ad populi Iudaici multitudinẽ, vt Salomon ipse loquens cum Deo testatus sit factã innumerabilem quasi puluerem terræ, non potuit non maxima suppetere fidelium copia, qui gratiæ diuinæ compotes essent, & in numero iustorum. Et tamen quia vnus rex Dauid ad fastigium perfectionis peruenerat, voluntati diuinæ sedulò paruerat, magno zelo amplificãdæ Dei gloriæ exarserat, lapsus suos, licet graues, voluntarijs pœnis deleue-

rat,

rat, gratiamque amissam recuperârat, DEus omnib reliquis suis seruis posthabitis, Salomoni, quem vna cum populo ob patrata scelera de medio tollere decreuerat, dixit: *Disrumpens scindã regnũ tuum & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud. Nec totum regnũ auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Hierusalem, quam elegi.* Similiter Ezechiã regem infirmum mortiq; proximum per Isaiam prophetã Dominus sic allocutus est, *Ecce sanaui te, die tertio ascẽdes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos? sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* 3. Reg 11. 4 Reg 20.

Quis poterit dignè exprimere horũ testimoniorum mysteria? hoc est, quãto in pretio sit apud Deum homo virtute præstans, peccatorum hostis, bonorum operum ardens sectator, patiens iniuriarum, charitate in proximum flagrans, & magnus diuinæ gloriæ amplificator? Tanto enim honore eiusmodi

modi hominem prosequitur, vt etiam in communionem nominis sui illum admittat, vocãdo se Deum illius: ac ne vlla re eum contristet, etiã integro parcit regno, precibusq; eius quasi victus legi naturæ se subijcit, vt in creaturis suis fiat, quicquid illi placuerit. Denique propter illũ solũ facit, quod nõ faceret propter multos iustos, qui imperfectè ei seruiũt: cũq; ipse infinita æternaq; sit præditus maiestate, homo vero creatura è nihilo, tamen ob solam hominis voluntatem dignatur se quodammodo exæquare creaturæ, dicens: *Protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.*

CAPVT III.

QVANTVM PROSINT ECCLESIÆ Catholicæ serui Dei, qui in virtute proficiunt.

ETsi iusti omnes, & serui Dei quot quot gratia diuina nõ excidunt toti mystico Ecclesiæ corpori plurimum prosint, vtpote qui partim precibus suis, partim operib. bonis à Deo singularia dona & beneficia impetrãt, quibus & peccatores conuertuntur, & iusti conseruãtur longè tamẽ amplius

prosunt

prosūt in virtute perfecti: iusti, n. omnes licet sint viua Ecclesiæ membra, & filij lucis, hi tamen sunt veluti oculi in corpore humano, & quasi stellæ quædam in firmamento, imò velut Sol & Luna, qui sunt instar quorundā oculorum vel lampadū totius vniuersitatis. Dan. 12.

Sic eos appellat diuina scriptura multis in locis: Nam B Paulus in epistola ad Philipp. *Sitis*, inquit, *in medio nationis praua & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* Phil. 2. Et Christus Dominus declarauit in Apocal. B. oanni Euangelistę, stellas quas manu dextra gerebat esse Prælatos & Magistros sanctos, quos ibi vocat Angelos Ecclesiæ Hi enim tanquam Heroes excellēti virtute prædīti, doctrina sua, & imprimis exemplis vehementer excitant, accenduntque alios ad amorē virtutū, sic prorsus, vt vnus ex ijs solus sufficiat ad conuertendum integrū regnum, illudq; in timore Dei cōseruādum. Quò non pertingunt suo exēplo tepidi, quāuis n operā dent, ne animā lethali labe inquinēt, tamē qa nulla cura tangūtur cauēdorū leuiū, nec in operib. caritatis & pænitētię frequētandis sunt seduli, Apoc. 1.

paucos ad amorẽ Dei prouocãt. Nã ad conuertendos vel erigendos eos, qui in crimen mortale lapsi sunt, ordinariè opus est exemplo admodum potenti & efficaci: ad accendendos verò languidos exemplo raro & notabili: quod quia præbent imprimis homines in virtute perfecti, idcircò tantoperè permouent proximum, & Deus eis tanquam instrumentis ad excellentia opera præstanda vtitur.

Greg lib 2. mor c 7

Vnde B Gregorius. *Ad renouandum spiritum mentis nostræ, valdè, inquit, exempla Patrum adiuuãt. Si enim sanctorum opera inspicimus, illa contempla nos succendunt, & cor nostrum terpore non cõstringitur, dum imitatione prouocatur.* Illustre huius doctrinæ testimonium præbet sacra Iudicum historia, quæ refert mortuo Moysi & Iosue filios Israhel per multis annis perstitisse in vero Dei cultu, sed demũ dimisisse Dominum Deum Patrum suorũ qui eduxerat eos de terra Ægypti. Causam verò huius rei commemorat fuisse quod quãdiu in populo superstites fuissent aliqui de senioribus gloriæ diuinæ amplificãdæ studiosi, quique oculis suis miranda Dei opera spe-

Iud. 2.

ctarant,

clárant, populum in timore Dei eorũ doctrina & exemplo fuisse conseruatum: quãdo verò illi è viuis excesserũt, nec pari virtute ornati succederent alij, à veteri religione & pietate degenerasse. Eòdem pertinet, quod diuina scriptura recenset in quarto Regum, de rege Ioa, qui primis annis regni sui, quod in quadragesimum vsque annum tenuit, piè regnauit, suoque exemplo totum populum in vero Dei cultu continuit. Causam autem huius rei tribuit sancto Pontifici Ioadæ, qui primis illis annis doctrina sua & zelo non passus est regem à via recta deflectere. Nam eo mortuo Rex subito præuaricatus est, & populum à legitimo Dei cultu abduxit. Atq; hic est admirandus fructus quem magni Dei serui efficiunt in Republica & vniuersa fidelium Ecclesia. 4. *Reg.* 12. 2. *Par.* 24.

Iusti omnes, qui in gratia Dei viuunt, licet exigua virtute præditi, sunt tamen petræ viuæ Ecclesiæ Christi, & ædificationem huius domus, & templum spirituale Dei, eiusque conseruationem, teste B. Petro, promouent. Verum homines Dei, qui in virtute pro- 1. *Pet.* 2.

fecerunt, sunt huius ædificij columnæ, quæ apud Deum illud sustentant, & conseruant, atq, vnitum tenẽt cum lapide angulari Christo Iesu capite & principe totius Ecclesiæ, vt appellatur in diuina Scriptura. eremiæ prophetæ dixit Deus: *Dedi te hodie in columnã ferream & in murum æreum.* id est, ingens robur & virtutem tibi in meo populo contuli, ad tuendum conseruandumq; bonos, & expugnandũ malos. Et S. Ioanni dixit Christus *Qui vicerit, faciam illã columnam in templo Dei mei:* ac si diceret Dabo illi virtutẽ ad sustentandum alios. Hinc liquet, quantum Ecclesiæ prosint serui Dei profectus spiritalis studiosi: Sicut enim in materiali ædificio, subtracta aliqua columna, magna pars propendet in ruinam, sic quando Ecclesiæ Dei eripiuntur serui Dei amore zeloque Dei feruidi, magna sequi solet animarum iactura: vt dum in Republica vel regno piæ consuetudines abolentur, contra verò vitia vt abusus detestãdi pullulãt, ac cũ pietate etiã vera religio in apertũ discrimen, nemine resistente, vocatur.

Ierem.1.

Apoc.3.

Atq; idcirco Deus, qui tãtoperè quæ-

rit salutem nostram, quoties peccatis populi grauiter offenditur, & à sua iustitia quasi vindictam contra illum exposcit, optat in medium prodire homines qui se iræ suæ opponãt, et manum vltricem precibus suis à populi clade auertant. Quod sæpenumerò indicauit per prophetas. Nã cum per Ezechielem grauissima scelera, quibus populus diuinæ iustitiæ furorem prouocârat, commemorasset, exponens desiderium suum, *Quæsiui*, inquit, *de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Et effudi super eos indignationẽ meã, in igne iræ meæ cõsumpsi eos.* Non loquitur hic Dominus de quouis viro iusto, neq; n. verisimile est oẽs in tam numeroso populo gratia diuina excidisse, sed de viro eximia virtute ornato, vt exponit S. Hierony. hi siquidẽ sunt, qui precum suarũ, vitæq; sanctæ vi & efficacia impetum iræ diuinæ frangunt, & velut columnæ humeris suis totum populum sustentant. Ezech. 22. *Hier. in 22. Ezech.*

Alias quoq; cũ Deus cõstituisset castigare Hierosolymitanos, & regnũ Iudę in manus Chaldæorũ tradere, vt propter scelera

scelera quibus diuinã ipsius maiestatẽ irritârant, illud euerterent, & fũditus exscinderent, sic locutus est ad Ieremiã

Ierem 5. *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & cõsiderate & quarite in platis eius, an inueniatis virum facientẽ iudicium, & quarentem fidem, & propitius ero ei.*

O quanto loco apud Deum est, quã in conspectu eius gratus homo in virtute perfectus! nam si talem aliquem etiam in medio innumerabilium improborum, qui internecionem meruerunt, conspexerit, non tamen è medio tollit, & diuinæ suæ iustitiæ manum iam in eos exertam cohibet & coercet. Vnde B. Hieronymus iure in hunc locum scribens exclamat. *Grandis amor*

Hieron in c 5. Ierem. *iustitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & responsionem DEi pro decem viris iustis Deus liberauerit ciuitatem, sed si vnum inuenerit, tam iamque peritura Ierusalem, qui faciat iudicium & quarat fidem.*

Multa huius rei exempla inuenimus in historia sanctorum Tempore B.

Bern. Iust. in eius vita. Laurentij Iustiniani Patriarchę Veneti, Deus Venetorum vrbi ob grauia scelera quæ in ea perpetrabantur, grauiter

suc

succenſuit. Precabatur pro ea dictus B. Laurentius inibi degens. Bellum exarſit inter Venetos & Mediolanenſes. Incolebat id temporis locum deſertum & horridum inſulæ Corcyræ finitimum Eremita ſanctus ſpiritu vaticinandi præditus. Hunc Venetus quidam vir primarius agens in Corcyra adijt, & percunctatus eſt, num bellum illud fæliciter ceſſurum eſſet Venetis? Cui reſpondit. Deum vehementer iratum eſſe Venetis, quod ex verbi diuini prędicatione nullum fructum colligerent: eosque iampridem inſtar Sodomæ perituros fuiſſe, niſi precibus ſui ſancti Patriarchæ furor diuinus auerſus fuiſſet. Non dubium eſt tunc temporis Venetijs multos extitiſſe probos homines mediocri virtute præditos, & tamen ſolius B Iuſtiniani, qui erat homo in virtute perfectus, Deus rationem habuiſſe videtur.

Illuſtris quoque & admodum Celebris eſt ſanctitas Simeonis ſali, cuius vitã deſcripſit Leontius Epiſcopus Neapolitanus in Concilio Niceno ſecundo citatus, velut vitæ eius auctor. Hic Simeon degens Emeſæ, & ſãctitatem vitæ ſtultis operibus cælans, multa admi

ratione digna in summum sui cõtemptum, & in salutem corporalem & spiritalẽ proximi faciebat. Nocturnũ tempus in precibus, cum multa lacrymarum profusione cõsumebat. Cum aũt aliquãdo contigisset Emesanum quendam ciuem Hierosolymã tendentẽ in solitudinem ingredi, vt ibi se Abbatis Ioannis precibus cõmendaret: Abbas olim Simeonis socius, quæsiuit vnde veniret: cumq; cognouisset venire Emesa, in hęc verba ei respondit: Miror te cũ Emesæ habeas Abbatem Simeonem, ad me hominem vilem & abiectum diuertere, nam non ego solum, sed et iã mundus totus indiget illius precibus.

O quã vtilis est Ecclesiæ animarum saluti, Rebus publicis & regnis eximia vnius hominis sanctitas, cũ videamus homines sanctos maxima diuinarum rerum notitia præditos testari quanto loco apud Deum sint huiusmodi homines, quotq; beneficijs Ecclesiam suã & omnes Respublicas propter ardentes eorum orationes, vitæq; merita afficiat. Fidelissimę huius doctrinæ testis est D. Amb. qui hactenus dicta confirmat his verbis. *Quàm beata ciuitas, quæ*

quã plurimos iustos habet, quam celebra bilitore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atq; perpetuus eius status existimatur Quam gaudeo, cum aliquos mites ac sapiẽtes diu viuere video, cum virgines castas, viduas graues aspicio lõgæuas velut quãdã in canã Ecclesiæ curiã prætendant ipso quodam vultu & specie grauitatis, quod reuereã tur quod imitentur, quo, ad omnẽ morũ gratiã colorẽtur Non enim ipsis gaudeo, eã viuẽdo multa subeãt tædia sæculi huius, sed quia prosunt pluribus. Similiter eũ aliquis huiusmodi decidit, quãuis lõga senectute, depositus afficior, quia destituitur, grex iuuenũ muro senili. Addit hos sanctos homines, tã viros, quã mulieres peccatoribus et alijs exigua virtute prędi tis constitutos esse à Deo in lege veteri quasi ciuitates refugij, in quas cũ delinquũt, se recipere possint ac tandẽ cõcludit in hæc verba. *Deniq; peritura urbis, aut malorũ imminẽtiũ, vel futura labis hoc primũ indiciũ, est si deidãt viri cõsultores, vel etiã grauiores fœminæ Hinc primã ingruẽtiũ porta aperitur malorũ.* Hucusq; S. Amb. Vnde intelligim⁹ quãti intersit Ecclesiæ Christi, si fideles qui

Amb. l. 2. de Cain & Abel. c. 3. & 4.

qui Christianæ pietati semel operam dare cæperunt, conentur in ea indies maiores facere progressus & ad omnium virtutum perfectionē contendere

CAPVT IIII.

QVAM VTILE ET NECESSARIVM sit omnibus Dei seruis prodonis à Deo cuiq; communicatis in cursu virtutis progressum facere.

QVAMVIS omnibus Dei seruis ad amplectēdum toto pectore hoc proficiendi studium satis esse deberet, quod tam gratum sit Deo, tamq; fructuosum toti Ecclesiæ: tamen quia magnoperè refert scire, quæ commoda ex eodem fonte redūdent in ipsos, breuiter exponemus, quam vtilis & salutaris sit cuiq; iusto amor & cura proficiendi; quamq; perperam sibi consulat, qui curam illam negligit. Aditer autem in via cęlesti rectè instituēdum, plurimum valet integra & plena peccatorum, & grauitatis eorum notitia, occasionum quoq; & tentationum ac laqueorum, quibus anima nostra ab inimico irretiri solet. Hoc verò beneficio or-

cio ornare solet imprimis DEVS omnes profectus spiritualis studiosos. Quamdiu enim homo in cursu pietatis languidior est, nec nisi grauibus lapsibus cauendis inuigilat, licet non ignoret, quæ sint peccata grauia, omnibusq; manifesta, tamen alia multa loco peccatorum nō habet: quædam etiam grauiora æstimat leuiora, occasiones item nonnullas ac tentationes, vnde procliuis est ruina in scelera, periculi latentis ignarus, pro nihilo ducit: denique licet lapsus quosdam sciat esse lethales & mortiferos, tamen non ponderat quātum inde exurgat damnum, quamque grandis noxa sit infinitam Dei maiestatē offendere. Vt primum verò pigritiæ laqueos diruperit, & diligenter cœperit vacare verę pietati, declinando ab omni malo, quod tale esse cognorit, bonaq; omnia, quæ grata Deo esse sciuerit, perficiendo, Deus mox oculos animæ eius aperit, luceq; admirabili collustrat, qua cernat multa quę antè non aduerterat, notetque peccata & tentationes, & præcipitia eorundem, quæ nūquam antea notârat, ac demum tantum non miratur, hominis

hominis vitā tātis obnoxiā esse pericu lis, ingenuecq; agnoscit quantā quisq; salutis suæ curā habere debeat, diuinū que in omnibus implorare auxilium.

ATQ. hoc est quod diuina scriptura his verbis significat. *Iustorum semita,* Prou. 4. *quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectum diem.* quasi diceret: sicut lumen prima diei aurora exiguū est, augescenteq; die crescit donec ad perfectionem, quā in meridie habet, peruenerit: sic vita iustorum in primis initijs lumen exiguū habet ad cognoscenda bona & mala, sed procedente tēpore cū incremento virtutum accessio nem facit ad priorem lucem, donec pertingat ad claram cognitionem æternitatis, in qua Deus clarè in suo ipsius lumine conspicietur. Hoc beneficium à Deo communicari omnibus profectus sui studiosis confitetur S. Isidorus, dum ait peccata, quæ incipientibus videntur leuia, ijs qui in virtute profecerunt videri grauia, & ideirco eos non solùm à vanis iuramentis, sed etiam à simplici mendacio abhorrere: profectiores verò non modò cauē mēdacia, sed magno studio quoq; dcfu-

Isid. l. de sum. bon c. 10.
Bonau. lib. 1. Phar. c. 31.

defugere colloquia ociosa Sic B. Isi.

VT verò maiori desiderio flagremus proficiendi in ista bonorū malorumq; notitia, quam Dominus cōmunicare solet suis dilectis, audiamus quomodo B. Augustinus alicubi depingat hominem ex peccati statu tam perfectè ad verā conuersionem morum traductū, vt omnes, qui illū antè nouerāt in admirationem rapiantur, & Deum collaudantes dicant. Qui quondam erat tā impius & sceleratus, modò quomodò DEO seruit, quā innocēs factus est Subiūgit enim, illum hominē, etiāsi à peccatis discedat, quæ cognoscit, non tamen effugere omnia peccatorum pericula & occasiones, quia eorum, sicut & multorum aliorum vitiorum scientiam nondum est consecutus, sed neq; animaduertere & notare ea posse, nisi proficiendi cupiditate teneatur: hoc enim clarius & scādala & pericula à quouis pio perspici, quò plus proficere conatur, & vbi viderit, exclamare ad DEVM. *Heu mihi, quia incolatus meus prolōgatus est.* Quod ideo clamat, quia optat liber esse à peccatis, & in numerū eorū referri, qui nec peccāt, nec āplius peccare possunt. *Aug in psal. 119. in verb. Sagittæ.*

AB

Ab hoc beneficio, quod deus confert proficientibus, manant innumera alia beneficia diuina & munera Quemadmodum enim huiusmodi serui Dei progressum faciunt in agnitione odioque peccatorum, atque etiam in lumine rerum cælestium, sic etiam maiores indies accipiunt vires ad benè agendum, Deo conatum adiuuante. Vnde fit, vt qui initio viribus spiritalibus defecti difficultatem magnam & pugnã in multarum virtutum exercitatione sentiebant, post progressum aliquem factum magnam in ijsdem expectiantur & facilitatem & dulcedinem: quod sanè non ex ipsorum operum, sed solius cordis mutatione euenit, quippe cui robur maius ad benè agendum accedit. Id affirmat propheta Isaias, cum ait: *DEVS sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumẽt pennas sicut aquilæ*

Isa. 40.

aquila, current, & nō laborabunt, ambulabunt, & non deficient.

HÆC est magna illa fortitudo, hęc cordis generositas et vigor, quem DEVS communicat in cultu veræ pietatis progredientibus: auget enim in illis rerum spiritalium gustum, bonæ conscientiæ puritatem & gaudium, in ærumnis patientiam, in verbis & exemplis efficaciam, amorem & gratiam in adiuuandis proximis, accumulat ijsdem cælestia sua dona & charismata, atque cum gratia & amore diuino cōpiosissimam notitiam mysteriorum donorumq; diuinorum. Etenim hominem iustum in seruitio diuino proficere, aliud non est, quām donis ac beneficijs è manu DEi acceptis bene uti, & gratiam aliquam pro tanta clementia & misericordia diuinæ maiestati rependere, vt hac grati animi significatione noua beneficentia nos dignos reddamus. Id significauit Dominus, cum in parabola quadam commemorat, hominem quendam nobilem conuocatis decem seruis, singulis dedisse decem minas, & dixisse: *Negotiamini, dum venio*: haud secus enim Deus fi- *Luc. 19.*

delibus suis seruis dona confert, mandatque vt ijs rectè vtantur ad salutem suam & proximorum. Deinde idem nobilis ille, qui negotiando vna mina decem minas acquisierat, iussit dari omnes minas eius, qui nihil negotiando acquisierat: sic Deus sua dona & beneficia, nouis cumulat in ijs qui benè veteribus fuerint vsi, & progressu aliquo eorũ auxilio fecerunt. Vnde & concludit totam parabolam hac admiranda sententia: *Dico vobis quia omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* quasi diceret. Quibuscunque donis & beneficijs diuinus rectè fuerit vsus, eum Deus plurimis maioribusque afficiet beneficijs: qui secus, eum ijs quæ habet, spoliabit.

CAPVT. V.

Quam salutare & necessarium sit in exercitatum studio proficere. ad cauendum periculũ & incommodum tepiditatis.

VVLGA

VVLGATA Sanctorum sententia est, non progredientes in pietatis cursu, retrogredi, & quæstus in vita spirituali factis iacturam facere. Existimant nimirum ex incuria & negligentia proficiendi mox sequi multorum bonorum operum, quæ facere tenemur, neglectum: & contrà in multa peccata, quæ cauere tenemur præcipitem lapsum, ac consequenter pristinum ardorem in vita piè sanctéq; trãsigenda paulatim excidere, & gradum fieri ad ea peccata, quibus gratia & amicitia diuina prorsus ab animo nostro depellatur. Confirmat hanc sententiam B. GREGORIVS his verbis. *Greg. Pastoral. p. 3 c. 30.*

Adhuc nonnulli sũt qui inchoata bona minimè consummãt, vt cauta circũspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendũ, sollicita intentione non crescit, etiã quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis contrarium semper descendẽtis, vim in loco nequaquã stare permittitur, quin ad ima relabitur, nisi ad superna conetur. Si ergo inchoatæ bona fortis

operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est pugnat. Hæc Gregorius. Ex quibus verbis facile intelligitur, quanti referat, seruum dei dare operam quotidiano in virtute profectui.

VERVM quam necessarium sit eidem magno studio contendere ad maiorem perfectionem, quantoque periculo retrogrediendi se exponat qui id negligit, præclarè exprimit S. BERNARDVS. *Non habemus, inquit, hic manentem ciuitatem aut ascendas necesse est, aut descendas si attentas stare, quas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Etiam alio loco ait. *Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior esse queo.* Hoc ergo vis, quod esse non potest. *Quod si Christo currente gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas; timendumq; tibi est, quod ait Dauid. Ecce qui elongant se à te Domine peribunt.* Sic Bernardus. Esto, non semper, aut gratia diuina, aut pristina bonitate destituatur

Bern. ep. 91. ad Abbates.

Idem. ep. 253. ad Garinum.

Psal 72.

tuatur, qui proficere desinit, tamen viam quasi parat ad lapsum. & quia lapsui proximus est, id circò S. Bernardus dixit eum desinere esse bonum Etsi enim negligentia proficiendi sub initiũ non exæquet lethalem noxã, quæ penitus gratiam tollat, tamen partem aliquam de bonitate ãdimit, & paruus quidam lapsus est.

NEQ. sacra scriptura, conticuit, in quantum periculum & lapsus, & iactu ræ omnis lucri spiritalis sese isti perincuriam suã coniiciant. Nam quodam in loco *Qui mollis*, inquit, *est et dissolutus, in opere suo frater est suæ operæ dissipantis* Sensus est Qui in bono inchoato non proficit, suaque opera bona nõ facit studiosè & perfectè, similis est illi, qui omnia abiicit quæcunque lucratus est Et alibi eadem scriptura ita loquitur: *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet*. quasi dicat, vt beatè declarat S. Gregorius Sicut pigredo facit vt homo sine necessitate obdormiscat, & ignauia in operando facit vt homo patiatur famem, aliarumque rerum inopiam: Sic torpor in vita spirituali in anima excitat soporem queni

Prou 18.

Prou. 12.

Greg. 3. p. pastor. ad mon. 6.

dam spiritualem, quo homo quasi omni bonorum operum, consolationúmq; spiritualium ac cælestium sensu destituitur, & solas sectatur voluptates terrenas. Vnde fit, vt ei neq; meditari, neque loqui de DEO libeat, non solitudinem, non orationem, non sacramentorum lectionem, nullamq; capiat exercitationem pietatis, sed contrà totum se dedat cupiditatibus rerum caducarum, oculosq; & aures patcat vanis & curiosis colloquiis. Vnde procliuis est lapsus in omnia quæ hominem penitus abalienata à gratia diuina diuellunt.

ATQ hæc est pœna formidabilis, quam CHRISTVS cuidam tepido comminatus est in Apocalypsi dicens, *Vtinam frigidus esses, aut calidus. Sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Calidum vocat, teste S. Gregorio, qui sedulus & ardens est in via pia & sancta: frigidum vero, qui obnoxius quidem est peccato mortali, sed nequaquam spe tenetur euadendi illud. Tepidum autem appellat, qui cœpit seruire DEO quidem, sed languidius in susceptoremel pietatis cursu pro-

Apoc. 3.

progreditur, nec operam dat, vt faciat in virtute progressum. Qua expositione significat, etiamsi maior culpa sit frigidi, quam tepidi, eius grauitate spectata, tamen tepido maius quodammodo impendere periculum, si eorum rationem habeamus, quæ solent eiusmodi hominibus tandem euenire. Nam frigidus in peccato mortali existens spem de se præbet, si conuersus fuerit, magnæ in diuino seruitio diligentiæ & feruoris. Videmus enim multos magnos peccatores in magnos sanctos iam olim commutatos. Cæterum de tepido metus est verus & probabilis, eum cum omni gratia exutum iri, quæ semel amissa tam cæcum futurum, & obstinatum in malo, vt difficillimè in viam reuocari possit, non quod ex parte Dei potestas aut voluntas eum sanandi desit, sed quia ex parte suarū īgē absitrā desideio postu ā hiā D o auxiliis atq; etiā ā im becillis, vt postulare nō velit, aut valeat.

QVARE non loquitur loco citato Dominus de quocunque peccatore frigido, sed de ijs, qui peccatorum suorum

grauitate perculsi magna humilitate, & dolore animi conantur emergere è malorum profundo, vt verbis illis hæc sit subiecta tententia. Vtinam feruens & sedulus esses in meo seruitio: aut quia non es, Vtinam vel tantam protectus vel salutis spem præberes, quantam præbent multi peccatores, quam tamen non præbes: imò quia tepidus es & negligens, magno in periculo versaris, ne & mea gratia in hac vita, & æterna gloria in altera excidas. Hæc damna sunt propria eorum, qui in vita piè sanctèq; inchoata progressum facere negligunt, hæc pœna ingrati animi: nam quemadmodum gratitudinis est, beneficijs acceptis bene vti, & fructum aliquem ex illis decerpere: (cuius fructus hæc merces est, vt Deus ob grati animi significationem noui donis & muneribus pro immensa sua liberalitate priora sua beneficia cumulet, vti supra dictum est) sic summæ ingratitudinis est, abuti beneficijs diuinis, nihilumque ex ijs fructum carpere. Vnde sequitur, vt talibus DEVS iuxta culpæ grauitatem paulatim omnem benevolentiam, omniaque spiritalia auxilia sub

subtrahat, ac denique omnibus gratię ornamentis spoliet, detrudat pro ingratianimi meritis ad eas pęnas, quas promeruit seruus inutilis: qui cum talentum accepto negotiari noluit, cui Dominus sustulit talentum, æternisq; tenebris eum in prędam abiecit.

CAPVT VI.

CVRAM IN VIRTVTE PROFICIENDI conuenire non solum incipientibus, sed etiam proficientibus & perfectis.

POSSET fortè aliquis in eam inclinare sententiam, vt arbitretur proficiendi studium ijs tantùm necessariò incumbere, qui initium fecerunt Deo seruiendi: sed non est ita, cum ad omnes prorsus fideles id pertineat. imò quo quis maiori studio profectus faciendi ardet, hoc perfectionem in omni virtute maiorē se assecutum demōstrat, hi siquidem sunt qui summa quadam fame & siti proficiendi laborant, qui omnia media & remedia indagant nō solum legibus præcepta, vt de fugiendo quouis genere peccatorum, de obseruatione Decalogi diligēti

genti & sedula, verùm etiam libera & per modum consilij proposita, vt eo citius ad culmen perfectionis attingant. Etenim, quamuis verum sit homines sanctos cognoscere suum in virtute profectum, nùc quia, vt habet S. GRE-

Greg. l. 25. mor. c. 6. GORIVS, quotidie vitam suam suspecti examinant, & mores præsentes cum præteritis conferentes, deplorandùt sea multis peccatis, & animi perturbationibus liberatos, virtutum quoq; opera tã interna, quàm externa multo promptius, quam alias, cũ & voluntas & vires spirituales abessent, exercere. Nunc etiam, quia sancti agnoscũt quot quantisque donis cœlestibus à Deo ornati sint: (auctore enim spiritu sancto nôrunt quæ à Deo illis donata sunt teste Apostolo) inter quæ dona non minimum locum tenet, ardens in proficiendo desiderium, non tamen idcircò pluris se æstimant, quàm prius, sed potius minoris, maioriq; contemptu seipsos persequitur, & in dies maiori zelo ad perfectionem aspirant.

1 Cor. 2.

CAVSA huius rei est: quod quo homines pij & sancti maiores processus in virtute faciunt, hoc à Deo plus lucis accipiunt

accipiunt ad agnoscendos defectus suos, eorumque grauitatem, quam antè non cognoscebant. Et quemadmodum hominis vilitas & miseria est immensa quædam abyssus, eo quod obnoxius sit peccato, & de nihilo oditus, sic magis magisque proficit in cognoscenda vilitate sua atque miseria, ipsoque nihilo quo ex parte sua habet. Et sicut proficiendo in virtute, amplius quoque proficit in sui contemptu, sic quo ad sanctitatem maiorem prouehitur, hoc humilius de se sentit. Ita affirmat S. GREGORIVS non semel cum scribit seruos Dei, quo per bona opera propinquiores fiunt Deo, hoc clarius animæ suæ oculos maculas conspicere, & suam indignitatem, eoque amplius semetipsos arguere & abominari, non solum propositos defectus & lapsus suos, quos animaduertunt, sed etiã, quia prorsus nouit nemo multas tectasque noxas, quas solus DEVS in ipsis cognoscat. Quæ etiam de causa, Greg. 5. in eundem sanctus Doctor perhibet, prè- mor. c. 7. ordinauit DEVS, vt seruis sui perfecta virtute præditis, cõtra suã voluntatẽ adhibeantur Ecclesiæ gubernaculo, cogantur quoque conuersari cum proximis, vt dũ

alios ad perfectionem verbo et exẽplo cohortantur, in suorum defectuum notitiam veniant, atque ita & melius se cognoscant, & submissius de se sentiãt. Vnde sæpenumerò fit, vt vbi se existimabant maximam pietatis iacturam facturos, & demolituros quicquid antè ædificassent, ibi misericordiæ diuinę beneficio accessionem magnam faciãt ad virtutes, & bonis spiritalibus supra modum locupletentur.

AD HÆC eiusdem lucis beneficio, vti augescit profectus in sanctis, sic clarius potentiam & bonitatem Dei infinitam omniaq; eius attributa & perfectiones, ac quanto honore & reuerẽtia dignus sit, cognoscunt: Vnde sequitur, vt se quoque accuratius cognoscant, & humilius de se deinceps sentiant, quandoquidem liquidius cernũt, quam longè absint à perfectione, quam habere debent, quotquot DEO cum dignitate & fructu spirituali seruire cõcupiscunt. id S. AVGVSTINVS significare voluit, cum scripsit: *Multũ in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit à perfectione iustitiæ proficiendo cognouit.* Vnde fit, quod tam parui se faciant,

Aug. l. de spir. & lit. c. 36.

ant, vt se tanquam puluerem terræ despiciant, quemadmodũ confitetur S. GREGORIVS, dum ait sanctos homines quo in cognitione Dei amplius proficiunt, hoc plus se contemnere, haud secus quasi nihil essent, vel propemodum nihil. *Greg lib. 25 mor. c. 2.*

HINC verò etiã id sequitur, pios, dũ plus proficiũt, maiore porrò desiderio feruere ad fructum faciendi, tũ quia perfectius cognoscunt se esse ad id obligatos, tum quia vires ampliores in eam rem adepti sunt à Deo, cui intelligunt nihil conatum suum esse gratissimũ. Quid enim cur, quaso, homo iustus non teneatur studio proficiendi in Dei seruitio, qui puris animæ suæ oculis & infinitam DEI bonitatẽ, & misericordiæ maximæ testimonia, & eximium amorem, quo se prosequitur, perspicit? qui scit se hoc studio incredibilẽ conciliare voluptatẽ diuinæ Clementiæ? eoq; vberiorem, quo constantius in eadem voluntate persistit. Quomodo non conetur omnem lapidem mouere seruus Dei ad perfectionẽ omniũ virtutum consequendam, qui potest

claro & præsenti iudicio, omni animi perturbatione exclusa plenè æstimare valorem vel vnius gradus in amore diuino? neque enim pretiũ eius aliud est, quam ipse DEVS, quem amore acquirimus, & amore possidemus. Deinde, qui non ignorat hunc amorem esse thesaurum infinitum, omnis mẽsurę, limitumq; expertem, cuius amore Dei nullus sit modus, neque mẽsura? Et quis scit, quo in virtutũ schola plus profecerit, hoc maiorem in amore illo accessionem faciat, ac proinde firmius per gratiam & gloriã Deo perfruatur, quem beneficio amoris possidemus? Qui oculi, talia contuentes, non delectentur tanta pulchritudine? Quod cor, hæc sentiens & degustans, non ardeat tanti boni desiderio?

Psal. 76.

EGREGIE hunc profectus spiritualis prouentum intelligebat sanctus rex Dauid, cum diceret: *Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi*: ille post multos ãnos in sui ipsius quærendi exactos, cum sedulo diuina beneficia sibi collata perpendisset, occasiones quas habuisset numen diuinum colendi tandem ingenuo animo & fiducia hic

decer-

decernit à nouo inchoare vetera pietatis officia, nouoq; ardore perficere, ac simul ingenuè confitetur hoc studiũ suum nõ à se, sed à sola potenti manu DEI proficisci. Multos annos impenderat in seruitio diuino, & tamen iam fatetur se primum incipere: nam vt in hæc verba Ambrosius Ansbertus scribit, profectus in virtute, quem faciunt electi, non est aliud quam initium seruiendi DEO, & quotidie dicuntur incipere, quia omnibus temporis momentis virtutem virtuti solent adiungere. *Ansb. in c. 12. Apocal.*

MILITES boni, vbi semel initium fecerint congrediendi cum hoste, etiã si hostem irruere videant, terga non vertunt, sed perguni fortiter dimicare, quamdiu præsidia sociorum non desunt, & spes maiorum affulget spoliorum. Nautæ quoque, dum mare trãsmittunt, contrarios & obluctãtes fluctus cursum suum retinẽt, donec in portum tranquillum perueniant. Si id homines faciunt ob caducarum & tẽporalium rerum quæstum, quanto æquius, serui DEI, qui iter cęleste ingressi sunt, nullis difficultatibus ærumnisue reuocari ab instituto semel cursu de-

bent, sed potius de virtute in virtutem progressum continenter facere, cum adiutorem habeant CHRISTVM verum Deum, qui suppeditet vires ad iter cõtinuandum, merita quoq; suæ passionis offerat in quibus confidant. Deinde auxiliatores habeant omnes sanctos qui pro ipsis intercedant, denique firmissima maximaq; spe nutatur victoriæ, & præmij celestis omnibus victoribus promissi.

A Equum & iustum est, vt ducem eã in re sequamur S. Paulum Apostolũ, qui post tantos labores pro religione Christiana propaganda exantlatos, post tot merita in cælis collecta, tamen nihili illa pendenda putauit, vt aspirare posset ad sublimiora ita enim alicubi loquitur *Fratres, ego meipsũ arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis DEI.* Quæ retro sunt, inquit B. CHRYSOST. appellat præterita vitæ bona opera; *priora* vero vocat opera deinceps à se ad gloriam Dei futura, vt hac ratione se inflam-

Philip. 3.

Chrys in c. 3. ad Phil.

met

met ad reliquum vitæ tempus maiore & ardentiore studio transigendum, eóq; magis, quo à meta & brauio propius aberat, & certior spes affulgebat palmæ cœlestis aliquando confecto vitæ curriculo obtinendæ.

ATQ; hæ sunt rationes, quę vehementer commouere possunt omnium seruorum DEI animos, tum incipientium, tum etiam eorum qui in cultu pietatis maximum progressum fecerunt. Sunt tamen & nonnullæ aliæ rationes his persimiles, quas summatim hic perstringemus. Eas sanè æquum est, vt omnes sedulo perpendamus, vt vi & efficacitate earundem animati in pigri in profectu promouendo persistamus. Principio ergo cum Deus sit is qui est, hoc est maiestatis bonitatis q; immensæ, totaq; perfectione sua infinitus, merito illi quoq; debetur infinitus cultus, infinitusque honor & gloria. Cum autem tantum cultum, tantumque honorem illi deferre non possimus, neque enim capaces sumus virtutis infinitæ, prorsus æquum est, vt quicquid seruitij & gloriæ pro viribus nostra possumus, conuenienter vi-

ribus ab ipso DEO nobis concessis, illius maiestati deferamus, atque ideo in dies illi noua officia, nouosq; honores cum omnium virtutum incremento exhibere conemur.

AMOR, quo Deus nos amat, & ab æterno amauit infinitus est: quia hic amor est ipsa diuina essentia. Rationi itaque admodum consentaneum est, vt quoniam amorem infinitum illius pendere nõ possumus, saltem amorem non coërceamus certis limitibus, sed in dies eundem exercitio orationis bonorumq; operum augeamus, & quasi carbonibus accendamus, quibus diuini amoris flamma accendi & conseruari solet. Præterea cum beneficia ex hoc infinito amoris fonte profecta sint magnitudine immensa, & multitudine innumerabilia, singillatim autem beneficium nostræ redemptionis, quo omnia opera a Christo facta, omnia verba ab eo enunciata, omnes pœnæ pro nobis toleratæ, ac denique omnia gratiæ, spiritualium q; charismatum dona comprehenduntur: extra omnem controuersiam est, non posse nos dignas tantis beneficijs gratias repẽdere,

ac

ac proinde æquissimum est, vt saltem quantas animi nostri capere possunt gratias referamus, beneficia accepta semper benè vsurpando, & fructum aliquem salutarem ex eis eliciendo, deinde diuinis eius mandatis ac consilijs obsequendo, hæc enim est gratiarum actio & satisfactio, quam ab omnibus profectus studiosis postulat. Et quoniam quicquid hactenus à nobis factum est, exiguum quiddam est, si conferatur cum dignitate meritorum, iure exigit quoque, vt quotidie in bono omnium istorum beneficiorum vsu, & præceptorum consiliorumque obseruatione incrementum sumamus.

DEVS adhæc lege sua sanctissima tantam animi puritatem, cordisque munditiem nobis imperat, nempe vt nulla eam vel lethali vel venali culpa inquinemus, quam tam certè, quæ imbecillitas nostra est, assequi non possumus. quis enim audeat dicere se immunem ab omni sorde peccati? Quare minimum conari debemus, vt saltem in singulos dies, quoad fieri potest, animã

nostram

noſtram, à peccatis in quæ fortè incidimus per pœnitentiam expurgemus, reſeruando propoſitum per ſtudium & feruorem bonorum operum de cætero diligentius omnis generis peccata fugiendi.

GRATÆ etiam internæ venuſtas & dignitas, quam in hac vita, bonorũ operum exercitatione ab eadem ipſa gratia profecta, conſequimur, tanti pretij eſt, vt verbis exprimi nequeat; præmium quoq; gloriæ, quod bonorum operũ merito in vita æterna debetur, tam nobile eſt & ſublime, vti omnem humanam intelligentiam longiſſimè excedat. Vera igitur prudentia & ſapientia extorquet à nobis, vt cum ſollicitudine quotidie in bonis operibus proficiamus, bonaq; vitæ merita ardentibus deſiderijs Deo placendi multiplicemus: vt ſic maior in nobis ad gratiam diuinam acceſſio fiat, quæ locupletet & exornet animam noſtram, remunerationemq; æternæ gloriæ cumulatiorem reddat, cuius beneficio & Deum amplius glorificabimus & perfectius conſpectu eius in cælo perfruemur. Tempus ſiquidem huius vitæ, in quo

ſolo

solo mereri aliquid possumus, breue est, & hora mortis quæ omnē merendi facultatem abscindit, tam incerta & anceps est, vt meritò maximam iacturam fecisse dicendus sit, qui vel minimā temporis particulam sine aliquo boni operis fructu transmiserit, quādo quidem quolibet puncto temporis beneimpēsi gratiæ acceptæ thesauros ipsamq; gloriam æternam adaugere possimus.

CAPVT VII.

Quam necessaria & salutaris sit doctrina de progressu in dies faciendo in vita pie sanctéq; inchoata.

QVISQVIS probè cognouerit, quam necessarium sit ijs, qui DEO seruire cœperunt, proficiendi studium, quam gratum sit diuinæ maiestati, quamq; Ecclesiæ sanctæ fructuosum, facile intelligit quam necessaria quoque & salutaris sit doctrina de eodem argumento instituta. Neque enim dubium est, summè necessarium esse atque vtile, siue viuis sermonibus, siue libris scripris fideles cohortari vt à peccatis mortalibus

abstineant,

abstineant, quæ hominem à Deo separant, mediaq; præscribere, quibus, vbi lapsi fuerint, Deo reconciliẽtur. Sed neque minus necessarium est & vtile eos fideles, qui iã abstinẽt à talibus peccatis, cæperũtq; seruire Deo, animare vt in virtutum studio benè inchoato progressũ indies maiorẽ facere conentur, præsidiaq; illis suggerere ad hoc institũ prosequẽdũ salubria. Perexiguus enim boni operis fructꝰ in nobis existeret, si simulatq; initiũ fecissimꝰ seruiẽdi Deo, mox in vetera vitia, vel etiã grauiora, relaberemur: & iã ex diuinis scripturis, Patrũq; sãctorũ dictis supra ostẽdimus, eos qui post inchoatã sanctã vitã nõ studẽdũ ad maiorem vitæ perfectionẽ, in manifestũ periculũ eorum incidere regrediẽdi, & in pristina peccata relabẽdi. Ac vt cõcedamus aliquos in tepiditate sua perstitere, necfieri mox deteriores, tamẽ perspicue antè probatum, si spectemꝰ & ampliorẽ Dei gloriã, & Ecclesiæ salutẽ, paucos seruos deo in virtutũ studio profectos, plures fiendos, quã multos languidos & negligentes.

CAETERVM, vt ij qui fundamẽta vitæ

tus diuini iecerũt, in ædificio suo spirituali persistant, & in Ecclesia Christi multo numerẽtur, quibus cordi sit progressum facere in virtutũ schola, necessariũ est, vt in cõcionibus, & exhortationibus, quæ ad populũ habentur, sæpe numero tractetur de adiunctis ad profectum spirituale idoneis. Et quia in cętu fidelium multi esse solent, qui non admodũ firmũ propositũ faciunt deserendæ vitæ peruersæ, sincerecq; deinceps seruiendi DEO, serio & sedulo agatur de ijs quæ commouere eos possint ad detestanda peccata lethalia & ingrediendam vitam inculpatam. Etrursum quia in eodem non desunt alij, qui firmiter decreuerunt DEO seruire, sæpe serio agitur de ijs, quæ eos permoueant ad amplectenda CHRISTI consilia, vtpote ab æterna sapientia profecta, & ad vsurpandam orationem mentalem, mortificationem, piorum librorum lectionem, ad exercendas quoque virtutes humilitatis, secundum perfectissimum earum gradum, denique ad cauendas occasiones omnes & pericula peccandi. His enim mediis gratiam diuinam conser-

uamus

uamus, & fructum in seruitio diuino facimus.

Speciatim autem necessarium est in iisdem concionibus tradere documenta ad cauenda delicta venialia opportuna: nam inter omnia præsidia ad fouendam augendamq; gratiam atque virtutes in eorum animis, qui cœperunt seruire DEO, principem facile locum tenet, studium assiduè à lapsibus venialibus mentem expurgandi, eo quod eam debilitent, & disponant ad letha-les. Id si in concionibus præstandum est, in libris quoque qui ad fructum spiritualem, animorum eduntur præstari debet, vt sicut certi exstant, qui data opera conscripti sunt ad extrahendos homines è peccatorum sordibus, & complectendum studium virtutum: sic non desiderentur alij, qui data opera doctrinã tradant congruentem iis, qui iam virtutum viam ingressi sunt, & indies ad perfectionem maiorẽ aspirant. Hoc doctrinæ in Ecclesia necessariæ discrimen, ex dissimili fidelium dispositione natum declarat S. PAVLVS scribens ad Hebræus, cũ ait quosdam fideles *esse parvulos quibus lacte*

Heb. 5. 6.

opus

opus sit, non solido cibo, indigereq; *vt docentur quæ sint elementa exordij sermonum dei*, hoc est prima doctrinæ Christianæ principia, quæ sunt Pœnitentiã agere, peccata mortalia fugere, vsurpare sacramenta ad salutem necessaria. Addit hos *expertes esse sermonis iustitiæ*, hoc est, vt exponit BANSELMVS, doctrinæ quæ conuenit perfectis, vel vt Cardinalis Caietanus, doctrinæ quæ agit de profectu in virtute, & addit, esse alios fideles in Ecclesia similes hominibus prouectæ ætatis, qui indigent cibo solido, hoc est doctrina, quæ tradat modum faciendi progressum in studio virtutum, perueniendiq; ad earum culmen & perfectionem caritatis: Nã, inquit, sicut lac præbetur infãtibus, non vt sit perpetuus eorum cibus, sed tantum ad breue tempus donec adolescant & solidioris cibi capaces sint, sic fidelibus initio conuersionis traditur doctrina quæ eos permoueat ad peccatorum mortalium odium, postea verò cum cæperint serio seruire DEO, sublimior doctrina eis proponitur de progressu in omni virtute faciendo.

Anſel. & Caiet. in 5. ad Heb.

QVAMVIS autem perdifficile sit mul-

tis hominibus persuadere vt peruersam vitam deserant, & ad DEVM ex animo conuertantur: tamen non minus difficile est persuadere multis seruis Dei, qui iam cęperunt seruire DEO, vt porrò in cæpto cursu progrediantur: imò longè videtur difficilius, quia ad faciendum principium seruiendi DEO, sufficit vnus contritionis actus, firmúque propositum à noxa mortali abstinendi, quod quidem vnico temporis momento, post vnicum verbum bonum auditum concipi potest: verùm ad proficiendum, & perseuerandum in vita sancta, opus est longa exercitatione in omni virtute, diuturnaque & constanti pugna aduersus vitia, passiones, & tentationes inimici. Et experientia quotidiana docet multos esse qui incipiant DEO seruire, paucos autem qui in studio inchoato perseuerent. Sic confitetur S. BERNARDVS, & cõfirmat S. BONAVENTVRA, *Multo, inquiens, facilius reperies multos seculares conuerti ad bonũ, quã vnũ quemptiã de religioso transire ad melius. rarissima auis in terris est, qui de gradu, quẽ forte in religione semel attigerit, vel parum ascendi-*

Bern. Ep. 96 Bon. in pharet. lib. 4 c. 27.

CVM ergo hic labor in seruitio diuino proficiēdi ex vna parte tā necessarius & salutaris sit vnicuiq; & toti mūdo: ex alteraverò parte difficile quidē, sed nō minus vtile & necessariū, vt existent libri de hoc argumēto conscripti, inter optimos offerimus hūc pręsentē tractatū, cum desiderio maiorē DEI gloriam, & salutem animarum eius lectione procurandi.

CAPVT VIII.

De fructu spirituali quē haurire possunt incipiētes seruire DEO *ex hac doctrina de ratione proficiendi in virtute.*

AD finem huius tractatus vna adhuc cōmonefactio occurrit necessaria ijs, qui aut inceperūt, aut certè cogitârunt incipere dare operam veræ pietati, nempe hæc. Vt qui piam viuendi consuetudinem iamdudum inierunt, si fortè incidant in conciones aut libellos, quorum sermo ita eo vertitur, vt auditor vel lector auocetur à peccatis lethalibus non inde ansam capiant alicuius tepiditatis, & arbitrentur nec sibi longius esse progre-

diendum, cum certè, vt diximus, longius progredi debeant, hoc est, etiam à leuioribus lapsi hi, qui lethales non sint, cauere, & optimis operibus Deo gratissimis, etiamsi sub pœna æternæ damnationis mandata non sint vacare. Et contra, quid vel iam primum inchoarunt, vel inchoare cogitarunt sanctam viuendi rationem, non ilicò terreantur, vel animum despondeant, si incidant in conciones vel libellos, quibus studium in virtute proficiendi & ad culmen perfectionis contendendi inculcatur, existimantes nimis arduã & difficilem esse virtutum viam, & quam centesimus quisq; mortalium vix assequi possit. Neq; enim ille in virtute progressus proponitur tanquã ad salutem consequendam prorsus necessarius, sed tanquam valde vtilis & salutaris. Qui enim ad hanc perfectionem vitæ contendunt, puriorem à peccatis cõseruant animum, & securiorem sibi reddunt suã salutẽ, & maiorẽ gratiam gloriamq; apud DEVM promerentur: deinde in hac vita ampliore pace & consolatione, quam Deus mundis cordibus impertit, perfruuntur, & aliorum

donorum

donorũ spiritualiũ penè innumerabiliũ quæ DEVS communicare solet omnibus in virtute proficientibus participes fiunt, vt supra diximus, & deinceps latius exponemus.

ITAQ. non habent, quod idcirco de sua salute desperent: hunc verò fructum ex hac consideratione carpere possunt, vt sese humilient, submissius de se sentiant, dum animaduertunt se tam longe abesse à pietatis officijs, quæ diuinę maiestatis excellentia meretur: totoque pectore gaudeant non deesse Deo in Ecclesia pios seruos, qui cũ tanta perfectione vitæ Christianæ illi seruiant, gratiasq; agant se illũ sensum & notitiam consecutos: nam lætari de profectu & perfectione aliorum, propter gloriã quæ inde in DEVM redundat, est quodammodo participẽ fieri & profectus & perfectionis ipsorum. Deinde & alium fructum inde carpere queunt, nempe vt magno studio & sollicitudine in precibus suis ad Deum fusis ob oculos ponant suam imbecillitatem, enixeque petant efficacem voluntatem & robur spiritale in diuino suo seruitio proficiendi, ac cer-

to confidant quod si in oratione constanter perseuerârint, se donum ex liberali & misericordi eius manu accepturos, studiumq; proficiendi, quod iam apparet arduum & difficile, & primo aspectu terret, facile & suaue futurum, ac ex cogitatione, quod in dies in bonorum ineffabili, vt est amor Dei, maiorem semper accessionem facere poterint, incredibilem capturos voluptatẽ.

CONSIDERARE siquidem debent hanc viuendi rationem non viribus hominis naturalibus perfici, sed diuinis à CHRISTO domino collatis. Ille enim omnibus proficiendi studio ardentibus libenter & perliberaliter gratiam suam communicat, qua res arduas reddat faciles, amaras dulces, & graues leues. Considerent etiam in CHRISTI Domini nostri Ecclesia, semper fuisse & adhuc esse innumeros homines in omni sexu & statu, in virtutum cultu admodum prouectos, qui eandem aliquando difficultatem, quam illi nunc experiuntur, in colenda vera pietate sensérint, sed quia cum ingenti fiducia erga Christum iter illud spirituale progressus ingressi sunt, eodem pro-

piti-

pitio & adiuuante, admodum planum & iucundum esse deprehenderunt.

CONSIDERET & quilibet figillatim quæ DEVS ipsi bona contulerit, quam multa aliter se habuerint, quam iam habeant, quomodo olim multa vitia amârit, quæ iam horreat, quomodo olim ne minimam quidem orationem facere, nec missam, vel concionem audire sine distractione animi potuerit, nunc autem voluptatem etiam capiat, ex orationibus faciendis, & officijs diuinis, concionibusque audiendis. Itaque sicut Deus hæc in ipso operatus est sine vllo suo merito, cum longissimè à salute abesset, eiumque à peccato ad gratiam, à morte ad vitam pertraxerit, & à carnalibus desiderijs ad obsequendum diuinis inspirationibus, prorsus cõfidendu est, quod multo magis eum deducere possit è bono statu in meliorem adiuuante diuina gratia.

HAC tentatione terroris & trepidationis inanis pulsatus quoque fuit

Aug 8. confes. c. 11. fuit AVGVSTINVS initio suæ conuersionis eamque dictis considerationibus expugnauit. Principio videbatur illi nimis ardua puritas legis Euangelicæ, & maxime perpetuæ continentiæ obseruatio, animumq; desponebat, se non posse pertingere ad tam gloriosam carnis victoriam. Cum igitur timidus & desperabundus in illa cogitatione hæreret, sedulo expendere cæpit in Ecclesia Christi non modo extitisse & esse graues & fortes viros qui grauissimis pœnitentijs corpora sua castigarent, & ad culmen omnium virtutum peruenissent perpetuamq; castitatem coluissent, vti erat S. ANTONIVS, & alij eius imitatores, verum etiam innumeros adolescentulos, virgines, & viduas, ac teneræ ætatis puellos & puellulas, qui perpetuam continentiam custodirent, alacresq; ad vitæ Euangelicæ perfectionem contenderent, ac tandem cor eius sic illum alloquebatur. *Tu non poteris quod isti & istæ? an verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Quid in te stas, & nō stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahat, vt cadas. Proijce te securus, excipiet te*

piet te & saluabit. Considerabat nimirum sanctus ille mutationem, quam DEVS in Ecclesia fecerat, & quotidie faciebat conuertendo magnos peccatores in heroes sanctissimos. Atq; hæc contemplatio omnem languorem illi ademerat, formidinemque inanem discusserat, ingentem quoque animũ illi addebat proficiendi de virtute in virtutem, firmissimã spem dabat Christum sibi affuturum. Sic ipse fatetur in alio loco his verbis.

Exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta in sinũ cogitationis nostræ vrebant & absumebant grauem torporẽ, ne in ima vergeremus, & accĕdebãt nos validè vt omnis ex lingua subdola contradictioni, flatus inflammare nos æstimo posset, non extinguere. Atque hi sunt fructus, quos homines cõsiderati hauriunt ex hac doctrina, quæ tradit rationem in virtute proficiendi.

ATQ. illi quidem, qui viuo desiderio ardent sui profectus, (quibus hæc doctrina admodum est necessaria, nec paruo numero reperiuntur in DEI Ecclesia) ex illa hauriunt certam & per-

spicuam notitiam perfectionis cuiusque virtutis, ac media quibus comparentur, tum robur eas opere ipso exercendi, dum vnicuiusque virtutis dotes considerantur, & remedia contra tentationes tepiditatis, atque arma ad repellendos virtutis hostes, lumẽ quoque ad cognoscendas fugiendasque impostaras, quibus Satan conatur impedire profectum nostrum in diuino seruitio, ac demum in quo natura profectus spiritalis consistat. Quibus verò non inest illud viuum proficiendi desiderium, ex hac doctrina discunt humilitatem & confusionem sui, vt diximus, qui fructus tam præstans est, vt Deus propter illam sepe communicet viuum desiderium proficiendi.

VT verò ex lectione huius libri similes iã dictis colligi queant fructus, rogamus Christianum lectorem, vt cum desiderio proficiendi illum perlegat: nec enim dubitamus Deũ Opt. Max. necessaria præsidia ei suppeditaturum vt ad maiorem suæ diuinæmaiestatis honorem & gloriam aliquãdo reipsa, quod ex animo desiderauit, exequatur.

TRAC-

TRACTATVS DE VERA DIFFIDENTIA SVI IPSIVS

Qua homo suis viribus diffidens, omnem omnino fiduciam in Deo collocat, bonorumq; operum præsidio, quatenus Deo, eiusq; fauore & gratia nituuntur. Cuius confidentia beneficio & profectus spiritualis acquiritur, & ad omnium virtutum perfectionem ascenditur.

PROOEMIVM.

QVONIAM in priore Tractatu cohortati sumus omnes fideles ad profectum spiritualem, conueniens est, vt in hoc secundo agamus de vera sui ipsius diffidentia. Nam simulatque homini Christiano verarum solidarumque virtutū pulchritudine & perfectione allecto semel persuasum est, vt operam det profectui spirituali animę suæ, mox incipit manum tam sancto operi, cum desiderio eas pectori

primendi, adhibere. Vt verò labor hic tam pretiosus, tamque diuinis oculis gratus salutarem sortiatur exitũ, Deus primæ lectionis loco illi inculcat sui ipsius omniumque humanarum virium diffidentiam vt hoc fundamento iacto viuis dein de coloribus in eius animo pulcherrimum omnium virtutum chorum, qui non est aliud quam viua infinitæ suæ pulchritudinis effigies, depingat. Varijs autem mirabilibusque eam in rem vtitur medijs, persuadet nimirum in virtutum negotio diffidentiam sui summo in pretio habendam: viuas inspirationes immittit vt prorsus sibi diffidat, luce noua & extraordinaria illustrat, vt imbecillitatem suam, suumque, vt ita loquar, nihil penitius agnoscat, atque ita omnẽ confidentiam in solũ Deum proijciat. Eundem in finem tam grauibus tentationibus eum exagitari sinit, vt experientia ipsa discat se ijs vincendis imparem, diuinoque intelligat opus esse subsidio.

Quod si his medijs, cæteroquin suauibus, nihil efficiat, aggreditur asperioribus, & maiori cum periculo cõiunctis,

iunctis, vt dum sinit eum labi in graue aliquod delictum, vt agnoscens fæditatem lapsus resipiscat, ac discat non suæ amplius fidere industriæ. Verum, quia medium hoc infaustum est, & lacrymis potius, quam laude dignum, non vsurpat illud DEVS, nisi quando homo suauioribus, salubrioribusq; impelli non potest in istam sui diffidentiam, ac interdum etiam, vt occultam quandam in eo superbiam castiget, vt postea dicemus. Nō absimilis est DEVS in hac re sapienti architecto, qui ædificaturus ingens & peruenustum templum primum locat fundamenta, cui totam molem securè imponere deinde queat: sic enim DEVS in animo hominis exstructurus elegantissimum templū, in quo cum voluptate commoretur, virtutum scilicet omnium domiciliū, primo iacit fundamentū, hoc est, diffidentiam sui, vt securè deinde reliquam virtutum structurā, donec ad perfectionis fastigium educatur, imponere possit. Cū qua doctrina non pugnat, quod B. AVGVSTINVS, alijque sancti perhibent humilitatem esse omnium virtutum fundamentū. diffidentia enim

Aug. de verb d. serm. 10. S. Tho. 22. q. 61. a. 5. ad 2.

sui est primarius humilitatis actus, sic prorsus, vt ratione diffidētiæ nomē fū damēti illi imprimis cōpetat.

ATQ hic mirāda se prodit DEI prouidētia, quod hūc diffidētiæ sui spiritū, omnib⁹ mūdi sapiētibus ignotū, nō eruditis magnoq; ingenij acumine præditis, qui magnificè de se sentiūt, communicet, sed ijs tātūm qui syncerè, posito omni fastu, cum profectus spiritalis desiderio illi seruire, etiāsi plebæi, & litterarū ignari sint, instituerint: idq; tā manifestè & perfectè facit, vt liquido appareat Doctorē eorum nō fuisse de terra, sed de cælo, nō hominē mortalem, sed DEVM: qui vt solus creauit animas deni hilo ad suā imaginē & similitudinē, sic volēs easdē reformare ad eādem sui imaginem, ipse eas interius docet, quæ nullus hominum docere potest Cæterum, quia DEVS operatur in creaturis suauiter, hoc est, cōuenienter ad ipsarū naturā, vult hominē, quoniā libera voluntate præditus est, suā quoque operā ad erigendum virtutum ædificium, iaciendūq; fundamētū liberè accommodare, secumq; operari: vnde sequitur, discessum hominis à statu peccati, & conuersionem ad DEVM, esse non so

lum Dei opus, sed etiam eiusdem hominis. Post conuersionem verò peractam, progressum eiusdē in cursu virtutum sic esse opus DEI, vt etiam sit opus eiusdem hominis. Qua de causa B. PAVLVS sic alloquitur fideles *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*, vt indicaret, quicquid in illis tanquam in tēplo, vel agro laboratum vel ædificatū esset, id opera DEI perfectum. alibi verò eos hortatur vt ipsi quoq; in ædificando templo sancto laborent, vt significaret nostram quoq; industriā diuinæ operationi adiungendam. 1. Cor. 3. Epheſ. 2.

ITAQ; cū opus sit liberi nostri arbitrij cooperatione, vt aliquis diffidētiæ illius gustus cordi à Deo imprimatur: vtile sanè, imò necessarium est exponere, in quo diffidentia illa cōsistat, & qui b' medijs a Deo obtineri possit, quod spero me, diuina adiuuante gratia, hoc tractatu perfeciſſe. Quia verò virtutis cui'q; natura & accuratē cognoscitur, & perfectē acquiritur, quando vitiū ei cōtrariū nobis bene est perspectū & exploratū, ideircò de cōfidētia nimia sui illi contraria, proximè agendum erit. Id enim veriſſimè de humilitate eius-

eiusque actibus dicitur, eam ex sui cō-
2.Tho. 22. trarij notitia clarius cognosci. Idcirco
q.61.a.5. enim humilitas omnium virtutum fundamentum dicitur, quod radicitus è corde humano euellat superbiā, quæ omnium virtutū capitalis est hostis.

CAPVT. I.

Quantopere profectum spiritalem impediat homo suis viribus fidens, & qua mala inde pullulent.

CERTISSIMVM est inter omnia virtutum, mediorumque quibus acquiruntur impedimēta maximum, pernitiosissimumque, & quasi cæterorum radicem esse inordinatam confidentiam sui: in quàm eo procliuius labimur, quo certius nobis cōstat nos libero arbitrio præditos, nostræque voluntatis & industriæ voluntario concursu ad consequendam virtutum perfectionem, earumque actiones exercendas, opus esse, hinc enim fit vt nimium sæpe viribus & conatibus nostris tribuamus, & plus æquo in animo efferamur, ac tandem in tetrum superbiæ flagitium, eiusque damna grauissima incidamus. Vnde

diuina

diuina scriptura in Prouerbijs. *Qui*, inquit, *confidit in cogitationibus suis, impiè agit* id est, qui viribus suis præfidēs conatus suos exequi molitur, impietatis in Deum scelus committit. Et alibi in eodem libro dicit. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* ac si diceret Qui fidit suo iudicio, suisq; consilijs, cordis proprij indicibus, non solum errat, sed etiam ingentem stultitiam prodit. De hoc quoque peccato spiritussanctus dixit per Ieremiam. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachiū suū Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cum venerit bonū: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili.* Cuiusmodi penitus est qui fiduciam omnem collocat in suis, vel alterius creaturæ viribus: neque aliam sortietur conatuum suorum exitum, quam vt ab omnibus diuinis præsidijs desertus, nullo edito fructu spirituali detrudatur in ignem æternum

Prou. 16.

Ibid. 28.

Ierem. 17.

Qvod sane vitium eo magis pertimescendum est, quo minus agnosci consueuit, eo quod spirituale sit & occultum: deinde quia lapsus in illud nul-

nulli pudori, vt alia multa, est obnoxius, tum quia homo natura sua in illud propendet: Quotus enim quisq; est qui non se suaq; magni faciat? denique quia consentaneum videtur quodammodo rationi, licet falsò Quare operæ pretium facturi videmur, si huius peccati prauitatem, & detrimenta tam temporalia quam spiritualia, quæ ex illo ceu fonte, filijs Adæ contigerunt, patefaciamus: prætermissis tamen exemplis eorum qui palam impij & scelerati exiterunt, & quia nimium confisi fuêre suæ potentiæ, publicè pudefacti & castigati sunt à DEO. Qualis

1. Reg. 17. fuit ille fortissimus Gigas Goliath, qui cum solus perterrefacere, totosq; fugare posset exercitus, tamen quia plus nimio robori suo armisq; fidebat, ab adolescenti pastorculo solo baculo & fun-

Iudith. c. 2. da instructo victus & occisus est. Qualis erat potentissimus belli Dux Holofernes, qui cum plus æquo copijs suis, artiq; bellicæ cõfideret, diuino iudicio in potestatẽ vnius fragilis feminę venit, quę caput eius à ceruice resecuit,

Dan. 4. & totũ eius exercitũ dissipauit. Qualis erat magnus ille Chaldæorũ monarcha Na-

Nabuchodonozor, qui cũ potẽtiæ suæ nimium fi leret, vti significauit cum oculis in vrbem Babylonẽ, ō ectis diceret. *Nonne hæc est Babylõ magna, quã ego ædificaui in domũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* ilico de cælo vocem audiuit, qua simul regno & ratione priuatus est, iussus inter bestias & feras versari, fœnumq; ac si bos esset, comedere. Qualis erat & Rex Iuda Asa, qui quoniã perfugiũ suũ habuit ad regẽ Syriæ, cum bello superarus est ab hostibus suis, infeliciter depugnauit, sicut exprobrauit illi Hanani prophetadictẽs. *Quia habuisti fiduciã in rege Syriæ, & nõ Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ regis exercitus de manu tua.* Idẽ, quia nec in infirmitate sua quæsiuit Dominũ, sed magis in medicorũ arte cõfisus est, vt ibidem dicit scriptura, *dormiuit cum Patribus suis.* 2. Par. 16.

Prętermissis ergo his & alijs similibus hominibus, quorũ arrogantiã, nimiãque cõfidentiã sui nõ dubiũ est fuisse Deo ingratã & exosã, agem⁹ tãtũ deijs, qui licet probi fuerint, bonũq; scopũ in negotijs alioquin licitis propositũ habuerint, tamẽ idcirco subinde grauẽ delique-

deliquerunt, quod passi sint per nimiam incuriam occultè hunc confidē tiæ morbum in animum irrepere. Cogitamus enim hic documenta tradere ijs, qui iam virtutis studium sunt complexi.

CAPVT II.

Vitio confidentiæ nimiæ fieri, vt pia desideria ac proposita, & bona opera nobis pereant.

DEVS hominibus suggerit salutaria desideria & vota vitæ emēdandæ, cauendi peccata in quæ aliâs incidêre, virtutum opera legibus imperata præstandi inspirationibus cōsilijsque diuinis obsequendi. Vnde, qui elatus fuit & superbus, apud animum suum proponit se velle humiliter alijs subesse, & cedere, nec amplius lapsus suos excusare, Qui impatiens, se qualemcumque iniuriam sibi illatam æquo animo toleraturum, neque vllo asperiore verbo contra proximum vsurum. qui in precibus deuotus, audiendiúque, vel legendi & meditandi verbi Dei fuit studiosus, proponit se e-

dendi bibendiq́ue cupiditatem refrenaturum, oculos à rerum vanarum, aspectu cohibiturum, mortificandæ carni & voluntati suæ. hoc illouè genere pœnitentiæ vel humilitatis, vacaturum: & tamen paulo post omnium horum piorum propositorum à DEO inspiratorum obliuiscūtur & nihil prorsus præstant, imò oblata occasione minimæ tentationis omninò contrariū faciunt.

CVIVS rei causa est, quod pia illa desideria non attribuūt fonti, è quo manarunt, nempe diuinæ liberalitati, sed sibi, existimantq́ue se sua industria & studio posse perficere, non auxilio diuino: idq́ue crebrò contingit homini nihil aduertenti eo quod natura per peccatum corrupta magna vi eum inclinet ad confidentiam sui, vt quicquid boni vel cogitat vel facit sibi adscribat. Vnde quia homo incurius non obseruat huiusmodi naturæ corruptæ motus, nec cum humilitate eis resistit, imprudensq́ue delabitur in consensum, fit vt incidat in noxam inordinatæ confidentiæ sui, damnaq́ue inde dicta incurrat, hoc est, vt pia desi-

ria

ria & vota euanescant, & tentationes occurrentes prævaleant.

Hvivs noxæ & damni, quod ex ea sequitur, monuit nos spiritus sanctus dicens. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne elidatur virtus tua per stultitiã, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Quibus verbis Deus hominem hortatur, ne nimium confidat desiderijs cordis sui, nec sinat se instar tauri, quod animal superbũ est, impetu perturbationũ in transuersum rapi, sed humiliter potius illis resistat, ne pariter & boni propositi dono, & diuina gratia destituatur, atq; ita omni virtutũ bonorumq; operum fructu, spolietur. Eccle. 6.

Habemvs huius rei exempla notabilia in diuinis literis. S. Petrus nocte extremæ cænæ firmissimè proposuerat se nulla ratione in animum admissurum vel scãdalum, vel cogitationẽ de negando Christo, immò potius vitæ suę periculũ aditurũ, sic vt toto pectore diceret. *Etiãsi oportuerit me mori tecũ, nõ te negabo:* & tamẽ paulo post propositi immemor, capto Christo aufugit, & ter cũ negauit, Cuius lapsus nõ alia Matt. 26.

alia sanè causa fuit, quā quod nimium suis fuerit cōfisus viribꝰ, vtliquet ex verbis quibꝰ se omnibus Apostolis prętulit, dicēs. *Et si omnes scāndalizati fuerint in te, ego nūquā scāndalizabor.* & cū CHRISTVS ei affirmatè prædiceret. *Amē dico tibi, quia in hac nocte antequā gallus cantet, ter me negabis.* exclusa omni imbecillitatis metu audacter respōdit, se potiꝰ moriturū, quā negaturū.

QVOD accidit B. Petro, cū esset adhuc imperfectꝰ, nō dum, scilicet plenitudine spiritus sāncti in eum delapsa, id vsuenire solet quotidie fidelibꝰ, vt idcirco bonis propositis non faciant satis, quod plus æquo præfidāt suis viribus, ob hoc enim vitiū subtrahit illis DEVS auxilium efficax, cuius beneficio perficere illa poterant, si fidūciam omnē in Deo collocassent. Sic docent S. Chrysostomus & Theophilactus, dùm agunt de Apostolorum atque imprimis S. Petri lapsu. Exemplum huius rei singulare habemus in diuina scriptura de rege Amasia bellum gestu ro contra Idumæos: Nam cum supra trecenta millia suorum, de Israhel centum talentis argenti alia centum millia

Chrys. hom. 23. in Matt. Theoph. Marci. 14.

millia armatorum conduxisset, venit ad eum propheta à DEO missus, & ait

2. Par. 25. *O rex ne tecum egrediatur exercitus Israhel, non est enim Dominus cum Israhel. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est & adiuuare, & in fugam conuertere.* His verbis quia rex paruit, & copias Israheliticas dimisit, victoriam, decem millibus Idumæorum cæsis, obtinuit, quam certe non obtinuisset, si viribus copiarum suarū confisus, & non DEI in pugnam processisset.

ADVERTANT ergo serui dei, quoties senserint animum pio aliquo desiderio vel proposito tangi, pro Dei

2. Cor. 3. dono diuinitus collato illud recipiant: nam, vt ait S. Paulus, *non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia* bonum cogitandi vel loquendi *ex* DEO *est*, deinde propositum illud magni faciant, & cum gratiarum significatione, sed non suis viribus, sed DEI auxilio completuros expectent. DEVS enim, teste eodem Apostolo, qui

Philip. 2. *dedit velle, dabit & perficere pro bona sua voluntate.* Quem

adue-

admodum enim inops mendicus, cui ne obolus quidem suppetit in crumena, tamen sperat, non industria sua, sed liberalitate piorum Christianorum victum quotidianum, si humiliter petat, non defuturum; sic quilibet Christi seruus pio aliquo desiderio flagrans, confidere debet bonitati diuinæ, se reipsa illud expleturum, si cælestis gratiæ eleemosynam ad hoc postulet, sæpe offerendo Christi, passionisq; eius merita, si sanctissimæ Virginis Mariæ & Sanctorum patrocinia imploret, ac dicat cum Dauid: *Opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.* Et. *Esto mihi in Deũ protectorem & in domũ refugij.* respice in orationes nostras & desideria. respice in faciem Christi tui, cuius meritis confidimus nos impetraturos, quod postulamus. *Psal. 89. Ps 30.*

CAPVT III.

Vitio confidentia sui hominem vinci à tentationibus.

QVod diximus de piorum desideriorum executione, dicẽdum quoq; est de tentationibus, quas

homo quidē vincere conatur, sed crebrò post inchoatam pugnam ab illo vincitur: non alia de causa, quam quia solis viribus suis nixus pugnam fuit aggressus. In libris Iudicū diuina scriptura commemorat: Deum tam grauiter succensuisse quibusdam viris è tribu Beniamin quod vim intulissent cuidam mulieri coniugatæ, vt mandārit reliquis vndecim tribubus, vt totā tribum Beniamin ob hoc scelus patratum è medio tolleret. Quadraginta hominum millia ex vndecim tribubus repente coacta sunt, aduersus viginti quinq; millia tribus Beniamin. Bellum erat iustum, mandato nempe Dei indictum, dux belli item à deo decretus, & tamen primo congressu viginti octo millia, altero verò decem & octo millia è filijs Israhel ab hoste cæsa sunt. Quæ verò causa fuit huius tam inexpectati euentus, vt fortiores, ac à Deo ad pugnam amandati, cedant imbecillioribus? Scriptura ipsa causam manifestat, dicēs: *filios Israhel confortitudine numero cōfidētes aciē direxisse.* Quācū eis de admoniti agnouissent, conuenerūt in domum DEI, fidentes fleuerunt coram

Iud. 20.

ram Domino, ieiunârunt vsq; ad vesperã, & obtulerũt holocaũsta, atq; victimas; atq; ita cõfisi Deo, nõ viribus suis, tertiò hostẽ inuasere, & victoriã retulêre, trucidatis viginti quinque hominũ millibus. sic vt è tota tribu non nisi sexcenti remanserint superstites, quibus vitam condonârunt.

IDEM prorsus contingit in conflictu spirituali. Hostes nostri sunt, princeps tenebrarum, mundus, & propria caro, contra quos confligendum est. Bellũ à parte nostra iustum est, & mandato DEI indictum, nec desunt nobis arma, & magna ad pugnãdũ subsidia, & tamẽ sæpenumero succumbimus, & in mortem noxæ pęnęq; æternæ miseri detrudimur. qua verò de causa? quia industriæ nostræ cõfisi, nõ diuino auxilio arma corripimus. Id præclarè animaduertit S. BASILIVS: *Qui seruiũt* DEO inquit, *à dæmone frequẽtib⁹ & variis tẽtationibus agitãtur, tristitia, & diffidentia de Deo, vt bona inchoata deserant, vt non perseuerent, vt existiment se Deo charos non esse, vt locum, societatẽ, rationẽq; viuendi, cũ alia seueriore ea* Basil. in instit. de vita perfecta.

mutent, in qua dæmon nouit plura fore ad labendum pericula. His aliisq; id genus tentationibus speciem boni præ se ferentibus Dæmõ seruos DEI *aggreditur. Quos verò vincit? Eos, inquit, vincit, qui plus æquo cõfidunt sibi. Vnde, addit, vidimus multos, magna virtute præditos, & testimonio aliorũ probatos, quos malignus spiritus per nimiam istam cõfidentiam præcipites egit.* Hucusq; Basilius. Quare non dubitauit quidam sanctus vir, & in virtutum studio exercitatus asseuerare, quoties seruus Dei pietatis amans à tentatione vincitur, id euenire, vel quia ante tentationem non implorauit diuinum auxilium, aut quia viribus suis fidens depugnauit. Id verò exponit his verbis consideratione dignissimis. *Non orandum est contra tentationem ne eueniat, sed ne decipiat, aut inuoluat, cum venerit. Si verò tentatio ex vehementia quempiam subuertit, aut antè, ne subuerteret, humiliter non fuit oratum, aut talis superbia in anima insidebat, quæ per casum tentationis propellenda erat.*

Simon de Cassia. lib. 4. c. 6.

COLLIGAMVS fructum ex hoc cælesti documento, & contra animæ nostræ hostes

hostes viriliter dimicemus, eorumque tentationes: diffidamus viribus nostris, quia ob imbecillitatem suam nihil sine auxilio diuino, vt diximus, ffi cere possunt contra tam potentes inimicos, nihil enim in hoc mundo est, quod eorum potentiam exæquet: expectemus autem & robur & victoriã à potentissimo DEO, confidendo in eius præsidio, idq; propter IESV CHRISTI merita, qui tanquam homo & Saluator promeruit nobis vires ac gratiã ad vincendum. tanquam verò DEVS, creator, & prima causa candẽ largitur, & prouocat nos ad pugnam & victoriam dicens: *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum*, ac si diceret Ego vici, vt vos vinceretis, promerendo vobis gratiam & auxilium. Id confitetur & S. Paulus, & quasi summo beneficio affectus ęterno Patri gratias agit dicens. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum* IESVM *Christum*. Neq; satis est illi affirmare, DEVM esse, qui nobis manũ per merita IESV Christi præbet ad expugnandum tentationes & peccata, sed, quod eo amplius est, Deum vincere &

Ioã. 16.

1. Cor. 15.

2. Cor. 2.

triumphare per nos in Christo saluatore nostro, vt indicet, quam purè ad autorem Deum referendæ sint omnes victoriæ: ille siquidē ipse est, qui & robur suppeditat, & reipsa ad pugnā & victoriam per nos concurrit, & libertatem ac voluntatem, quæ ad vincēdū necessaria est, suggerit, ac deniq; & gratiam, qua opus habemus ad vincendū cum merito impetrit.

NARRAT diuina scriptura filios Israhel è tribu Ruben Gad & Manass, cū dimicarent contra Agarenos, eorumq; confederatos numero & viribus potētes, victoriam reportasse, cautamq; addit, quod non confisi viribus suis Deū inuocārint cum præliarētur. Idem cōmemorat de Machabæis, qui cum manu pugnātes, corde invocabāt Deum, exiguis copijs magnos hostium exercitus. Haud secus confligēdum nobis est in bello spirituali, nempe diffidendo omninò viribus nostris, omnemq; fiduciam in Deum proijciendo: nec solùm ante pugnam, sed in ipso quoq; pugnæ æstu diuinum implorandum est auxilium, vt possimus

1. Paral. 5.

2. Mach. 15.

dice

dicere cum S. Paulo *Omnia possum* Phil 4.
non in me, sed *in eo qui me confortat*. Magno solatio esse debet homini fiuci, sicà Deo statutum esse, vt vincat ipse non suis solis, sed Dei quoque viribus: & sic mandatum, vt vires suas, quatenus suas, contemnat, toramque fiduciam in viribus DEI collocet.

Nam si respiciamus ad vires nostras, quamuis paruus labor in pugna subeundus esset, cum imbecilli hoste certandum, tamen exanimaremur, & deficeremus: si verò respiciamus ad vires diuinas, quæ certis limitibus circumscriptæ non sunt, sed in infinitum augescere queunt,, contra potentissimos quosque inimicos semper confidere possumus nos victoriam consecuturos.

QVOCIRCA, quo copiosior fuerit hostium numerus, maioreque industria & labore opus fuerit, hoc certius credere debemus, potentiora affore nobis à Deo ad vincendū præsidia & adiumenta, & factum vt loquitur Apostolus, *cum tentatione*

1. Cor. 10. *prouentum, vt possimus sustinere.* Hic modus pugnandi contra tentationes, diffidendo viribus suis, vehementer & magna exaggeratione commendatur ab omnibus sanctis, qui luce diuina illustrati longa experientia didicere, id vnicum efficacissimumq; esse antidotum ad expugnandas quasuis tentationes, ac etiam ad impetranda præsentissima à Deo auxilia, atq; imprimis donũ summæ fiduciæ in DEVM: quod nulli nisi sibi diffidenti concedi-

Cassian. coll. 5. c. 14. tur. Vnde sanctus Abbas Serapion apud Cassianum agens de remedijs tentationum assimilat *impugnationis exitum* [illegible] *aliter & in aliter esse pejerandum impossibile namq; est, inquit, de qualibet pulsatione triumphum quemquam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere nõ posse, eum tamen vt valeat emundari, necesse sit eum diu noctuq; in omni cura & sollicitudine permanere.* Et venera-

Rich. in Gant. c. 21. bilis Richardus de S. Victore eandem doctrinã confirmans in hæc verba scribit. *Impossibile est quempiam de seipso triumphare posse, donec experimento didicerit*

didicerit propria virtute se non posse obtinere triumphum. Declarans autem, quomodo hac diffidentia sui homo, perueniat ad purissimam fiduciã DEI, cum qua, vt loquitur Christus, omnia homini sunt possibilia, addit. *Quantũ fideles de se diffidunt, tantum in diuinæ spei adiutorio confidunt, & quantum de se infirmantur, tantũ fortes sunt & potentes in* DEO.

CAPVT. IV.

Confirmatur, quod dictum est, sacri Euãgelij testimonio.

DOCTRINAM iam traditam CHRISTVS in Euangelio admiranda quadam similitudine tali Magistro digna ob oculos posuit. Omnis, inquit, *qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendã vobis cui similis sit: similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altũ, & posuit fundamentum super petram. inundatione autem facta illisum est flumẽ domui illi, & non potuit eam mouere fundata enim erat super petram. Qui autem audit, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super ter-* Luc. 6.

ram sine fundamento : in quam illi
fus est fluuius, & continuò cecidit, &
facta est ruina domus illius magna. Pro
fundè effodere terram ad ædificandā
domum homo dicitur, quando firmi-
ter in animo constituit, audire verbum
Dei, & toto pectore diuinis obsequi
præceptis, sic prorsus, vt non solùm lin
gua profiteatur se seruiturum DEO,
optetq; serio esse in numero bonorū,
sed vt intimo corde decernat potius
infectam facere omnium, quam mi-
nimū præuaricari dei præceptū. Tunc
verò fundamentum locat in petra soli
da, & domum super illam erigit, quan
do in suis bonis propositis, atque eo-
rundem exeutione, & reliquis piæ vi-
tæ exercitijs non præfidit viribus suis,
sed diuino auxilio: nā teste Apostolo,
1 Cor. 3 10. Christus petra & fundamentum est.
Quid verò hinc sequitur, quando ho-
mo omnem fiduciam in Christo col-
locat, non in viribus suis? nempe, vt
magni licet tentationum diabolicarū
& calamitatum fluctus irruant in illū,
grauiterq; concutiant, nō possint ta-
men illum vel minimum de statu vir-
tutis deijcere.

VI

QVI vero aures præbet verbo diuino, & ædificat super terram sine fũdamento, est Christianus qui vacat quidem operibus bonis, & ex ijs quasi spiritale ædificium erigit, sed duo negligit, vel quod firmum & constans propositum non faciat quauis occasione abstinendi à peccatis, vel nimium fidat suę industriæ, & nõ diuinæ gratię, quod est ædificare nõ facto solido fundamento. Quid verò hinc cõsequitur? vt multis licet pijs operibus ornatus & instructus, tamen minima tentatione impendente cum magno suo damno, & proximi scandalo in peccatum lethale corruat, vt omnium præteritorum bonorum iacturam faciat. Qua de re Caiet. in hunc locum scribẽs, sic loquitur. *Hic describi vides ruinam hominis, qui congeriem operum suorum ædificauit super non integrum, seu non firmum vsq; ad intima cordis penetrans propositum perseuerandi in omnibus, vel propositum non fundauit super Christum: hoc est, non est fiducia eius innixa super Christum, sed super viribus proprij arbitrij. Vtroque enim modo abest verum fundamentum. Eripies primum*

Caiet in

siquidem deest profunditas, & propter secundum deest petra.

Hæc æternæ sapientiæ doctrina, magna reuerētia & gratiarum actione amplectenda est, & diligentissimè exercenda, tum cauendo huius hominis defectus, qui licet fide, multisq; bonis operibus instructus esset, tamen firmo non peccandi proposito destitutus erat, & vt non fuisset, tamen suis viribus conatibusq; plus nimio tribuebat: tum etiam imitando sapientes veriq; Dei serui exemplum, qui exstruens fabricam boni operis, sanctæq; vitę, cum firmissimo proposito in eadem persistendi omnem fiduciā coniecit in omnipotentem DEVM, & filij eius Christi virtutem & auxilium.

CAPVT V.

Quomodo per inordinatam confidentiā, qua homo vtitur in actionibus humanis suo fructu spolietur.

OMNES homines, qui desiderio alicuius boni cōsequendi tenentur, debent ad illud consequendum suam quoq; industriam & laborem conferre, quantum ratio naturalis-

turalis & lex diuina postulauerit: nam neq; diffidentia sui, neq; confidentia in Deo, media & auxilia humana excludunt, imò potius exigunt, vt homo faciat quod in se est. vt si velit à Deo sustẽtari, ipse etiam, quoad vires ferent, in eundem finem laboret: & si velit proximi voluntatem ad benè faciendum à Deo inflecti, ipse quoq; & precibus & rationibus, alijsq; medijs necessarijs proximum ad idem præstandum commoueat. Sic si ad solidarum virtutum opes aspiret, medijs quoq; ad id necessarijs, vt meditationum piarum, pœnitentijs, eleemosynis, inuocatione Sanctorum, & proborum hominum institutione vtatur. Magni siquidem refert, vt homo medijs necessarijs quibus vtitur, non inordinatè confidat, sed fiduciam omnem proijciat in DEVM, eiusq; bonitatem, certò persuasus, quẽ admodum voluntatem & facultatem impertiuit illa media vsurpandi, sic etiam vim & efficaciam fructuosè illa tractandi collaturus sit. Quam rem exponens S. Basilius in hanc sententiam scribit.

Bas. in cõst. monast. c. 16.

NECESSE est in omnibus actionibus

bus nostris, vt omnem fiduciã in auxilio diuino collocemus: quãtocunque enim studio & industria vsi fuerimus, nihil tamen sine illo effecerimus quãquam nec supperet nobis illud auxiliũ, si conatum nostrum subtraxerimus. Itaque ad consequendam veram virtutẽ, opus est pariter & solicitudine nostra, & præsidio cælesti, quod etiam cũ ipso bonorum operum exercitio augescit. Refert propheta Isaias, ingentem infidelium exercitum ad oppugnandam Hierosolymam coactum, qui creditur fuisse Nabuchodonozoris temporibus Sedechiæ regis: Hierosolymitanos verò ipsos ad defensionem secõ parasse, congregando piscinæ inferioris aquas, ad muniendũ murum domos destruendo & inter duos muros ad aquã piscinæ veteris lacum faciendo, & tamen DEVM hanc eorum industriam & laborem improbasse & reddarguisse, atque eos tandẽ in manus hostiũ tradidisse, vt ab illis vel mactarẽtentur, vel in captiuitatem abducerentur. Quæ verò de causa? Quia scilicet, in industria illa sua humana omnes spes suas defixerant, nec ad preces, vel

Isa. c. 22.

ad auxiliū diuinum confugerant. *Lacum feciſtis*, inquit, *inter duos muros & nō ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat eā, & operatorem eius de longè non vidiſtis.*

QVANDO verò media humana non ſufficiunt, Deus, ſi ad illum confugiamus, defectum eorum ſupplet, vti fecit regi Ezechiæ, quādo cum Sennachberit cum potentiſſimis Aſyriorum copijs obſedit nam cum obturaſſet cunctos fontes extra vrbem, ne hoſtibus ſuppeteret aqua, refeciſſet muros, turres extruxiſſet, ac vniuerſi generis armaturam & clypeos inſtauraſſet, nec tamen omnis hæc induſtria ſatis eſſet ad ſuſtinendam hoſtilium copiarum vim: Deus quod deſiderabatur diuinitus ſuppleuit. miſit enim in ſubſidium angelum vnicum, qui vna nocte centum octoginta millia hoſtium è medio ſuſtulit. Quæ verò cauſa fuit, vt Deus non eadem ratione ſuccurrerit Sedechiæ, cum tamen ijsdem medijs, quibus Ezechias, ad ſui defenſionem vſus fuerit? nempe, quia Sedechias omnem confidentiam ſuam poſuerat in hu- 2. Par. 32.

humanis viribus, non item Ezechias. Hic enim vt primum animaduertit in quanto discrimine Hierosolyma esset, contulit se ad templū, cilicio indutus, preces Isaiæ prophetæ pro se postulauit, populumq; totum ad orationem inuitauit, & hortatus est, vt fiduciam suam conijcerent in Deum, dicens. *Nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo: cum illo enim est brachium carnium, nobiscum Dominus* DEVS *noster, qui auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis.*

CERTE si pro aliquo dono diuino à Deo impetrando hoc documento vti debemus, speciatim debemus, pro acquirendis veris & solidis animi virtutibus, vt nempe industriæ nostræ, siue iusti, siue adhuc peccatores simus, non nimium confidamus, vt ieiunijs nostris, vigilijs, meditationibus, orationibus, alijsq; laboribus & afflictionibus. hæc enim opera secundum naturam suam considerata, hoc est, quatenus opera hominis, vim nullam vel efficaciam habent nisi à gratia auxilioue di-

uino

uino illis coniuncto, vt benè docet Cassianus ex sanctorum Patrum sententia. *Aiunt*, inquit, *Patres non posse ad purum quempiam carnalibus vitijs emundari, nisi vniuersum laborem iuum atq; conatum ad tantæ perfectionis fine intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio comprehendi, &c.* Cass. monast instit. l. 1. c. 13. & 15.

O quantam iacturam lucri spiritualis faciunt homines, quod hanc artem non fideliter exerceant, vsurpando, scilicet, media ad consequendas virtutes necessaria, atq; imprimis hanc diffidentiam sui, & confidentiam in Deum firmissimam. Multi siquidem serui Dei, qui sanctioris vitæ initium fecêre, vigilijs q;, ieiunijs, diuturnis precibus & meditationibus, caritatis quoq; operibus se grauiter exercuêre, tandem gratia diuina excidêre, & in magnas calamitates incidêre, non alia de causa, quã quod plus æquo industriæ suæ tribuissent. Ita B. AMBROSIVS in epist. ad Demetriadem testatur. *Multi*, inquiens, *seruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem suam cum desiderijs, & concupiscentijs, omniũq;* Amb ep. 84.

omniumq; illecebrarum incētiua domuerunt, non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus *deprauati, mundum istum nec dilexerē obsequentē nec timuere terrentem. Tā tamitaq; firmitatem, & tam sublime propositum qua impugnatione diabolus posset aduiri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima decepti o?* Hucusque Ambrosius. Atque hoc est, quod diuina scriptura toties repetit in Pouerbijs dicens, *Contritionem præcedit superbia & anteruntiam exaltatur spiritus.* Et *alibi. Superbum*, inquit, *sequitur humilitas: & humilem spiritu suscepiet gloria.*

Prou 16. prou 29.

NEQ; repetit sacra scriptura toties eandem sententiam sine ingēti mysterio, cum nihil in illa otiosum sit. nempe vt intelligamus, quam magnum, quamque necessarium sit hoc documentum: & verò dignissimum quod semper ob oculos versetur, & mente sedulò ponderetur ab ijs, qui cæperunt Deo seruire, vt si velint gratiam diui-

nam

nam, aliaq; spiritalia dona conseruare & adaugere vsq; ad claram DEI visionem, diligenter caueant hoc præcipitium confidentiæ sui, vnde tam multi turpissimè corruerunt, omnemq; operam collocent in exercendis medijs quibus ad veram & solidam diffidentiam sui perueniatur. De quibus medijs deinceps agemus, ac tandem quæstionem illam dissoluemus. An posita omni fiducia principaliter in Deo, possimus saltem secundario, aliquam fiduciam ponere in bonis operibus, nostroq; studio & diligentia, atque alijs medijs humanis?

CAPVT VI.

De Primo Medio, quo acquiritur sancta sui diffidentia, quod est, rectè intelligere bona omnia esse à Deo.

PRIMVM medium est, probè intelligere bona omnia siue naturam eorum & virtutem, siue actiones & effectus spectes, esse à Deo. Quod vt clarius cognoscatur, notandum est; inter res & bona naturalia censeri, primo essentiã omnium creaturarum, tum facultates vel potentias cuique

naturæ proprias, demum actiones naturales & necessarias ab ijs profectas, quorũ duo priora solius Dei sũt, tertiũ Dei est & creaturarum. Idcirco autem omnes res tribuũtur DEO, quia de nihilo omnes creauit, sicut & de nihilo quotidie animas hominum creat, & initio mundi creauit materiam, ex qua conflata sunt corpora, quæ in dies generantur. Deinde, quia creaturas omnes semel de nihilo conditas, deinceps semper conseruat, non secus, vt docet B. AVGVSTINVS, & S. Thomas, ac ratio ipsa euincit, quam si continenter non noua, sed continuata actione produceret. Et idcirco, si vel vno momento DEVS suspenderet conseruandi actionem, mox omnes in nihilum reciderent. Exemplum huius rei habemus in lumine aeris, quod à sole, simulatq; ortus est producitur, & toto die cõseruatur quod: cõseruare aliud nõest, quàm cõtinenter lumẽ producere, sic vt quouis momẽto faciat, quod fecit primo cũ nouũ lumen produxit. Itaq; homo tantas DEO debet gratias pro hoc conseruationis dono, ac si in singula momenta de nouo à DEO condeteretur, quandoquidem

Aug l. de gen. ad litt. S. Thom 1. p. q. 9 a. 2. & q 104. a. 3.

dem quolibet puncto temporis tantũ à DEO beneficium accipit, quantum primo, quo creatus est.

SVNT deinde in homine actiones quædam liberæ, ad quas se porrigit & facultas eius naturalis, sed interuenien te generali DEI concursu. Qui concursus, cum creaturæ ex iustitia nõ debea tur, gratiæ nomine appellari posset. ta men quia ad vniuersalem prouidentiã non hominis modò, sed omnium etiã creaturarum pertinet, ac naturæ, ordini, & moderationi totius vniuersitatis, haud secus quam hominis integritati brachium, quodammodo debetur, inter naturalia potius dona numeratur. Ad has actiones pertinent omnia quæ ad vitam sustentandam, & virtutes morales exercendas adhiberi solent, vt est familiæ gubernatio, educatio liberorum, iustitiæ & misericordiæ opera non admodum difficilia. Quæ licet viribus humanæ naturę fiant, Deo tamen attribui queunt & debẽt, non solùm, quia ipse impertiuit nobis naturam & vires illa faciendi, sed etiã quia ad singulas actiones nostras concurrit, sic prorsus, vt quemadmodum

Sotus l. 1. de naturæ & g c. 2. Vega l. 4 c. Trid. c 7. et q. 22. & 14 de iustif.

S. Th. 1. 2. q. 109. a. 1. & 4. Bonau 1. sent d. 28. a 1 q 3

creatura

S.Th. con. gent.l.3.c. 6.& c. 70. creatura ſuum eſſe, quod ſemel in prima creatione accepit, retinere non poteſt, niſi conſeruatione Dei quaſi iugiter producatur, ſic nullæ actiones noſtrę diu ſubſiſtere poſſent, ſi deus auxilium concurſus ſui ſubtraheret.

HANC doctrinam confirmat, tum ratio ipſa, tum diuina ſcriptura. Ratio quidem, quia nullæ cauſæ inferiores quicquam efficere poſſunt ſine opera ſuperiorum, vt liquet in conuerſione cælorum ab ortu in occaſum, & motu locali elementorum: ſi enim primum mobile à motu ceſſaret, & hæc neceſſario ceſſarēt. Cū ergo Deus ſit inter efficientes cauſas omnium princeps, nulla certè creatura quidquam agere poteſt, niſi eius nutu & impulſu: ac proinde nec homo quicquam cogitare, vel velle poteſt, niſi Deus illud cogitare per intellectum, & velle per voluntatem eius operetur.

Iſa. 26. Scriptura verò: quia iſaias propheta diſertè confitetur, omnia opera noſtra in nobis Deum operari. Et eadē de cauſa omnes creaturarū actiones attribuit

Pſal 17. pſ. 28. Deo. Si pluat enim, dicit Deū pluiſſe ſi

si tonet, Deum tonuisse: si infantulus in vtero materno formatus, Deum formasse. Similiter de actionibus à libero arbitrio pendentibus loquitur, vt si quis ab aliquo percussus sit, dicit à Deo percussum, si afflictus & occisus ab hostibus suis, dicit à Deo occisum: nam de Rege Sennacherib à filijs suis trucidato sic alicubi loquitur. *Deijciam eum gladio in terra sua.* Vnde liquet omnes actiones nostras bonas in auctorem Deum, vt primũ fontem & causam earum, referendas, malas verò & impias, etiamsi quoad culpam nisi in solum hominem referri queant, tamen referri debere in Deum quatenus entitatem quandam habent, & vt sunt pœnæ à Deo inflictæ. Hæc doctrina vera & certa consideratione dignissima est, tum vt ex omnibus bonis diffidentiam nostri ipsorum discamus, tum vt ea, quæ tumuis naturalia & à libera hominis voluntate profecta Deo auctori transcribamus, eique soli omnẽ eorum gloriam tribuamus: mala quoque pœnę omnia cõgruẽti patiẽtia excipiamus, quippe cũ nõ nesciamꝰ ea siue pẽ

Iob 10. 4 *Reg.* 19. *Isa.* 37.

per media naturalia siue voluntaria, siue cum culpa nostra, siue citra culpam euenerint, à misericordi Dei manu profecta.

CAPVT VII.

De operibus gratiæ, & quatenus à Deo promanent.

PRÆTER actiones naturales & liberas, quas viribus humanis exercere possumus, sunt alia in homine quæ, vires naturæ lõgè excedũt vt gratia hominem iustificans, ac Deo gratum reddens, virtutes infusæ, & dona spiritus sancti, quę gratiam consequũtur. Tum actualia & speciala Dei auxilia, inter gratias gratis datas numeranda; quorum subsidio Deus homini suppeditat vires ad exercenda opera pia & salutaria, ac vitę æternæ meritoria. Atq; hæc Dei dona sunt, quia solus Deus illa vel per se, vel per sacramenta, & Christi Domini nostri merita nobis operatur. quæ quidem ita sunt opera Dei, vt non sint hominis, licet quędam eorum, homo sine antegressa libera dispositione & præparatione, quando rationis capax est, nõ accipiat.

Ll

In actionum quoq; supernaturalium numero censentur omnes liberę homi nis actiones, quas sola naturæ vi fretus exercere nequit, licet reuera, Deo cooperante, ipse quoq; eas exerceat. Nam ad eas Deus non solùm concurrit, vt ad naturales, concursu generali, sed alio speciali, vt communicando gratiam & virtutes diuinas, quæ sunt dona nobilissima solo infinito Christi merito parta, & hominem supra omnem naturam humanam euectum diuinæ naturæ consortem faciunt. Deinde conferendo actualia auxilia, quæ intellectũ & voluntatem euehunt ad percipienda & complectenda ea; quæ suopte motu non poterant. Quæ dona homo, cũ viribus suis promereri non possit, accepta ferre debet solis Christi meritis: etsi iam iustificatus earum augmentũ promereri queat.

Haud secus Dei sunt omnes actiones, quibus homo meretur aut præmium gloriæ, aut gratiæ, virtutumque infusarum augmentum, quippe cum omnem vim valoremq; à spiritus sancti gratia, qua iusti & Deo grati efficimur, accipiant, atque etiam à Christi

meritis, quæ beneficio fidei nobis applicantur. Sed & amoris diuini actio qua Deum super omnia tanquã vltimum finem supernaturalẽ in clara visione ipsius, quæ nostra beatitudo est, diligimus, opus Dei censenda est, cum præsupponat gratiam & caritatem infusam à Deo profectam.

Hanc doctrinam tradunt diuinæ lit teræ, & fide catholica credendam decernunt sacra Cõcilia. Eò enim spectãt
Ioan. 15. illa verba Christi apud B. Ioannẽ. *Ego sum vitis, vos palmites. qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multũ, quia sine me nihil potestis facere* nam si de se loquitur tãquam Deo, liquet hominem nullam actionem naturalem vel liberam posse sine cooperatione Dei exercere: si verò de se loquitur, tanquã homine, vti verè facit, sensus est, nihil Deo gratum, vel vitæ æternæ meritorium facere potestis sine mea gratia, & meritorum meorum communicatione, vt enim viti intimè coniuncti sunt palmites, sic fideles iusti perfidem & caritatem vniti sunt Christo. Deinde cum quidam ab eo percunctarentur, quemadmodum facere possent

sent opera DEI? respondit. *Hoc est opus* DEI *vt credatis in eum, quem misit ille.* id est, in Iesum Christum filium DEI viui, ab æterno Patre missum pro salute hominum. Et paulo post subiungit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* quasi diceret, nemo potest abstinere à peccatis, & pœnitentiam agere, fideque & caritate se mihi vnire, nisi à Patre meo singulare illi adsit subsidium, vt cordi eius ista inspirentur. His alijsque testimonijs sacra scriptura secundum indicat modum, quo nostra bona opera peculiari quadam ratione dicuntur. opera & dona DEI, quia, videlicet, facta sunt cum gratia supernaturali, vel cum speciali Dei auxilio: vnde vel dispositiones sunt ad iustificationem secundum Concilij Tridentini decreta, vel etiam gloriæ æternæ merita. *Eph. 2.* *C. Trid. sess. 6. c. 5. can. 3*

PRAETER hæc multa alia opera bona liberi arbitrij viribus cum solo generali DEI concursu homo præstare potuisset, si integritatem naturæ suæ per lapsum non amisisset, at postquam gratia & iustitia originali *C. Trid. s. 6 c. 13. Aug. l. 2 con. 2. ep. Pelag. c 5.*

S. Tho. 1. 2. q. 109. a. 8. & 9. Bonau. 2. ſ. d. 28. q. vlt. Soto. de nat. 2. g. l. 1. c. 22. et 23. Vega de iuſtif. 9 & 12. & 12.

ginali per peccatum excidit, ſpecialibus diuinæ gratiæ auxilijs opus habere cæpit, quæ Deus nemini ea poſtulāti ſubtrahit. Cui doctrinæ congruit quod Sancti Doctores ſacræ ſcripturæ lucem ſecuti docent, hominem ſemel in peccatum mortale lapſum, etſi quædam opera moraliter bona liberi arbitrij facultate præſtare poſſit, non poſſe tamē diu perſeuerare in eo ſtatu, quin in alia labatur, niſi diuinam gratiam implorет, cuius beneficio iuuetur, ne peccato conſentiat. Similiter tradunt, hominē iam iuſtificatū ſola gratia habituali inſtructum non poſſe opera quædam ad modū ardua & difficilia præſtare, magnisque tentationibus reluctari, niſi præterea ſpecialibus à Deo fulciatur auxilijs, & conſequenter addūt, nec poſſe diu in accepta gratia ſine ijſdem auxilijs, vti & decretum eſt in ſacro Concilio, perſeuerare.

C. Trid. ſeſſ. 6. can. 22.

HINC verò liquet quam parum poſſit natura, quamque neceſſaria ſint ei dona & auxilia ſupernaturalia. Ex hac doctrina quiuis Chriſtianus diſcere debet, ſi in peccatum mortale lapſus fuerit, illico per pœnitentiam eſſe reſurgendum.

dum, ne ruat deinceps in grauiora, durioremque in se dammationem accersat, Deinde dandam operam diffidentiæ sui: & in omnibus ad diuinum numen, vt iam dicemus, recurrendum.

CAPVT VIII.

Quod ex doctrina iam tradita haurire debeamus humilitatem, qua sanctè nobis ipsis diffidamus.

MAGNO beneficio affectum se arbitrari debet homo Christianus, si agnoscat omnia bona opera sua tã naturalia, quã gratuita, esse Dei opera. Hinc enim discit, à quo efficax subsidiũ petendum: ad eadẽ ritè præstanda, nempe à Deo, à quo omne datum optimum, deinde discit, quam gnauiter petendum sit, quippe cũ perpetuo in omnibus actionibus diuina cooperatione, siue generali naturæ, siue particulari gratiæ indigeamus, tum vt bene fiant, tũ vt sine defectu in illis perseueremus. Ita confitetur sapiens, cum ait, *Vt sciui, quoniam aliter nõ possem esse continens, nisi* DEVS *det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illũ, & dixi ex totis præcordijs meis.* Sap. 8.

Bas. in reg. interrog. 17

sub continentiæ autem nomine comprehendi quamuis aliam perfectam virtutem tradit B. BASILIVS. Itaq; homo in omnibus operibus, quæ ad gloriam Dei facere cogitat, ac in omnibus virtutibus, quas acquirere conatur, agnoscere debet esse dona Dei, & sine auxilio peculiari diuino nihil eorum posse nos præstare. quod egregiè explicauit B. CAELESTINVS Papa in epistola quadam ad Galliæ Episcopos data.

Cælest. ep. ad Gal. epist c. 9.

Quod ergo tempus, ait, interuenit, quo eius non æquamus auxilio? In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector nandus est. Superbum est enim vt quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aëris huius.

Eph 6.

Ex eadem cogitatione homo discit, & submissè de se sentire, & se contemnere, quemadmodum humilitas vera postulat: omnia verò bona opera, non in suam temporalem & fluxam, sed in DEI VNIVS gloriam referre,

Nec

Nec iniuria. Omnia enim bona sua à Deo habet, à se autem nihil nisi ipsum nihil, è quo conditus, & peccata, quorum solus homo auctor est, iuxta illud Dei dictum apud prophetam Oseam. *Perditio tua ex te Israhel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Vnde Beatus Augustinus alicubi cũ Deo colloquens. *Aperuisti mihi oculos lux, & excitasti, & illuminasti me, & vidi, quoniam tentatio est hominis vita super terram, & quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec iustificetur omnis viuens, quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? Hac non est gloria, sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono, nunquid de alieno? Tuum, Domine, est bonum, tua est gloria.* Appellat hic Sanctus Augustinus proprium hominis, quicquid habet à se, & non à Deo, vt est peccatum. bonum verò hominis facit alienum, hoc est, Dei: etsi enim bonum quoque hominis sit, à Deo tamen est profectum.

Ose. 13.

Aug. in fo. lil c. 3.

Itaq;, inquit, si homo rectam de se sententiam ferat, boni operis gloriam omnem conferre debet in Deum, sibi autem tantùm optare pœnam peccatis promeritam toto pectore dicendo, cũ Apostolo: *Regi sæculorum immortali, invisibili soli* DEO *honor & gloria in sæcula sæculorum. nobis autem*, vt prophe-
1. Tim. 1. Baruch. 1. & 2. ta loquitur, *confusio faciei nostræ* pro peccatis nostris.

QVOD si quis dicat, hominis opera omnia quidem esse DEI dona, tamen hominem quoq; ipsum libertate arbitrij cooperari Deo, tanquam causam secundam primæ, instrumentum cũ principali agente: vt ita sit, expendat apud animum suum ipsam quoq; libertatem, imò & actionem liberam, qua cooperatur, esse à DEO, vt suprà dictum est. quod verò ex parte sua facit, exiguũ quid esse, & quamuis multũ foret, tamen id totum deberi Deo, tum quia eius creatura est, tum quia multis beneficijs ab eo est affectus. Quare & in
Aug. præfat. Ps. 31. Matth. 6. omnibus operibus bonis non suam, sed solius DEI venari debet laudem & gloriã, quod, nisi fecerit, in eũ quadrabit sententia, quã Christus fulminauit in

in eos qui in operibus suis humanam aucupabantur gloriã. *Amen dico vobis*, inquiens, *receperunt mercẽdã suã.* Math. 6

Vnde B. Gregorius agens de quinque virginibus fatuis, serio admonet auditores suos, his verbis. *Hodierna sãcti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis: ne per hoc, quod à vobis rectum geritur, fauor aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede euacuetur. Ecce enim redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tam enim intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ sunt, quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriã foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.* Greg hom. 12. in Euãg

Christus quoq; alibi grauiter in Scribis & Pharisæis infectatus est idem vitium aucupandi laudes humanas in operibus bonis. *Omnia*, inquiens, *opera sua faciunt, vt videãtur ab hominibus. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi.* Et huic vitio tribuit idẽ Math. 23.

Christus, quod in se non crediderint. *Quomodo*, inquiens alibi, *vos potestis credere, qui gloriã ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Nempe ad credendum Euangelio opus erat humilitate intellectus & voluntatis, qua præpararetur cor, quia ergo nimia honorum cupiditas occludebat portam humilitati, consequenter occludebat & fidei.

Verum est quidem hominem homini debere aliquando honorem, conuenienter cuiusque statui & virtuti, iuxta illud Beatus Pauli: *cui honorem, honorem.* Et. *Honore inuicem præuenientes* quibus verbis hortatur, vt quisque primus sit in honorando proximo: nec expectet, donec honoretur ab alio. Quæ res aliquando est præcepti, aliquando consilij. At hæc obligatio, quæ communis est omnibus, nascitur à caritate, quam Deus nobis commendauit. Vt ergo lege caritatis omnes obligamur ad diligendum honorandum que proximum propter Deum, Sic lege humilitatis obligamur vt honorem illum non quæramus, nisi propter Deum, qui auctor & finis est omnium operum

Rom. 12. 10.

operũ bonorũ, ad cuius gloriam omnia referri debent. Idem dicendum est de honore, qui homini defertur ob dignitatem, vel officium quod gerit in Republica, vt sicut lege iustitiæ homo obligatur, vt tales honoret secundum gradus excellentiam, sic lege humilitatis intelligat se obligatum non acceptari illum propter suum commodum, sed propter commodum Reipublicæ, eumque totum referat ad honorem Dei, vt sequenti capite clarius exponemus.

CAPVT IX.

Eundem humilitatis & propriæ diffidentiæ fructum capi debere ex consideratione finis, ob quem Deus omnia opera sua facit.

NON ea solùm ratione homo tenetur omnia sua bona opera referre ad diuinam gloriam, quod sint Dei dona, sed etiam quia Deus, teste diuina scriptura, omnia opera facit propter suum honorem &

gloriã: *Creauit*, inquit, *cunctas gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Et. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* In omnibus diuinis operibus est commodum, & honor. Commodum Deus in hac vita voluit cedere homini, gloriam & honorem sibi. Vnde cùm declarasset se omnia facere propter suam gloriam, adiunxit se eadem facere ad commodum hominum. *Si*, inquit, *eleuatis oculis ad cælũ videas solem & Lunam, & omnia astra cæli, ne errore deceptus adores ea, & colas. quia ea creauit Dominus* DEVS *tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Eadem ratio est de aliis Dei operibus, & maximè de bonis operibus iustorum, quæ cum inter opera eius maximè emineant, ea maximè vult in gloriam suam referri. Qua in re sapientissimè sanè pro immensa sapientia sua facit: nam cum sit infinitè perfectus, nullam ex nostris operibus vtilitatem capere potest, nec accessionem vllam facere ad suam perfectionem. Etsi crescere extrinsecus quodammodo possit in hominum cordibus, quatenus ab illis agnoscitur, laudatur

Deu. 26.
Prou. 16.
Deu. 4.

&

& glorificatur: vnde & imperat homini vt opera sua bona in hunc finem dirigat. Quoniam verò homo natura imperfectus est, & semper maiorē accessionē facere potest ad perfectionē gratiæ, virtutū & meritorū, idcirco omnē bonorū operū fructū cedere vult homini, vt eorū beneficio fiat & melior, & perfectior, & vita æterna dignior, atq; id angeli declarârunt, cū in ortu Christi cecinerūt. *Gloria in excelsis* DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis* Nomine enim *Pacis*, intellexêre omnem perfectionem internam, quam homo potest in hac vita exoptare. Luc. 2.

QVANDO ergo homo Christianus huic ordini diuino insistit, vt in actionibus suis primariò spectet gloriam DEI, vt ille agnoscatur & laudibus celebretur; secundariò verò quęrat etiam fructum suum, hoc est, perfectionem animi in virtute & meritis, ac quicquid necessarium vel vtile esse potest ad felicitatem æternam, tunc verè glorificat Deum, & animam suam saluat, idq; vberiori quæstu, si illum ipsum fructum referat ad diuinam gloriam, hoc est, si idcò contendat ad perfectio-

nem sui, vt indeamplior Dei redundet gloria. Tanto enim Deus desiderio ardet promouendæ salutis humanæ, vt quo quis in operibus suis studiosius gloriæ diuinæ amplificationem, suis neglectis commodis, sectatur, hoc maiorem apud Deum gratiam promereatur: quando verò & commodũ suũ, & humanam simul aucupatur gloriã, ordinem constitutum peruertit, & in Deum iniurius est, atq; ideò non solũ excidit bonorum operum, quorum gloriam Deo non detulit, mercede, sed etiam, sicut fur, cui non solùm adimitur præda, sed etiam mortis supplicio decernitur, ad tenebras exteriores detrudetur. Deo enim gloriã suã eripere notabilis admodum rapina est, teste S. Augustino in hæc verba alicubi cum Deo colloquẽte. *Tuum Domine est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est, & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

Aug. in solil. c. 15.

Qvod non eò dico, quasi homo, quoties gloriam humanam accupatur in suis operibus, peccatũ mortale cõmittat

mittat, sæpe enim committit tantum veniale. Vnde Sanctus THOMAS in ea verba, quæ CHRISTVS, vt homo, dixit apud Sanctum Ioannē. *Ego nō quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet.* scribit solum Deum posse quærere gloriam suam citra vllam culpam, homines verò non posse, nisi in Deo. cumque semper culpam homo committat, si secus faciat, nonnunquam cō mittit & lethalem, vti quando ex superbia operibus suis bonis non alium finem propositum habet, quàm sui nominis famam & honorē. Quare semper magnoperè cauenda est hæc ordinis peruersitas, nam hoc vitium, præter culpam quam annexā habet, magnam vim habet, auctore Sancto Augustino, ad detrudendum hominem in alia peccata, & maximè in nimiam fiduciam sui. Et Sanctus THOMAS scribit peccatum vanæ gloriæ esse periculosum, non solùm propter grauitatem culpæ quam habet in se, sed quia disponit ad peccata grauiora, vti ad præsumptionem tantam sui, vt tandem omnibus bonis internis homo spolietur.

Ioan. 8.

Aug. ep. 64.

S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 8. ad. 1.

Forte

Fortè quæret aliquis, vsurpetne iniquè Dei gloriam, qui laudes humanas probet vel acceptet, vt plus possit proximo prodesse, cultumque diuinũ amplius promouere? Respondeo cum Sanctis, quando humanus ille honor vel laus quæritur aut acceptatur, propter vtilitatẽ quæ v. g. ex institutione, vel concione, aliáue id genus functione in proximum cum maiori Dei gloria redũdat, tum non priuatũ, sed publicum Dei honorem quæri. Nam sicut æger, qui medicinam, à qua naturaliter alioquin abhorret, ob sanitatem amat & suscipit, non tam medicinam, quàm salutem suam amare dicitur; sic qui honores humanos, quos alioquin aspernatur, quærit & acceptat, vt hoc instrumento & salutem animarum & diuinum cultum commodius promouere possit, non tam gloriam suam, quàm DEI quærit & acceptat. Hanc doctrinam diuinitus acceptam confitetur D. AVGVSTINVS, cum ait sibi fas non esse lætari de suis laudibus, nisi quatenus inde maior in proximos vtilitas promanat. Et alibi dicit, id *quod accipitur laudis aut honoris, non prop-*

Aug. l. 10. confes. c. 37. & ep. 64. ad Aurel.

ter nos, qui humana contemnere debemus. sed propter illos accipiendum, quibus consulere non possumus si nimia dilectione vilescamus. Idem S. BERNARDVS seruis Dei in quodam sermone exponens, sic loquitur. *Fratres, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia quicquid hic fauoris captas, quod ad Deum nō retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria putide puluis, tibi vnde de vita sanctitate? sed Spiritus est. qui sanctificat: Spiritus dico, non tuus, Sed Dei.*

Bern serm. 13 in Cant.

S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 1.

HANC doctrinam si sequamur, hoc est, si omnium bonorum operū gloriam attribuamus Deo, facilè peruenimus ad diffidentiam nostri, & fiduciam in Deum: si enim ex parte nostra boni nihil habeamus, non habemus quoque vnde nobis nostræue industriæ magnoperè fidere queamus: si verò omnia nobis contingūt à Deo, meritò in illum omnē spem & expectationem defigere possumus, dicendo cum Dauide. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.*

Psal. 19.

CA-

CAPVT X.

Sapientum mundi huius virtutes vanas fuisse, eo quod dicta agnitione destituti fuerint.

TAM necessaria nobis est hactenus explicata cognitio, vt nempe confiteamur tantam esse vitiũm nostrarũ naturalium imbecillitatem, vt nihil boni præstare, nisi manu diuina adiuti, possimus: vt multis seculis sapientissimi quique, licet magnum studium in virtute consequenda, cuius pulchritudinem, vtilitatem, & necessitatã agnouerũt, collocârint, nullãtamẽ veram vnquam virtutem sint consecuti. In quorum numero fuêre multi Philosophi gentiles, & Oratores Romani: qui, etsi vnum Deum omnium rerum conditorem profiterentur, tamen arbitrati sunt veram & perfectam virtutum laudem humana industria comparari posse: qui error fuit, teste Beato Augustino, plurimorum. vel certè, etiamsi quidam cognórint naturam liberumque arbitrium hominis esse à Deo,

Pelagian. error. Aug. de hæres. c. 88.

Deo, non tamen animaduerterunt liberas hominis actiones etiam Dei ope & auxilio indigere, qui aliquorum, teste Sancto Thoma, error fuit. Vnde factum est, vt in virtute capessenda omnem fiduciam locârint in suis viribus, suaque rectè facta non Deo, sed sibi attribuerint, atque ita laudem humanam, non Dei gloriam, per illa aucupati sint: quare & ianuam sibi præcluserunt ad excipiendum lumen fidei & gratiæ, & causam dederunt se præcipites agendi in grauiora crimina cum omni ratione pugnantia. quos Beatus Paulus idcirco dicit esse apud Deum inexcusabiles. Quia, inquit, *cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerũt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.* Non glorificare Deum, & gratias non agere, non fuit, aliud quãnon attribuere deo scientiam, sapientiam, cæterasque virtutes, quas à Deo acceperant. Rom. 1.

B. Hieronymvs agens de primarijs Philosophis in commentario Eccla- Hieron. in c. 10. Eccles.

Ecclesiasticæ, dum exponit illa verba. *Labor stultorum affliget eos. Lege*, inquit, *Platonem, Aristotelis revolue versutias, Zenonem & Carneadem diligentius imuere, & probabis verũ esse, quod dicitur, Labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt, sed quia non habuerunt ducem & prauium itineris, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam ad ciuitatem, minimè peruenerũt, de qua in psalmo dicitur. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Idem affirmant omnes reliqui S. Patres. Quam quam eorum testimonijs opus non habemus, vt probemus gentiles philosophos suo fastu & superbia, qua omnia dona naturæ & gratiæ suæ industriæ tribuerunt, sibi exitium consciuisse, cũ ipsimet illud confiteantur. CICERO enim qui probè callebat Philosophorum dogmata, nec ignorabat quid in schola mundi huius doceretur, in libris de natura Deorum de hoc argumento in persona Cottę sic loquitur. *Atq; hoc quidem omnes mortales sic habent, externas cõmoditates, vineta, segetes, oliueta, vbertatem frugum & fructuum, omnũ*

Lact. l. 3. d. inst. c. 15.
Aug. l. 5. ciu d. c. 12.
Bern. serm. 6. in Cant.
Cic. l. 3. de nat. in fine.

omnem deniq; commoditatem prosperitatemq; vitæ à Dijs se habere, virtutem autem nemo vnquam acceptam Deo retulit. nimirum rectè. propter virtutẽ enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret, si donum à deo, non à nobis haberemus. Hæc sapiens ille Ethnicus, vanæ gloriæ scilicet amore excæcatus.

ARISTOTELES quoque etsi, vt intelligentior, dubitasset de [illegible] philosophorum doctrina, tamen a communi omnium sensu discederet, in eandẽ sententiam inclinauit: cum in Ethicis suis quæstionem ponit, sine virtus, in qua partem felicitatis humanæ vitæ collocat, nobis à Deo, an à studio & exercitatione nostra: & causam dubitationis adiungit, quod si bona externa à Deo sint, hãc multo magis, vt pote illis præstantionem, ab eo esse debere. Nam respõdet se quęstionẽ nõ decidere: videri tamẽ diuiniorẽ felicioremq; hominem, si suo studio & opera consequatur virtutem qua responsione indicauit, se non discedere à communi Philosophorum placito. Non capiebãt isti mundi sapientes, quomodo virtus simul

Arist. l. 1. Eth. c. 9.

Lac. Stob. 2. Eth. c 9

Aug. de bono perseu. c.2. Soto de nat. & gr. l.3.c.15.

simul esse possit donum dei, & exercitio humano comparari: nimirũ ignorabant liberum arbitrium in omni actione pendere à cooperatione diuina: ita vt eadem actio, sit tota Dei, & tota libe ri arbitrij: qui enim dedit liberum arbitrium, dedit & facultatem illo operandi.

HINC quoque factum est, vt cognõrint virtutem humilitatis, qua homo contemnit se, tanquam imbecillum, qui nullum bonũ habeat ex se, & tanquam peccatorem, omnia autem bona sua accepta fert Deo. Ita docet

Aug in psal. 31.

Augustinus his verbis. *Hæc aqua, inquiens, humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris, abijcientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis, hæc aqua in nullis alienigenarum libris est: non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis. Vbicumq; etiam inueniuntur optima præcepta morum & disciplinæ, humilitas tamẽ ista non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat, à Christõ venit. Hæc via ab illo est, qui cum esset altus, humilis venit.* Quid enim

enim aliud docuit humiliãdo se, factus obediens vsq; mortem, mortem autem crucis? Caietanus quoque Cardinalis exponens Christi dictum. *Qui se humiliauerit, exaltabitur*, ait; nec virtutem humilitatis, nec superbię vitium in doctrina Aristotelis inueniri, sed tantùm in Euangelio. Et licet humilitas virtus sit moralis, propriè tamen humana nõ est, quia humana industria non acquiritur, sed Christiana, tradita à Christo ijs, qui Euangelicæ legi se addixerunt. *Caiet. in Matt. 23.*

IDEM accidit multis sapientibus è populo Israhel: quamuis enim illi legis & propheticorum librorum scientia imbuti cognouerint opera bona esse Dei, nec nisi adiuuante DEO præstari posse à libero abitrio nostro, non tamen cognouere, ad veram virtutem, qua homo iustificatur, & felicitatem æternam promeretur, necessarium esse diuinum gratiæ donum ex DEI misericordia & Christi meritis profectum, sed arbitrabantur se ipsa obseruatione legis naturalis & scriptæ reddi iustos, et Dei amicos, vitaq; æterna dignos

vt

vt declarat S. PAVLVS dicēs *Israhel sectādo legem iustitiæ (in legem iustitiæ*, qua iusti efficerētur? *non peruenit. Quare*) *quia non ex fide, sed quasi ex operibus* id est, quia non diuinæ gratiæ ope, sed sola legis obseruatione putârunt se iustos effici posse: itaque quia confisi sunt suæ industriæ & studio, iustitia & salute exciderunt.

Rom. 9.

Chryf. hom. 13. in Math.

Ex hac summa ignorantia & cęcitate, tum Philosophorum, tum Hebræorum discimus, quātas gratias diuino numini debeamus, quod tam clara huius doctrinæ documenta nobis reliquerit, vt vel ex hac vna (vt alia testimonia, quæ sunt pænè innumera, desint) intelligere possimus, Euangelicæ legis autorē nullū esse posse, nisi Deū. Nam docere hominem ex omnibus rebus suis nihil posse vel debere suum agnoscere, nisi ipsum nihil, è quo conditus est, & peccatū quo pristina iustitiæ integritate excidit: deinde omne bonum, eiusq; laudem & gloriam debere soli Deo acceptam ferre, idq; omnibus retro seculis sapientibus huius mundi fuisse ita ignotū, vt potius contrarium tanquā licitum fecerint: Ad-

hæc

hæc quod Christus tam liquidò hanc doctrinam tradiderit, eiusq; viua & perfectissima exempla reliquerit, suorumque fidelium cordibus impressa reliquerit, hoc inquam, tam potens & efficax testimonium est veræ fidei, vt omne miraculum externum excedat. Ac demum tam ingens hoc est Dei beneficiū, vt, si alia, cæteroquin infinita & incomparabilia, non accepissemus, hoc vnum maximè nos permouere possit ad Deum toto pectore omniq; conatu amandum & colendum. Nam cum vera perfectaque virtus sit nobilissimū quoddam bonum, in quo huius vitæ felicitas consistit, mediumq; efficax ad vitam æternam, obtineri verò non queat sine humilitate, negari non potest, inter ineffabilia Dei beneficia, quo arctissimè ad Deum redamādum constringamur, huius doctrinæ notitiam numerandam esse.

CAPVT IX.

De altero medio, nempe, propriæ imbecillitatis experientiæ, quo homo ad sui diffidentiam peruenire potest.

ETsi notitia hactenus tradita necessaria sit ad acquirendam sui diffidentiam, nō tamen est sufficiens: eo quod notitia intellectui, diffidentia verò insit voluntati. Humilitas siquidem vera & germana nō solū postulat, vt homo credat nihil ex omnibus rebus esse suum, nisi nihil, & peccatum: omnia verò bona sua esse Dei, qui est actus intellectus pertinens ad fidem omnibus Christianis etiam superbis & impijs communem; sed vt intimo quoq; voluntatis affectu se regulæ rationis & intelligentiæ reipsa conformet, hoc est, se ipse tanquam creaturam, cui nihil boni insit, despiciat, & si quid boni sit, id totum, eiusque gloriam omnem in auctorem eius Deum conferat: humilitas enim essentialiter sita est in voluntate, cuius est hoc exercitium. Clarius id intelligi potest ex eius contrario, nempe confidentia sui, quæ est actus superbiæ. Ea enim non tam in eo consistit, vt homo omnem vim & facultatem bene operandi sibi & non Deo attribuat; hic enim manifestus esset error intellectus, qui quod ad boni operis executionem o-

op-

opinione de sua industria & robore, neglecta diuini auxilij imploratione, prouolet, ac si omnē vim & efficacitatem benè agendi à seipso haberet.

Declarat hanc rem optimè doctissimus Ioannes Gerson, cum ait. *Sed dicis: scio me iam nihil posse, nihil scire, nihil deinceps habere industria, nihil tamen tale, quale polliceris, experior. verumtamen precor attende, quomodo scire dixeris, videto ne audias illud improperium: Ex ore tuo te iudico serue nequā. Nam si vera & absq; vlla dubitatione ita esse iudices forte per intellectum & per rationem, vt ferè omnes, cur affectio, cur operatio contradicunt? cur vel non conformiter afficeris & agis, aut cur sic afficeris, & sic agis, quasi possis tuis viribus, tua industria, tuaque iustitia dignum aliquid operari? laudo iudicium tuum, quale dixisti, sed experimentalem gustationem coexigo.* Venerabilis quoq; RICHARDVS de S. Victore de hoc argumento sic loquitur. *Voluntaria humilitas est cum ex rationis ductu homo videt, quàm infirmus sit & peccator, & quod iuxta Iob, nō sit ei auxilium in se, & huic rationi cōsentit voluntas*

& hoc iudicium diligit, & despectus esse eligit, quia sic nosse esse sic expedire nouit. Hinc verò oritur, quod diximus, ad obtinendam hanc sanctam nostri diffidentiam, non satis esse habere notitiam speculatiuam, quod nullæ nobis suppetant vires ad benè agendum, sed requiri præterea notitiam practicã & experimentalem.

CAETERVM quęret fortè aliquis, quod discrimen sit inter vtramq; notitiam, speculatiuam & experimentalem? Declarabo rem exemplo. Fingamus quẽpiam beneficio luminis naturalis vel fidei in eam notitiam peruenisse, homini non suppetere vires sufficientes ad benè agendum, diuino opus habere auxilio, eundemque decreuisse nulla impatientis animi in hominum congressu signa dare velle, ne Deus offendatur, deinde propositi oblitum in negotij cuiusdam tractatione quendam sibi repugnantem offendit, ira cõmoueri, nec abstinere à contumelijs. Huic certè, si Deus lumen suum non subtrahat, noua notitia accedet de hominis impotentia in bono perficiendo, & de auxilij diuini necessitate, ac proinde & illud

illud implorabit. Hanc secundam notitiam, voco experimentalem & practicam, quam contendo esse necessariam ad consequendam veram in Deum fiduciam. Atq; hoc dogma tanta exaggeratione inculcant S. Patres, teste Cassiano, vt agens de puritate animi comparanda, ita scribat. *Aiunt S. Patres, nõ posse ad purum quempiam carnalibus vitijs emundari, nisi vniuersum laborẽ suum atq; conatum ad tantæ perfectionis finem intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio comprehendi, non tam tradentis institutione quàm affectu, atq; virtute & experimentis propriis eruditus agnoscat.* Cassian. l. 12. c. 13. & coll. 14. c. 7.

CAPVT XII.

Notitiam experimentalem capi ex propria imbecillitate.

HANC notitiam experimentalẽ consequitur seruus dei, per quotidianas mutationes de bono in malum, & contra, quas in animo sentit. Quisquis enim semel initium fecit seruiendi DEO, cum proposito in cultu pietatis per omnem vitam perseuerandi,

di, facilè animaduertit se crebrius in multa & grauia peccata ex leui tentatione delapsum, multoq; tempore in tali statu, omnis boni immemorē perstitisse, deinde graui licet sommo vitiorum obruto & sepulto, ilicò cogitationē incidisse de periculo impendentis exilij æterni, ac efficaciter motum fuisse ad vitæ emendationem. Notauit item facilè lucem illam & motionem, quæ est gratia præueniens, nullo suo studio aut egressio in mente exortā, & assensum se illi præbuisse. Sed & hoc notauit, se, postquam se diuino cultui constanter dedidit, multis medijs pœnitentiæ, precū & meditationum conatum fuisse nonnunquā aliquem deuotionis sensum à Deo impetrare, nec assecutū, sed potius acidum cum omnis boni satietate remansisse, ac intùm non visum sibi fuisse à Deo derelictum: aliàs verò, cum nulla huiusmodi media vsurpauit, se mirabili luce illustratum, priores oēs tenebras discussisse, animāque tāta diuini amoris suauitate perfusam, & ardore cæleſti succēsam, vt atrocissima quæque pro Christi nomine perpeti tormenta paratus fuerit. In hu-

iusmo-

iusmodi, inquam, mutatione & vicissitudine, homo per experientiam venit in cognitionem suæ imbecillitatis, hoc est, quàm vacuus sit ab omni bono, quodque omne bonum à Deo proueniat.

DOCENT Philosophi, Lunam totum lumen suum mutuari à sole. Si Luna semper esset plena, ignari Philosophiæ id scire nō possent, nisi ex institutione alterius; at quoniam semper plena nō est, facile per experiētiā animaduertūt, ex tam crebra eius mutatione illā nullū lumen habere, nisi à sole. Sic mentes piorū fidelium, ex frequēti mutatione quā in se indies experiūtur, quod nūc sint quasi caligine quadā offusæ, nunc clarissimā quādā lucem sentiāt, perueniunt ad notitiā experimentalē, quod omne lumen, omneq; bonū illis contingat à Deo, eoque verius, quo anima quoad bona omnia atq; etiam naturā suam magis pendet à Deo, quā Luna quoad lumen suū à Sole. Ex hac autem notitia experimentali mox cōsequitur, vt eædem mētes profundissimè se corā Deo abijciāt, & sibi ipsis diffidāt, omne auxiliū & subsidiū à Deo præstolātes.

MERITO autem fideles omnes fir
missimè confidere possunt, hoc subsidi
um diuinum sibi non defuturum. cũ
enim Deus homini imperet & cõsulat
studium veræ virtutis & perfectionis,
sciatq; illi deesse vires ad hoc studium
persequendum, liquet illum pro sua
infinita liberalitate & clementia operã
suam homini non denegaturum, tum
quia nũquam Deus impossibilia, tum
quia auxilium suum promisit, ac re ip
sa præstat omnibus etiam sceleratissi-
mis, imò ijsdem nonnunquam effica-
cissima adiuncta præbuit emergendi ex
omnibus malis culpæ & pœnæ, in quæ
prolapsi erant, nullo; ipsorum me-
rito ad magnas gratiæ, gloriæque o-
pes euexit.

HANC philosophiam cœlestem Deus
populum suum Israheliticum docuit.
nam cum eos ex Ægypto eduxisset,
multisque ac magnis cumulasset bene
ficijs, ne succedentibus rebus prosperis
deinceps insolescerent, suisq; viribus
confisi obliuiscerentur Dei, magnis af-
flictionibus sæpe eos probauit, vt ino-
pia aquarum in solitudine, serpentum
mortes, vicinorũ hostium persecutione,
sæpen-

repentina internecione, vt hac rerum aduersarum secundarumque vicissitudine reipsa cognoscerent omne bonũ sibi contingere diuinitùs, atque ita suę industriæ diffisi se humiliarent, & omnem spem & fiduciam in Deo defigerent. Hæc enim miseranda hominis cõditio est, prosperitate temporali vel spiritali plus æquo efferri, nec deprimi vel subijci, nisi flagellis à Deo in corpus vel animam immissis, quæ crebrò effugere potuisset, si prius se humiliasset, & imbecillitatem suam agnouisset. Quod confessus est Moyses cum ad populum israheliticum ita loqueretur. *Postquam afflixit ac probauit te Dominus, ad extremum misertus est tui.* Dic, ò propheta sancte, cur Deus tanta varietate vsus est, vt nunc affligeret populum, nunc liberaret ab afflictione? Sed mox respõdet, subijciens. *Ne diceres in corde tuo. Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt: sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, & impleret pactũ suum, super quo iurauit Patribus tuis.* Deu. 8.

TESTIS eiusdẽ rei optimus est B. AVGVSTINVS, qui per mutationes quas Deus Aug. in soliloq. c. 15.

faciebat in eius anima, egregiè diffide-
etiam sui didicit, dum in hunc modum
secum loquitur. *Fortissimè magnipotis
Deus, Credebam me fore aliquid, cum
nihil essem. Cogitabam me esse pruden-
tem, & deceptus sum, dixi quòd diues
essem & nullius egerem, & nesciebam,
quoniam pauper eram, cæcus, nudus,
miser & miserabilis.* Sed nũc video, quo-
niã *si quid boni est parui, vel magni, do-
num tuum est & nostrum non nisi ma-
lum est, & nisi tu custodieris ciuitatẽ, in
vanum laborant qui custodiunt eã.* Sed
dic mihi gloriose Augustine, vnde hau
seris doctrinam, quæ ad tantam sub-
missionem diffidentiamq; tui te pro-
uocaret? Respondet ibidem, *Credebam
me sufficere per me, nec percipiebã, quo-
niam tu regebas me, donec aliquãtulum
te elõgasti à me, & cecidi statim in me,
& vidi, & cognoui, quoniam tu regebas
me. & quòd cecidi, fuit ex me, & quòd
surrexi, fuit ex te.* Atq; hæc est experiẽ-
cia, qua serui Dei, iuuãte diuina gratia,
in notitiam suæ imbecillitatis deueni-
unt, & suæ industriæ diffidunt. Qui-
quam negandum non est Deum qui-
busdam etiam sine dicta experientia

cou-

communicare perfectã notitiam sui, sed in ijs inopiam experientiæ, gratiæ suæ abundantia compensat, quod priuilegium paucorum est.

CAPVT XIII.

De tertio medio, quo diffidentia sui paranda est, nempe si à Deo eam cum perseuerantia petamus.

SICVT supra monuimus ad cõparandas cæteras virtutes & Dei dona, non negligẽda esse media, licet in his fidendum non sit, sed tãtùm in Deo, sic ad obtinendam sui diffidentiã non negligenda sunt iam dicta media, ac imprimis oratio, qua auxilium diuinum implorandum est, vt perfectionẽ huius virtutis imprimis assequamur, hoc est, vt penitus nobis diffidamus, & & spes nostras in Deum proijciamus. Diffidentia enim hæc est præcipuus actus eius virtutis, nempe humilitatis, quæ in lege Euangelica facilè obtinet principatum, & si quæ alia, hæc maximè vires naturales hominis excedit, &

ideo speciali auxilio Deiad eam consequendam indigemus. Ita præclarè docet Ioannes Gerson. *Hæc, inquiens humilitas est, qua homo diffidit sibi, & nemini se anteponit, qua cum sit maxima, videtur parua, quia hominem paruum reddit in sua existimatione: cum sit sapientissima, videtur insipiens; facit enim vt homo agnoscat suam ignorantiã. Quod si quis cogitet, se posse suo studio & industria consequi hanc virtutem, procul dubio errat, & admodum in tali opinione superbit. solus enim Deus est qui per gratiam suam eam in animam infũdere debet, & in ea conseruare. Hoc scire, & confiteri est magnum donum Dei, & ipsius humilitatis principium.* Hæc Gerson.

POSTVLEMVS igitur à Deo in omnibus precibus hanc virtutem, non cessemus clamare ad misericordiæ diuinæ portas, donec thesaurum hunc impetremus, nec omittamus nos cum gemitu commendare Beatiss. Virgini MARIAE, Angelis, alijsq; sanctis, vt eam nobis exorent. Neque enim fallere potest Verbũ dei, dicens. *Petite & accipietis, quarite, & inuenietis, pulsate & aperie-*

Matt. 7.

rietur vobis. Petamus hoc donum non languidè & negligenter, sed cum magno desiderio, non secus quam qui haustum aquæ petunt in ardentissima siti, & qui medicinam in grauissima ægritudine. Sic enim fiet, vt in corde nostro responsum de cęlo audire mereamur, quod olim datum est Danieli per angelum. *Ex die primo, quo posuisti cor tuũ ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Dan. 10.

VT verò hæc oratio sit efficacior, adiungamus illi aliqua opera misericordiæ vel corporalis, vel spiritalis: his enim promissum est lumen illud, quo homo cognoscens se ipsum, sibi diffidat, iuxta illud Isaiæ. *Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Adiungamus quoque aliqua ieiunia, & alias castigationes carnis, quæ, vt alibi dicemus, plurimum iuuant orationem. Quanquam & ad hoc donum obtinendum, seruire nobis queant cõsiderationes omnes, quæ mentem attollunt ad fiduciam omnẽ in Deo collocandam: cuiusmodi est cõ

 sideratio

sideratio diuinæ bonitatis, caritatis, & misericordiæ infinitæ, quam declarauit semper erga mortales, quantumuis grauissimos peccatores, qui syncerè ad eum cõfugêre, & vitam correxêre. Deinde cõsideratio innumerabilium, immensorumq; beneficiorum, quæ nullo nostro interueniente merito, liberalissima manu in nos profudit, ac speciatim incarnationis, passionis, & mortis filij Dei, tum diuinorum sacramentorum, sanctarum inspirationum, perpetuæque curæ de nostra salute, qua continenter nos inuitat ad suam gratiam & amorem, & neminem nõ specialibus quotidie beneficijs afficit.

OMNES hęc considerationes, quę iuuant hominem ad fiduciam collocandam in Deo, iuuant quoq; ad diffidentiã sui: quẽadmodum enim verum est, quod supradiximus hominẽ quo plus diffidit sibi, hoc plus cõfidere in Deo; sic verum est, eundem, quo plus confidit in Deo, hoc plus diffidere sibi. Nam dũ perpẽdit maiestatẽ, bonitatẽ & potẽtiã Dei infinitã, tã magnũ & promtũ eiusdẽ in omnibus, quæ desiderarẽ potest, subsidiũ, volũtatem quoq; qua

quouis

quouis vitæ nostræ momẽto necessaria omnia auxilia suppeditat, vicissim totũ se in manus eius diuinas regendũ & gubernandum tradit, vt sic maiori fauore & benenolẽtia se dignum reddat, cum verò ad sui considerationem oculos reflectit, mox agnoscit suam vilitatem, imbecillitatem, & suum nihil. Sicut enim exigua candela ardens in meridie exposita soli, nullam lucem vel splendorem reddere videtur; sic homo collatus soli, nullus sibi, quoad omnes facultates naturales, videtur, & ideo facilè se despicit, & sibi diffidit, dicens cum Dauide *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.* Psalm. 38.

CAPVT XIV.

Quanti faciendum sit hoc donum, ac proinde quàm studiosè à Deo postulandum.

VT dictum donum per media iã nominata maiori animi promptitudine à Deo impetremus, eoque orationes nostras efficacius referamus, conuenit ad extremum diligen-

diligenter expendere cæleſtes opes in eo recõditas: ſi enim virtutẽ diffidentię cõſecuti fuerimus, humilitatem quoq; conſequamur neceſſe eſt, è qua tãquã fonte diffidẽtia manat. De qua S. Leo Papa ita ſcribit. *Tota dilectiſſimi Chriſtiani ſapiẽtia diſciplina, nõ in abũdãtia verbi, nõ in aſtutia diſputãdi, neq; in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus IESVS ab vtero matris vſq; ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine & elegit, & docuit.* Hac virtute antè dotum quoddam cæleſte ad ſanandas omnes plagas comparamus, deinde admirabilem quandam patẽtiã, quillitatem, & robur ad tolerandos omnes huius vitæ caſus aſſequimur. Nã vt poſtea dicemus, nulla re alia in hoc ſæculo perturbamur, quàm paſſionibus iræ, ſuperbiæ, concupiſcentiæ, aliſq; ſimilibus in imo corde æſtuantibus: ab his autẽ vindicat nos vna hæc humilitas, vt docuit B. DOROTHEVS his verbis. *Ab omni fateor nos paſſione eripi per humilitatem, & ab omni tentatione protegi animam. Nam vere humili, quicquid aduerſi contigerit, illicò in ſe*

Leo. Serm. 7. de Epiſtan.

Doroth. ſerm. 2.

totus

totus contrahitur, illicò iudicat se dignũ ea aduersitate & æruma, nec sustinet quenquam accusare, non sustinet in alium causam huiusmodi inferre. at sine perturbatione, sine molestia, cum omni tranquillitate se habet.

HVIVS virtutis beneficio possidemus thesaurum omnium virtutum. nam vti caritas omnium virtutum regina est, sic humilitas earundem mater. & ideo etsi verum sit, nos, cum perfectè vel vnam virtutem possidemus, possidere virtutes omnes, tamen congruentius id dicitur de humilitate: per hanc enim omnes reliquarum virtutum difficultates tolluntur, & est quasi breuis, suauis, & secura ratio & via qua ad omnes virtutes perueniatur. Etenim, si quis per infirmitatẽ corporis non valeat ieiunare, non diu orare, nõ asperioribus pœnis carnem affligere, si per inopiam non potest operibus misericordiæ vacare, aut ob ignorantiam alios docere vel solari, humilitate tamẽ potest omnium illorum exercitiorum spiritalium defectum compensare. Itaq; idem sanctus sic de ea scribit. *Maxima est humilitas, per quam Sanctorum*

qui-

quiuis incesſit & cum labore via longi-
Dorot ibid *tudinem abscidit. Potest enim sola humi-*
litas nos introducere, vt aiebat Ioannes
Abbas.

QVARE si vires nobis desint, ad tolerandos cum sanctis magnos corporis labores, saltem conemur nos toto corde humiliare: nec dubito nos tãtam gloriam in cœlo promerituros, quantam cõsecuti sunt multi, qui in magnis laboribus hanc vitam traduxerunt; id enim idem quoq; Dorotheus asseuerat. Magnus thesaurus est omniũ virtutũ possessio, sed multo maior, quod per humilitatem fit, secuta possessio. Hæc enim est velut castrum quoddam munitissimum, in quo reconditur virtutum thesaurus, ne ab hostibus diripiatur: & murus inexpugnabilis, quo omnes aduersariorũ ictus repelluntur. *Qui virtutes sine humilitate cõgregat,*
Greg. hom. in Euang. auctore B GREGORIO, *similis est ei qui manibus puluerem in ventum portat*, à quo statim dissipantur. In lege veteri DEVS mandauit, vt quando domus noua ædificaretur, construeretur murus tecti per circuitum, ne quis facilè è tecto rueret. In ædificio virtutũ,

vtalis

vt ait idem Dorotheus, tectum est ca- *Doroth.*
ritas, quæ est perfectio & cõsummatio *doct.1.*
omnium virtutum, murus verò quo à
lapsu prohibentur qui sunt in tecto ca-
ritatis, est humilitas.

O gloriosa diffidentia sancta, germa-
na humilitatis filia, quæ tecum & cum
illa omnium virtutum possessionem
adijsti, easdemque intra cordis nostri
domicilium conseruas & custodis, ac
proinde in hac vita securos nos de salu
te reddis; quã fructuosè pius & Chri-
stianus homo omni studio & opera cõ-
tendit, vt tua familiaritate fruatur, quã
vtiliter sine intermissione misericor-
diæ diuinæ portas in orationibus suis
pulsat, vt te consequatur, dicens cũ Da-
uide. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, et requiẽ temporibus meis, donec inueniam locũ Domino, & tabernaculum Deo Iacob?* *Psalm.131.*
Locus autem Domini vbi est, nisi in
corde humili? Ita enim Dominus ipse
per prophetam. *Super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* *Isa.66.*

CA-

CAPVT XV.

Quibus signis homo humilis & sibi diffidens cognoscatur.

QVONIAM in schola virtutis tam necessaria est diffidētia sui, vt hactenus declaratum est, magni quoq; facienda sunt omnia, quę iuuare possunt, tum ad illam melius intelligendam, tum etiam ad exercendam; & ideò declarabimus, quibus indicijs & signis anima verè humilis, sibiq́ue diffidens, soloq́ue diuino nixa auxilio dignosci possit. Primum est, si in omnibus quæ agere vel loqui instituit, prius se DEO commendet, & mente in cælum erecta, singulare & copiosum auxilium ab eo postulet: cum enim exploratā habeat imbecillitatē suā, & experientia didicerit procliuem esse in rebus etiam leuibus lapsum, si nostræ industrię fidamus, soloq; auxilio sufficienti, quod Deus nemini negat, contenti simus, facilè videt, nisi ad fontem misericordiæ recurratur, nihil vel parū boni se effecturū. Talium autem preces Deū exaudire testatur Psalmista his verbis: *Desideriū pauperū exaudiuit Dominus, præparationē cordis eorum audiuit auris tua*. Pauperes enim vocat, qui

Psal. 9.

qui memores suæ infirmitatis sibi diffidunt.

PALLADIVS Cappadociæ Episcopus refert sanctum Pambonem Abbatem diuina prudentia sapientiaq; præditũ, quoties ab eo consilium, vel respõsum de quæstione aliqua postularetur, nunquam ilicò respondisse, sed spatium petiuisse, prius rem commendandi Deo, ac tum demũ responsum dedisse. qua pia consuetudine effecit, vt iam vicinus morti confessus sit, se nunquã verbum vllum potuisse, cuius pænituisset; & tamen tanta submissione animi prędituS erat, vt consuêrit dicere; se nõdum vitæ verè religiosæ initium fecisse. Contra accidit ei qui nimiũ suis viribus præfidens negligit in actionibus suis diuinum inuocare præsidium. Vnde fit vt crebrius hallucinetur, sicut cõtigit Iosue. Nam cum Gabaonitarum legati ad eũ venissent, & insigni fraude cõfinxissent se è lõginquis regionibus profectos, eiq; rei argumento esse saccorum calceamentorumq; vetustatẽ, panum, quos recentes accepissent, duritiem, Iosuæ cum suis nimium suæ prudentiæ confisus pacis fœdera interposito

Pall. in hist. Lausiac.

Ios. 9.

sito iureiurando cum iis iniit. Cuius erroris diuina scriptura causam illam commemorat, quod in precibus os vel consilium Domini explorare neglexissent.

Quare in omnibus actionibus nostris mente in Deū sublata semper supplices ad Deū prius cōfugiamus, & versum illū, quem Ecclesia initio singularum horarū vsurpat, familiarē habemus. *Deus in adiutorium meū intende, Domine ad adiuuandū me festina*, quod teste CASSIANO, olim etiā Eremitæ initio cuiusq; operis vtebantur. Quod si verò vel illo, vel alio simili vtamur, conuenit, vt simul adiungamus breuem aliquam precatiūculam ad sacratissimā Virginem, velut aduocatam nostrā ad obtinēdam gratiam efficacem, his vel alijs verbis. ORA pro nobis sancta Dei genitrix, & impetra gratiam vt hoc opus ad Dei gloriā benè faciamus, & benè faciendo digni efficiamur promissionibus CHRISTI filij tui, AMEN.

Psal. 67.

Cassl. 10. col. c. 10.

ALTERVM signū hominis verè humilis, sibiq; diffidentis est, si omnia periculā occasiones q; peccandi fugiat quoad licet, si onera & officia magna, in quibus

bus facilis est lapsus, declinet, nec admittat, nisi caritas vel obedientia compellat, si detractorum colloquia horreat, si cum sola muliere agere reformidet: probè enim nouit sibi ne ad vnam quidem tentationem, quantumuis leuem, expugnandam sat esse virium, Deumq; efficacem suum concursum subtrahere illis, qui temerè se in pericula ingerunt, magna verò liberalitate gratiã suam effundere in humiles, qui suæ imbecillitatis conscij sunt. In historijs Fratrum Minorum D. Francisci narratur, quendam purissimæ vitę fratrem, nomine Rutgerum, diligentissimum oculorum suorum custodem fuisse, sic vt nunquam in fœminas, etiam cognatas, quas alloqui necesse habebat, eos coniecerit. Vnde Pater spiritualis, qui perspectam eius cõscientiam habebat, eum aliquando percunctatus est, quid causæ esset, cur cum tanto puritatis dono, præditus esset, tamen vultum auerteret à conspectu mulierũ honestarum? Et respõdit homo sanctus, & à Deo illustratus. Pater, quãdo homo facit quod in se est, occasiones peccãdi fugit, tũ vicissim

Parte 2. lib. 4. cap. 52.

DEVS facit, quod in se est, & hominem tuetur ac custodit: at quando homo se temerè conijcit in discrimen, tum etiã iuste à Deo deseritur; ac ita fit, vt facile ob naturæ corruptionem in peccatum aliquod graue dilabatur; sicut multis etiam sanctitate clarissimis accidit. V-

L. Surius in Vitis SS. PP.

no tantũ exẽplo ero cõtentus, quod est apud SIMEONEM Metraphrasten de Iacobo Eremita, nõ solùm vitæ sanctitate conspicuo apud fideles ac infideles, è quibus multos perduxit ad veram fidem, sed etiam maximis miraculis claro, qui totos quadraginta annos in solitudine solis herbis & radicibus vitam tolerârat, & nocturnis diurnisq; horis continenter precibus vacârat. Huicinvidias struens Sathan fœminam locupletum parentum filiam ingressus est, per eam nomen S. Iacobi prodit, parentes eam ad tugurium eius diu quæsitam adducunt, exponunt filiæ miseriam, quæ iam à viginti diebus nihil cibi præter suæ degustasset, & proprijs manibus carnes suas discerperet. Orat pro illa sanctus, dæmon abscedit. Parentes reuersuri, ne breui reuerteretur, obsecrât sanctum vt biduo saltem eã secũ retineat.

Ille

Ille ab sanctitatem vitæ superioris & miracula nimium sibi præfidens, consentit. At DEVS videns eum suæ imbecillitatis immemorem, pristinum suum auxilium ei subtraxit, permisitque eum labi non solùm in sacrilegam fornicationem, sed etiam homicidium, nam post lapsum reformidans ne puella scelus aliquandò patefaceret, eã è medio sustulit. Quo casu commemorato, Metaphrastes subiũgit, huius ruinę nullam aliam fuisse causam, quàm occultam Monachi superbiam.

PERPENDENS verò deinde idem Iacobus, quàm tetro scelere se inquinasset, in tantam desperationem animi venit, vt cogitaret deserta vita religiosa redire ad mundum: sed clementissimus Deus memor laborum quos pro Christi nomine tot annis sustinuit, diuinæ lucis radijs eius animum per alitũ quendam DEI seruum ita perstrinxit, vt spe veniæ impetrandæ erectus, sese in peruetustum quoddam sepulchrum subterraneum integro decennio vsque ad mortem abdiderit, noctu diuq; cũ asperrima pœnitentia lapsum suum incredibili dolore animi assiduis lacry-

mis, & tanta confusione sui deplo-
rans, vt neque oculos in cælum attol-
lere auderet, nec cum vllo mortalium
miscere sermonem, plenam, scilicet, sui
diffidentiam tandem assecutus.

Qvo exemplo discimus primò, ne
vnquam in præterita castitate vel sanc-
titate confidamus, etiamsi multis an-
nis eam coluissemus, ac etiam mira-
culis testatam fecissemus. Deinde quo
noxia & pernitiosa sit superbia & nu-
mia sui confidentia, vt ob quam Deus
patitur hominem in tam grauia im-
pingere crimina, vt alicubi etiam ob-
seruauit S. GREGORIVS. Adhæc si forte
Greg. l. 26. mor. c. 13. lapsi fuerimus ex incuria, non idcir-
nimum desponde amus: neque enim
vult DEVS mortem peccatoris; sed pœ-
nitentiam agamus; & peccatum cõ-
teamur cum proposito nunquam re-
labendi; sic enim, Deo propitio, facil
pristinam gratiam recuperabimus. D
nique sigillatim hinc docemur, vt in
tio semel in cultu veræ pietatis fidu
omni studio pericula occasionesq; la
bendi defugiamus, etiamsi certò cog
staret, Deum post lapsum spatium pœ
nitentiæ non denegaturum; atque e
magis

magis, quo & hoc incertius est. *Qui enim amat periculum*, vt monet spiritus sanctus, *peribit in illo*. Hoc enim studium & diligentiam postulat à nobis amor & fidelitas quam Diuinæ maiestati & bonitati debemus. Eccl 3.

CAPVT XVI.

De alijs signis, per exempla sanctorum declaratis.

TERTIVM signum serui DEI suæ industriæ diffidentis est, quãdo bonum aliquod opus quod ad gloriam Dei maiorem, suamq; & proximorum salutem putauit suscipiendum, etiamsi videat vires suas longè esse impares, & media insufficientia, auxilij diuini affuturi spe erectus fortiter prosequitur. Ratio est, quia fiduciam collocet in Deo, iam fœlicem inchoati operis successum & exitum non metitur ex sua industria sed Dei omnipotentia, quæ nullis limitibus clauditur, & sæpe etiam per imbecilla instrumenta admirabilia efficere solet: Cuius rei multa luculenta

exstant exempla in literis diuinis. Fi
Israhel pugnaturi contra Philistæos
tantùm erant numero sexcenti, (cete
enim fuga dilapsi erant) ijq; inerme
nullo gladio vel hasta, exceptoyno Sa
1. Reg. 13. le eiusque filio Ionatha, muniti. Phili
& 14. stæi verò tanto numero confluxerant
vt scriptura dicat, triginta ijs cutruum
fuisse millia, reliquum autem vulgu
innumerabile instar arenæ maris. E
tamen solus Ionathas cum puero a
migero audet tantum adoriri exercitu
solo auxilio diuino fretus; nam in h
verba armigerum allocutus est. *Nil*
Domino difficile saluare, vel in mul
vel in paucis. Nec defuit tantæ fidu
ciæ DEVS, tantum enim terrorem
conturbationem immisit hostium c
stris, vt Ionatha inchoãte pugnam, ci
que mox prosequente reliquo popul
Israhelitico, ingens strages facta sit Ph
listæorum, ac post cædem & fugã spo
lia ampla relata.

Surius in Ianuar. GAVFRIDVS Abbas refert de S. Petro
Tarãtasia, eum nõ semel ad maiorem
gloriam Dei magna quædam & ardu
aggressum, eoque exitu feliciore, qui
magis in DEO fidebat. In Episcopa
quodam

quodam multos abusus, & depraua-
tissimos mores deprehenderat: hos vt
corrigeret, rem difficillimam tentauit,
repugnantibus licet quamplurimis,
nempe maximos quosque viros loco
& dignitate mouit, & alios eorum vi-
ce substituit, idque, vt addit auctor, sola
fiducia in Deum coniecta, quem per o-
rationes implorabat, fretus. Hic ergo
est fructus eorum, qui diffidentes viri-
bus humanis spes omnes in diuino de
figunt auxilio. Cõtrarius verò eorum,
qui nimium cõfidunt in sua potẽtia &
viribus, vt licet multos magnosq; la-
bores ad rem aliquam consequendam
impendant, nihil tamen tandem obti-
neant.

PALLADIVS commemorat de S. Abbate Moyse, eum, cùm esset viribus corporis valentissimus, animo verò flagitiosissimus, toto corde ad CHRISTVM conuersum esse: ac principio quidem grauissimis tentationibus, speciatim sordidarum & impurarum cogitationum obnoxium fuisse: Ad quas expugnandas exemplo sanctorum Patrũ variis vtebatur medijs; totum enim sexennium maximam noctis partem *Pallad. in hist. Laus.*

insomnis in orando consumebat, m
nibus laborabat, modica panis parte
victitabat, aquam ad seniorum mona
chorum cellas deportabat, aliasque pa
nitentias & mortificationes duras tul
ibat: & tamen victoriam contra dictas
tentationes obtinere non poterat, im
ab illis penè in desperationē aliquā
impulsus est, vt de monastico propo
todeserēdo cogitaret. In hac cruma
istentem inuisit fortè S. Abbas Sisoe
nus & ex parte Dei illi dixit. Ab hac h
ra in nomine IESV Christi finis erit
tationum tuarum. Et ita euenit, nul
enim amplius tentationibus fuit ag
tatus. Subiunxit deinde sanctus, q
Deus illi nō cōcessisset citius victoria
nimirum, vt ne laberetur ipse in pra
sumptionem, qua existimasset se exc
citijs suis spiritalibus tentationes illa
& non auxilio Dei depulisse. Itaq; D
us tamdiu prorogauit certamen illud
vt Moyses cōsequeretur donū diffide
tię sui, considerādo se tot laboribus n
obtinuisse victoriā, quā alij minimi
sæpe impetrassent. Quocirca sanctus
quidā homo in Ordine Minorū aliq
do dixit. Optimū remedium in omnibus

In hist. Mi. p. 3. l. 5 c.

tentationibus est humilitas, quia facit 47. & 48.
hominem diffidere sibi, & confidere in
solo DEO. Deinde saluberrima scientia
est, propriæ miserię agnitio; dum enim
homo eam considerat, ilicò cogitat de
quærēdo subsidio, & si quærat in Deo,
inuenit, & vbi inuenerit, magna mox
fiducia in Deum fertur, ac demum e-
uanescente inordinato amore creatura
rū, totus amore in creatorē exardescit.

Quartū signū animæ sibi diffidentis
est, si ā ḉto quodā & casto in Deum a-
more vestita sit, cuius beneficio vehe-
menter reformidet eū etiā in minimo
offendere. etsi enim expenso diuino fa
uore & beneuolētia ad omne bonum
prompta in magnā spē & fiduciā eriga
tur, summāq; capiat cōsolationē; tamē
ex altera parte cōsiderata sua imbecilli-
tate, & procliuitate ad malū, quā multi
etiā se meliores ceciderint, quāq; tanto
fauore indigna sit, non parū extimescit
lapsum, ac inter spem metumq; hærēs
adimplet, quod dicit ad fideles S. Pau Phil. 2.
lus. *cum timore & tremore salutem ve-*
stram operamini. quasi diceret. Præ-
state opera bona, quibus salutem
æternam promereamini, non præsu-

mendo de vestris viribus, sed intimo quodam timore vestræ fragilitatis, qui exterius verbis & factis demonstretur. Ac, vt declarat Apostolus, timorem hùc sanctum oriri debere ex cognitione sui, hoc est, quod nihil boni in nobis sit, quod facere possimus, adiũgit, Deũ *esse, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.*

QVI pretiosum aliquem liquorem in vase vitreo, cuius fragilitatem nouit, deportat per loca petrosa, vel magnis ventis exposita, cautè admodum rigit pedum vestigia, ne incuria aliqua vitrum frangatur: sic fideles qui percipiunt, quàm pretiosum & nobilem gratiæ thesaurum gestent in vasis fictilibus, vt loquitur Apostolus, animæ suæ, magno cum timore vias huius vitæ perdifficiles perambulant, omnibusque præsidijs bonorum operum, sacramentorum, orationum adhibendã hanc gratiam se communiunt; & quanquam timeant, longè tamen securiores sunt iis, qui experies timoris viuunt, imò si quæ in hac vita securitas est, illa hi soli fruuntur. Vnde sapienter dixit S. BERNARDVS, *In veritate di-*

2. Corin. 4.

Bern. serm. *dini*

dicinil aquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram DEO inueniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo qui semper est pauidus. 54. in Cat. Prouer. 28.

CAPVT XVII.

Quatenus homo diffidens sibi, omnibus q̃ creaturis possit fiduciam collocare in operibus bonis, & intercessione sanctorum.

DIVINAE scripturæ sententiæ & dogmata, quia ab eodem auctore infallibilis veritatis, nimirum Deo, sunt profectæ, si rectè intelligãtur magnam habent inter se consensionẽ. Pari ratione habet & doctrina hactenus à nobis ex scripturis tradita; etiamsi quædam sententiæ in speciem illi repugnare videantur, vti videbimus. Sãcti Patres nunc docent omnem fiduciam à nobis collocandam in DEO, nunc aiunt in sola eius misericordia & clementia fidendum, & diffidendum nobis, viribusque nostris, & omnibus rebus creatis. Sic tradit sacra scriptura, sic canit Ecclesia alloquens deum in quadam oratione, *Familiam tuam, quæsu-*

Dom 5. post Ephiph.

mus Domine, continua pietate custodi, vt qua in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Et in alia oratione. Adesto, Domine supplicationib⁹ nostris, vt qui nostræ iustitiæ fiduciã nõ habemus, eius qui tibi placuit precib⁹ adiuuemur. Deinde cũ dicit scriptura. *in me tantũ auxiliũ suum*: cũ monet Psalmista, *ne confidamus in filijs hominum*: cum Isaias & Ieremias prophetæ sancti loquuntur de pœnis, quibus affligit Deus confidentes in semetipsis: cum S. Paulus hortatur, vt spem collocemus omnem in Deo viuo, quid aliud volunt, quàm omnem fiduciam in solo Deo defigendam?

Ose. 13.
Psal 145.
Isa. 30.
Hier. 17.
1. Tim. 26.

CÆTERVM alibi eadem diuina Scriptura docet opera bona iustorum esse digna vita æterna, & per illa speradam esse beatitudinẽ nostrã, sic prosus, vt spes nostra inanis sit futura, si sus quã per talia media illã sperarem? Ecclesia quoque à spiritu sancto docta hortatur nos, vt cõmendemus nos orationibus sanctorũ, tã in cœlo, quàm in terra degẽtiũ. Quæ certè fieri nequeũt nisi aliquo modo cõfidamus & in bo-

nis

nis operibus, & Sãctorum meritis. RESPONDEO, opera bona duobus modis considerari posse: semel, vt sunt propria hominis, & à libera eius voluntate profecta. quo sensu nequaquam fas est nobis in illis fidere. & eodem sensu arguit S. Paulus eos qui in suis operibus cõfidũt & de ijsdem gloriãtur Et Christus inutiles appellat seruos eriãsi fecerint omnia quæ illis sunt præcepta. Itetenũ possunt cõsiderari opera bona, quatenus à diuina gratia sũt profecta, per quã Spiritus sanctus habitare dicitur in iustorũ cordibus; & quatenus cõmunionẽ habẽt cũ meritis Christi. Iusti. n. qui opera illa faciunt sunt vina Christi mẽbra. Deniq; quatenꝰ sũt dona Dei, & sine diuino eius auxilio nõ fiunt. Et hoc sẽsu dicimus nos debere primò & principaliter cõfidere in Deo. secũdariò autẽ in nostris bonis operibꝰ, sicut fecit S. Paulꝰ dicẽs. *Bonũ certamẽ certaui, cursũ cõsummaui, fidẽ seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et alibi. *Qui reddit vnicuiq; secundum opera eius.* Eodem modo possumus iustos duobus modis cõsiderare.

Rom 9 & 11. Luc. 17.

S. Tho. 22. q 23. a. 1. ad 3. Vega in C. Trid. l. 15. c. 18 & de Iustif. q 4.

2. Tim 4.

Rom 2. Psalm. 16.

Primo, vt sunt homines, & secundum facultates eorum naturales, & hoc modo non confidimus in illis, imò maledictus dicitur apud prophetam, qui

Ieremi. 17. hoc sensu in homine confidit. Secundo, quatenus sunt amici DEI, & gratiæ gloriæq; diuinę participes; & hoc modo principaliter quidem in Dei misericordia, secundariò verò confidere possumus in sanctis iam in cęlo regnantibus, & in iustis adhuc in terra degentibus.

QVANQVAM & hoc diligenter notandum est, confidere in bonis operi-

Veg. in C Trid. c. 16. bus, quatenus à gratia DEI manant, & dona Dei sunt, atque item confidere in sanctis, vt sunt amici Dei, vel quia DEVS illis tanquam instrumentis vtitur in nobis iuuandis, est confidere in ipso DEO, eiusque subsidijs, quare & salua ac illibata manent dicta diuinæ scripturæ antè illata, quibus asseretur, in solo Deo fiduciam collocãdam, non in rebus creatis. Sicut enim qui homines amant purè propter Deum, & in creaturis lętantur propter Deum, dicuntur verè amare solum DEVM; sic dum confidimus in re creata, quatenus

tenus est à Deo mota, vel instrumentum Dei, verè dicimur in solo Deo cõfidere.

ADHÆC sapientes viri & spiritu Dei afflati monent: quamuis modo iã dicto licitum sit fiduciam ponere in operibus bonis, quæ in gratia Dei facta esse probabili coniectura arbitramur, securius tamen esse ad effugiendam omnem superbiæ speciem, & ad promerendam vberiorem Dei misericordiam, omnium obliuisci meritorum atque integrè omnem fiduciam collocare in mera Dei pietate & clementia, ac CHRISTI Domini nostri meritis. Sic enim & Ecclesia facit in quibusdam orationib. Nam in Canone Missæ his vtitur verbis. *Intra quorum sanctorum consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte.* Et in alia Oratione. *Placare, quæsumus, Domine, humilitatis nostræ precibus et hostijs: & vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidijs.* Quas phrases vsurpat Ecclesia proculdubio, non vt deroget iustorum meritis, quæ docet esse necessaria, & gloria æterna digna, sed vt indicet securius

Veg. in C. Trid. l. 15. ca. 18.

Dom. 2. ad. in secreta.

esse sectari humilitatem, & memoria bonorũ operum nostrorũ seposita, omnia reuocare ad diuinã pietatem & misericordiam, à qua profecta sunt omnia nostra bona & merita.

HANC doctrinã, quam hactenus tradidimus, ad cõplectendũ diffidentiam nostri, tradidit quoq; Cõcilium Tridẽtinum; quod, postquã declarauit bona opera iustorum virtute Christi esse vitæ æternæ meritoria, & iustitiam, qua iustus habet, etiam si sit iustitia ipsius, verè eius animæ inhærẽs, non esse ab ipso, sed à Deo per Christi merita, adiungit hæc verba: *Neq; verò illud omittendum quod licet bonis operibus in sacris literis tãta tribuantur: absit tamen, vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorũ velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

C. Trid. s. c. 16.

Quod diximus autem de operibus bonis in gratia factis, & de sanctis, possumus dicere de quocunq; medio humano, vt diffidamus de ijs quatenus ab industria humana sunt profecta, quatenus verò à Deo tanquam instrumenta

quædam

quædam sunt assumpta aliquo modo in ijs confidamus, quia hæc confidẽtia reuocatur ad eã quæ in solo Deo collocatur. Ratio huius doctrinæ est, quod spes, quæ vera virtus est, niti debeat fundamento solido, vt certò suum cõsequatur effectũ, & fiat, quod A postolus dicit, *Spes nõ confundit*, hoc est, non permittit hominem frustra aliquid spe rare: at omnia media humana, qua hominis sunt, nec firma sunt & stabilia, nec certam efficacitatem habent, speciatim in effectis tam sublimibus, vt in acquisitione solidarum virtutum, earumq; incremento. Itaque secundum hãc cõsiderationẽ nõ potest in illis cõfidere, vti dictũ est. Hoc enim, inquit S Augustinus, esset confidere in mendacio & vanitate, & maledictioni Dei se subijcere. *Omnis enim homo*, teste scriptura, *mendax*. Quatenus vero Deus vtitur medijs humanis tãquam instrumentis ad operandum nostram salutem, magnam soliditatem habent & efficaciam: eosque effectus certò cõsequuntur, ad quos Deus illa ordinârit, & hac ratione possumus in ijsdem fiduciam collocare.

Rom. 5.

Aug. in ps. 36. & ep. 52 psal. 30. Psal. 115. Eccl. 1.

VNDE

3. Tho. 22. q. 25. a. 1. Bann. 22. q. 18. a 4. Vnde disertè S. THOMAS scribit; nõ vituperari eos, qui confidunt in hominibus tanquam Dei instrumentis & ministris. Vbi notandum est, non solũ iustos, sed etiam peccatores diuina gratia destitutos posse eiusmodi fiduciam vsurpare, hoc est, verè confidere, quod beneficio bonorum operum, quæ diuina opitulante gratia fecerunt, liberãdi sint à multis malis, & parandi per pœnitentiam ad obtinendam remissionem peccatorum, & gratiam amissam recuperandam. *S. Tho. in 4. dist. 15. q 1. a. 3. q. 4.* Cuius ratio est, quod æquè peccatoribus ac iustis, vt promissa, ita etiam parata sint auxilia diuina, si ad Deum conuerti voluerint.

HÆC ergo sit huius tractatus conclusio, vt si veras & solidas virtutes assequi velimus, & in earum studio indies proficere, ac salutem æternam promereri, ex animo nobis ipsis, nostrisq; viribus diffidamus, omnemque fiduciam deinceps in omnipotentiam misericordiamque Dei, ac merita Christi Domini nostri conijciamus: quæ nobis nunquam subtrahẽtur, si diuinum auxilium orationibus, bonorumque operum exercitijs impetremus. Hæc enim

enim est voluntas Dei, sanctificatio nostra. Et hoc est quod vult Deus, omnes saluos fieri, & neminem perire. Hoc auxilium diuinum efficaciam præbere debet omnibus conatibus & operibus nostris, hoc per quod uis medium operari potest salutem nostram, hoc in omnibus precibus & actionibus nostris imploramus dicentes cum regio propheta Dauid. *Leuaui oculos meos in montes*, hoc est, in cœlum, *vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.*

1. *Thes.* 4. 1. *Tim.* 2. *Psalm.* 120.

TRA-

TRACTATVS DE MORTIFICATIONE PROPRIAE VOLVNTATIS,

Passionumq; animi, & omnium inordinatarum cupiditatum carnis.

PROOEMIVM.

QVONIAM ad perfectionem vitæ Christianæ consequendã saluberrima, imò necessaria est MORTIFICATIONIS exercitatio, constituimus in hoc Tractatu primò exponere, quid sit Mortificatio, quę eius vtilitates, & quibus de causis studiũ mortificãdi cuique nostrum debeat esse commendatum. Deinde quibus in rebus mortificare nos debeamus, quibusque medijs, & qua discretione & moderatione vti. Etsi verò materiæ huius magna sit vbertas & prolixitas, more tamen nostro breuissimè ad certa capita eam reuocabimus, eoque ordine & methodo declarabimus, vt quiuis congruenter suo sta-

tui

tui, siue sæcularis sit, siue religiosus maximum inde fructū colligere possit.

PARS PRIMA.

IN QVA EXPONITVR FInis, quem Mortificationis studiosus propositum habere debet, & rationes ac vtilitates, ob quas hoc studium cuique commendatum esse debeat.

CAPVT I.

Quid sit Mortificatio, & quis dicatur homo mortificatus.

MORTIFICARE rem aliquā, est adimere ei suam vitam: vnde si intellexerimus quid in homine sit vita, nō latebit quid sit mortificatio. Habet homo duplicē vitā. Vnā naturalē, quatenus homo est, & animā, quæ est principiū vitæ, habet corpori coniūctā: nā vt Aristoteles loquitur, *inviuētibus idē est esse, quod viuere.* Alteram verò moralē, quæ consistit in actionibus liberis hominis, siue internis siue externis; quo sensu dicimus, eius,

Arist. l. 2. de anima. S. Th. 22. q. 17. a. 1. & 2.

eius, qui ex actione aliqua magnam capit voluptatem, verbi causa, ex venatione, vitam esse venari. Sicut ergo tollere homini vitam & esse naturale, est eum occidere, sic tollere ei vitam moralem, easque actiones, ex quibus magnam capit voluptatem, est illum mortificare. ac proinde quando homo spõte sibi hanc voluptatem subtrahit, dicimus eum se mortificare: & similiter cùm abstinet ab actionibus liberis natura & genere vitiosis, legique diuinæ contrarijs, dicitur mortificare hæc vel illa vitia, vel mori vitijs & delictis. Vn-

Col 3. de S. Paulus *Mortificate*, inquit, *mẽbra vestra, quæ sunt super terram*, hoc est, quæ pertinent ad vitam terrenam, *fornicationem, immũditiam, libidinẽ, concupiscentiam malam, & auaritiam.* Quemadmodum enim omnia mẽbra naturalia animæ coniuncta faciũt corpus naturale, ita omnia peccata, secundum Apostolum, faciunt vnum corpus peccati, sic vt quodlibet peccatum fit vnum quasi membrum. Vult ergò vt singula gladio pœnitentiæ abscindamus, donec totum corpus peccati destruatur & moriatur, sicut loquitur ad Ro-

Romanos. *Hoc scientis*, inquiens, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato.* Quorum verborum sensus est. CHRISTVM morte sua peccatum occidisse & sustulisse, vt per pœnitentiam eam nobis proficuam & salutarem reddentes ab omni quoque peccato liberemur. Qua significatione mortificationis admodū fusa & larga si vtamur, cuiq; virtuti, qua aliquod vitiū depellitur, attribuere poterimus nomēclaturā mortificationis.

CAETERVM: sunt aliæ actiones hominis liberę inclinationi naturali consentaneæ, nec tamen vitiosæ, vt comedere, bibere, dormire: dolores, contemptum, vituperia in rebus, quæ sub pręceptum non cadunt, fugere, recreationibus item honestis & moderatis vti, & commodā quædam ac solatia corporis, quæ superuacanea verè nō sint, amplecti: à quibus homo si sponte & voluntariè se abstineat, hoc est, si aliquid de licito cibo, potu, somno, recreatione, alijsque corporis commodis detrahat, tum propriè secundum sacræ scripturæ & S. Patrum doctrinam se

dicitur.

dicitur mortificare. Quomodo se mortificauit B. Apostolus, cum scripsit. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo,* castigabat enim abstinentia à cibo, & inflictione verberum, alijsque modis. 1. Cor. 9.

De eadem mortificatione sic loquitur ad Galatas. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs,* id est. qui sunt mẽbra viua Christi, sese affligunt, multa licita solatia & commoda carni adimẽdo, imò eam laboribus & pœnis subigendo, vnde fit vt & vitia omnesque eius cupiditates refrenent. Gal. 5.

Ad Corinthios quoq;, *Semper,* inquit, *mortificationem* IESV *in corpore nostro circumferimus.* hoc est, ad imitandum Christum semper affligimus corpora nostra iciunijs, laboribus, & pœnis voluntarijs, sponteq; ad illas nos offerimus, *vt & vita Iesu,* inquit Apostolus, *manifestetur in corporibus nostris.* Christus enim, postquam multa passus esset, in corpore glorioso resurrexit. 2. Cor. 4.

MERITO autẽ mortificationis & mortis moralis nomen obtinuit, actio qua cupiditates carnis refrenamus, & propriã voluntatẽ alienæ subijcimus; nã sicut

sicut homo mortuus nō mouetur, nisi motus ab alio: sic seruus Dei mortificatus non sua sed aliena maiorū suorū & Dei voluntate mouetur. Et sicut corpus mortuum, siue contumelijs, siue laudibus afficiatur, nullum indicium doloris vel gaudij præbet: sic homo Dei verè mortificatus, quamuis multis iniurijs & plagis impetatur, summa mansuetudine & patientia omnia tolerat, non secus quàm si omni sensu destitutus esset, imò aliquando ex illis magnam animo capit voluptatem.

Hoc Mortificationis sanctæ exercitiū, quoniā ad ducēdā vitā Christiano homine dignā apprimè erat necessarium, idcircò efficaciter in diuinis litteris nobis, licet sub diuersis vocabulis, est cōmendatū. Id enim primò nobis cōmēdat voce Ieiunij: &. si. n. ieiuniū quandoque vsurpetur pro sola abstinentia à cibis, quæ vna est mortificationis portio, tamen aliâs cōprehendit omnem carnis castigationē, quæ fit abstinentia à cibis vel potu, ciliciis, disciplinis, tolerantia æstus & frigoris, duritia lecti, aliisq; corporis asperitatib. Quo sēsu in

persona

Ioel. 2. persona Dei Ioel. *Conuertimini, inquit, ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Nomine enim ieiunij intellexit omnes externas pœnitentias, quas fideles facere solent ad satisfaciendum pro suis peccatis. Eodem sensu Esdras ait, se prædicationem *1. Esdr. c. 8.* sua populo persuasisse, vt per ieiunium se affligerent coram Domino, quo reddem è Babylone liberati ad sua redire possent. Quo tempore non solùm ieiudia, sed etiam cilicijs, humi cubationibus, sacceo vestitu, & cinerum aspersione affligebant. Ita exponit alicubi S. Au- *Aug. l. de perf. instit. respon. 17.* GVSTINVS: cum ait, *ieiunio vniuersum corporis castigationem significari, sicut elemosynis omnis beneuolentia, & beneficentia, & oratione omnes regulæ sanctæ desiderij insinuantur.* Quam doctrinam secuti Theologi, omnia bona opera ad tria genera, ieiunium, orationem & elemosynam, quibus Deo de peccatis satisfaceremus, reuocârunt.

Hoc mortificationis exercitium quotproprium est sanctorum, qui vehementer abhorrent à peccatis, & aliud nihil laborant, quàm vt diuinæ voluntati in omnibus obsequantur. Vnde B. GRE-

GORIVS

GORIVS agens de sancto quodam sacerdote, qui ad tuendam castitatē omnibus fœminis etiam pijs & religiosis aditum ad ædes suas negabat; *Habent quippe*, inquit, *sancti viri hoc proprium, vt quo semper ab illicitis longè sint, à seplerumq; etiam licita abscindant.* Declarat idem B. Augustinus egregiè his verbis. *Peccata leuia*, inquiens, *quanto in rebus licitis, & à Deo concessis frequenter hominibus surrepunt, & quanto magis fortioribus cibis corpus impletur, & carnalibus cor hominis actibus affectibusq; implicatur, tanto frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur. Propterea humiles serui Christi, qui cupiunt Domino suo sine impedimento absq; animi noxia cogitatione seruire, coniugia omninò non appetunt; & à carnibus & vino abstinent, inquātum corporis valetudo permittit, non quia peccatum est aut coniugem habere, aut vinum carnesue percipere, sed quia mundioris vitæ instituta sectantur, & corpora castigare volunt.* *Greg. l. 4. dial. c. 11.* *Aug. l. de fide ad Petrū. c. 3 14. 42.*

Et quanquam omnium seruorum Dei proprium sit hoc mortificationis genus, quo licita abscinduntur, ne la- *Rich. in libris de Cōtemplat.*

pſus facilior ſit ad illicita, tamẽ in illos maximè conuenit qui orationi mentali vacant, & magno ſtudio ad Chriſti anę perfectionis culmẽ cõtendũt, quẽ admodũ diuinus ille Richardus de S. Victore benè notauit, dũ ait: *voluntatem noſtram nunquam perfectè deſiderio bonorũ cœleſtium inflammari poſſe, nec intellectum noſtrum rerũ diuinarũ contemplatione plenè poſſe illuſtrari & purgari, niſi diligentes ſimus in reprimẽdis commodis et cupiditatibus corporis & iam licitis & neceſſarijs.*

Nec latuit hæc virtus ſapientiſſimos quosq; gentil. & Socratem, Platonẽ alioſq;, quos ſecutus M. Tullius Cicero ita loquitur: *Tota Philoſophorum vita,* Cic. lib. 1. Tuſculã. q. *vt ait idem Plato, commentatio mortis eſt. nam quid aliud agimus, cum à voluptate, id eſt, à corpore, cum à re familiari, quæ eſt famula & miniſtra corporis, cũ à Republica, cũ à negotio ſeiungimus animũ, quid inquam, tam agimus, niſi animũ ad ſeipsũ aduocamus? ſicũ à ſe cogimus? Secernere autẽ animũ à corpore, nequicquã aliud eſt, quã emori diſcere. Quare hoc cõmẽtemur, addit, mihi crede, diſiũgamus q; nos à corporibus, id eſt, cõſueſcamus mori. Hoc & dũ vi-*

mus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile. Et cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorũ. Hucusq; Tullius. Vnde liquet, quã rationi naturali cõforme sit mortificationis exercitiũ, quãtaq; sit Euãgelicæ veritatis maiestas, cũ maximũ, adq; Philosophi ingenij sagacitate peruenerũt sit instar minimæ vmbræ, si cõparetur cũ copiosissima luce, qua nos per Christũ in hac materia illustrati sumus. Quare & ampliores gratias Deo opt. Max. debemus pro tãto beneficio, q; mysteriũ hoc per fidei doctrinã tã perspicuè, tãque infallibili certitudine didicerimꝰ.

CAPVT II.

De nominibus varijs, quibus mortificatio in diuinis litteris commendatur.

Diuinæ scripturę cõsuetudo est, vnã eãdẽq; rẽ, si admodũ salutaris sit & necessaria ad salutẽ, multis varijsq; appellare nominibꝰ: itaq; & mortificationis virtutẽ, quã cõstat esse vtilissimã & saluberrimã nõ vno nomine expressit. Nã vt omittã nomẽ ieiunij, de quo iã dictũ est, vocat eã primò *Odiũ suiipsius.* Ioan. 12. q; Christꝰ nobis cõmẽdauit illis verbis. *Qui odit animã suã in hoc mũdo, in vitã æternã custodit eã.* Vbi animã Christꝰ

partem inferiorem hominis sentientē, ipsamque vitam carnalem, ex vnione animæ cum corpore resultantem. Hāc ergo animam qui odit, non quoad naturā, quæ bona est, sed quoad carnales & vitiosos affectus, eam in vitam æternam custodit. Qui odit aliquem, ei negat bonum, quod vellet, & malum cōfert, quod nollet. Sic, qui odit partem sentiētem & carnalem, quæ omnium prauarum cupiditatum seminariū est, negat illi commoda & voluptates carnales, quas inordinatè expetit, subtrahendo cibum, ludos, recreationes, cāp castigat cilicijs, disciplinis, alijsque pœnis, quas naturaliter odit. Et quoniam hac sancta exercitatione homo pœnitentiam agens animam purgat à vitijs, & locupletat virtutibus & vitæ æternæ meritis, non modò quoad partem intelligentem, sed etiam sentientem ipsius corporis, quod resuscitabitur glorioſum, idcircò Dominus dicit, eū, qui in hunc modum odit vitam suam, custodire eā pro vita æterna, hoc est, tāto afficere bono, quo maius in hac vita dari non potest.

SECVNDO eam appellat *Abnegationem*

tionem, vt cum Christus dixit. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsũ, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Luc. 9. Iũ abnegamus aliquem, cum abillo nos separamus, eum nihil facimus, eiusque voluntati parere nolumus. Abnegat ergo semetipsum secundum dictum Christi, qui propriæ voluntati, sua tantùm commoda quærenti, & parti animę sentienti, quæ tantùm sectatur quæ carni placent, omninò renuntiat, ac ideo nec prosperis rebus carni cedẽtibus exultat, nec aduersis deijcitur, sed tantùm laborat, vt diuinæ voluntati obsequatur, vt benè declarat B. Basilius. *Abnegatio sui*, in quiens, *aliud non est, quàm praterita vitæ obliuio, & propriarum cupiditatũ depulsio.* Obliuionem appellat omniũ rerum mundanarum contemptum: ipsa autem cupiditatum propriarũ depulsio vel compressio nõ est aliud, quã ipsa mortificatio. Basi in reg. fus disp. quæst.

VOCAT deinde *Crucẽ*, secundùm illud dictum Christi. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, nõ est me dignus* Sed duplex est crux: Vna, quæ conficitur ex materia mortua ligni, vel Matth. 10.

metalli, quæ est effigies sãctissimæ crucis. Hãc deferre & venerari tãquã imaginem Christi in ea crucifixi, nõ est illi Christiano admodum difficile, & ideo nũc de hac cruce sermo nõ est. Alia est ergo crux viua, hoc est, quæ in materiã viuã, nempe carnem & animã nostrã imprimitur, quæ cõsistit in perferendis rebus asperioribus, ad imitandum Christum saluatorem, & hæc nomine mortificationis cõtinetur. Verùm notãdum est hanc crucẽ nonnũquã prorsus esse inuoluntariã, & tunc ea homo nõ se mortificat, sed potius ab alio mortificatur, nec tũc accipit crucẽ, sed potius fugit. Quãdo autẽ volũtaria est, hoc est, quãdo homo spõtè in se suscipit, q̃ inclinationi naturali sũt aduersa, vt patientias & opera caritatis, in quibus est opus esse labore & patiẽtia, tũc verè mortificat se, & crucẽ amplectitur. Eòdẽ pertinent morbi à causa etiã naturali orti, cõtumelię, iniurię, verbera ab inimicis illata, si illa æquo animo tolerẽtur, tanquã è manu Dei profecta, qui primus est omniũ malorũ penè auctor. Meritò autem mortificatio nomẽ crucis sibi vẽdicat; Quemadmodũ enim crucifixus

fixus

fixus non potest nec manus, nec pedes mouere; sic qui se mortificat, nō potest commouere sensus, aliasque facultates partis sentiētis, secundū illius partis cupiditates, sed tātùm secundum voluntatē Dei, præceptorūq; & consiliorum diuinorū. Atq; hoc est quod Paulus ipse de se cōfitetur dicens: *Christo confixus sum cruci*; hoc est, ad imitationē & similitudinē Christi. Vnde mox subijcit. *Viuo ego, iā nō ego, viuit verò in me Christus*. neq; enim in desiderijs & actionib suis exercēdis cupiditates suas, sed solā Christi voluntatē ducē sequebatur. Gala.

Mortificationis quoque necessitatē Christus expressit nomine violentiæ dicens: *Regnum cælorū vim patitur, & violenti rapiūt illud*. Violentiā inferre alicui, est facere cōtra inclinationē eius naturalem, vt cū saxum projcitur sursum, aut aduerso flumine nauigatur. Natura nostra per peccatum corrupta aspirat ad honores & voluptates: si quis ergò eam ad contemptum sui, & dura perferenda inflectat, vim ei inferre dicitur. Quēadmodū autē causa naturalis, si ab homine contra inclinationem naturalē moueatur, dicitur vim passa: Matt. 11.

secus, si à Deo. (omnes enim res creatæ præter inclinationem particulare, vendicant sibi aliam quādam aptitudinē, quam vocant, potentiam obedientialem, qua sponte parēt imperio sui creatoris, vti paruit olim mare rubrum & Iordanis in transitu filiorum Israel) sic mortificationis exercitium, si respiciamus ad inclinationem naturę corruptæ hominis, violentum quidem dici poterit, sed non item, si ad voluntatem liberam eiusdem cum voluntate & cōsilio diuino se conformantem. tunc enim consentit cum inclinatione supernaturali vnctione gratiæ spiritus sancti animo indita, quæ facit, vt sine difficultate, imò cum gaudio sustineat ea quæ naturę erant difficillima. Id significauit Isaias propheta, cum vaticinatus de Christo dixit. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Mons hic Christus est, sanctitate omnique virtute ornatissimus supra omnes sanctos, ad quem conuertendæ erant omnes gentes, sicut reuera cōuersæ sunt omnes præcipuę nationes mū-

Isa 2.

di

di hactenus cogniti, & porrò conuertentur, quæ recētèr innotuerunt. Dum ait, montem eminere in vertice montium, indicat non sine violentia & labore patêre aditum ad superandum eius culmen; fidem q; Christianam coli & mandata diuina perfectè custodiri non posse, nisi vim naturali inclinationi inferamus. Dum autem addit, omnes gentes instar fluminum fluxuras ad eum, significat, qua facilitate & suauitate, nempe à diuina gratia impulsæ, sint montem conscensuræ.

PRÆTER hæc nomina diuina scriptura tribuit mortificationi etiam appellationem spiritualis circumcisionis; vt apud Ieremiam, dum ait. *Hæc dicit Dominus viro Iuda, & Hierusalem Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda & habitatores Hierusalem.* In circumcisione abscindebatur particula carnis penè superflua, & ad vitam humanam parum necessaria, idq; fiebat tantùm in lege veteri ex mandato Dei. At in mortificatione, non solùm à corde humano rescinditur, quod est superfluum sed etiam quod est quodam-

Ier. 4.

modo necessarium, nec enim tantùm homo per eam priuat se illicitis, sed etiam licitis, & quasi necessarijs, ad id diuina voluntate & consilio permotus. Hæc enim circumcisio est cordis & spiritus, cuius, vt loquitur Apostolus, *laus non ex hominibus sed ex Deo est* Hęc de nominibus Mortificationis sufficiant: restat, vt afferamus rationes quibus efficaciter hoc exercitium nobis persuaderi queat.

Rom. 2.

CAPVT. III.

Quàm gratum sit Deo exercitium mortificationis.

MVltæ, eęq; grauissimę rationes sũt, quæ hominem cõmouere possunt, ad cupidèamplectẽdũ Mortificationis propriè dictę exercitiũ. Prima & principalis est, quòd Deo sit multò gratissimũ. Etsi enim Deus non amet pœnas nostras, qua pœnæ sunt, amat tamen, qua nobis sunt salutares, & ad gloriam diuinæ maiestatis promouendã conducunt. Et quãuis mortificatio sit afflictio spontè ab homine susceptą,

suscepta, tamen hoc Deo amplius placer, quo certius nouit fructus eius ineffabiles esse sapientissimo diuinæ iustitiæ suæ, misericordiæque ordini cõformiores. Erat filius dei ab omni æternitate in sinu patris, & æterna sapientia existens probè nôrat, quæ opera Deo essent gratissima. Quia ergo secundum diuinitatis suæ maiestatem, qua æqualis erat cœlesti suo patri, non poterat alicui afflictioni obnoxius esse, è regali solio in hunc mundum descendit, & naturam humanam, vt hoc exemplo gratissimam rem faceret æterno Patri, assumpsit, eamque & ab omnibus voluptatibus, ad quas natura alioquin propendebat, & à gloria, quæ corpori debebatur, continere se voluit, imò omni afflictionum & cruciatuum incomparabilium generi subijcere. S. Tho. p. 3. q 45. a. 2. Catet. ibi.

IN hunc modum mortificauit se filius Dei, eiusque mortificatio fuit, vt eam appellat S. Paulus, quod voluntariè pro nobis sit passus. Qua mortificatione, nullum vnquam opus Deo gratius, aut factum est, aut fieri potuit. Et quanquam quouis opere 2. Cor. 4.

vel etiam verbo infinitè gratus Deo fuerit, tamen non satis habuit eas actiones exercere, quæ ratione personæ eum infinitè gratum facerent, sed etiã quæ genere suo & natura omnibus numeris essent absolutissimæ: Et rursum, licet omnibus actionibus suis itã diulnam placârit, nosque Deo reconciliârit, tamẽ ἀντονομαστικῶς totum hunc effectum adscribimus ei actioni, qua sacratissimæ naturæ suæ inclinationem naturalem maximè mortificauit, nempe passioni cõtumeliosissimæ crucis. Quãuis enim cæterorum hominum more nullas inordinatas & à ratione discrepantes inclinationes mortificandas habuerit, habuit tamen illam, qũa quisque refugit pœnas & dolores, & studio vitæ conseruandæ tenetur. Cùm ergo ipse Dei filius ad placendum magis æterno patri acceptissimum hoc mortificationis genus elegerit, liquidissimè apparet mortificationis studium nobis debere esse cõmendatissimum.

S. Tho. 3. p. q. 40. a. 3. & 6. & q. 48. a. 1.

INTER creaturas omnes, post sacratissimam Christi humanitatẽ, nulla Deo carior fuit Beatissima Virgine MA-

MARIA, benedicta eius matre; quæ etiamsi vitiosas animi vel corporis perturbationes non habuerit mortificandas, habuit tamen alias, nempe naturalem propensionem ad quietem terrenam, & possessionem pacificam boni infiniti, quod ex visceribus suis purissimis protulit, nempe filium suũ vnigenitum. Et hanc æternus Deus mortificari voluit à B. Virgine; vt cùm iussit eam patrio solo deserto in terra peregrina exulare, cùm indicauit ei ab ipso Herode filium quæri ad cædem, cum deniq́ue filium ab eius consuetudine & conuictu, sine vlla antegressa admonitione, diuulsit, atque alia multa fecit, quæ & dura & acerba esse potuerunt; quæ omnia idcirco accidêre, vt illa hac exercitatione sponte̅ susceptâ in maiori gratia apud Deum poneretur, & ampliorem sublimiorẽq́ue in futuro seculo mereretur gloriam. Si quando cuipiam aliquid admodum gratum & iucundum eueniat, non potest se continere, quin amicos sui gaudij participes faciat, sicut fecit Pastor Euangelicus, qui inuenta oue perdita, conuocauit amicos vt sibi congratula- Luc. 15.

3.Reg.21. rentur. Sic facit & Deus, quãdo nos ex animo mortificam⁹. Grauissimè Deũ offenderat rex Achab gemino crimine idololatriæ & homicidij. Elias hominẽ monet, quãmagna eum maneãt apud Deũ supplicia. Ille monitis dãs locũ ad auertẽdam diuinã indignationẽ, mox cũ ingẽti dolore de peccatis veræ mortificationi se dedit, regias & pretiosas vestes, quibus vti solebat ad fastũ & delitias, discerpit, cilicio aspero carnẽ affligit, remota lectimollitie, in vili saccocubat, corpus fame remotis mẽsarũ lautitijs & inedia discruciat, atq; oculis in terrã directis humillimè incedit. Quæ mortificatio tantoperè oculis diuinis placuit, vt nõ solũ irã omnẽ confestim posuerit: verũ etiã, vt amicos gaudij sui participes redderet, aduocãrit magnũ

Ibid. seruũ suã Eliã, eiq; dicit. *Nonne vidisti humiliatũ Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, nõ inducã malũ in diebus eius.* quasi diceret. Cõgratulere mihi Elia, pacatus sũ pœnitẽtia Achab, nec amplius cogito de eo puniẽdo. Quod si quis obijciat; illã pœnitentiã Achab simulatã fuisse, nõ veram, vt nõnulli existimãt, hoc clarius apparet, quàm

quã sit Deo grata mortificatio: si enim Deo placuit mortificatio illa externa & imperfecta in peccatore nõdũ penitus & ex toto corde cõuerso, quantum placebit mortificatio hominis iusti, cuius persona Deo grata est & accepta?

Adhæc nõ dubiũ est, id valdè gratũ esse alicui, quod solet admirari plurimũ & laudare. Tã autẽ videmus Christum & Euangelistas, dum S. Ioannẽ Baptistam veris laudibus ornare conantur, eum collaudasse ab insigni sui mortificatione: vt quod deserta paterna domorũbisq; delicijs concessit in eremũ, vbi domicilij vice ei erãt ferarũ cauernæ, lecti solum durum, victus exãgues locustæ, vestis ciliciũ ex pilis camelorũ, & viles bestiarum pelles. Hic enim habitus cultorem eremi & pænitentię prædicatorem decebat. S. *Ioannes*, inquit, B. Chrysostomus, *domo, lecto, mẽsa, alijsq; similibus rebus destitutus, angelus erat in carne mortali. Pilis camelorum indutus incedebat, vt hoc vestitu homines doceret mundi contemptũ, humilitatem verã, & amorẽ aduersitatũ omniũ.* dẽ indicauit Christus, quando discipulis suis negauit ea, quę homines natu-

hom. 10. in Matth.

Matth. 11.

naturaliter desiderant, vt cum eos in ciuitates & castella Israelitica dimisit sine auro & argento, & sine pera vel sacco, ne comeatum ferre possēt de vno loco in alium; deinde, cum iussit, vt nec calceamenta ferrent, licet pedibus iter faciendum esset, neque vlla arma ad sui defensionem, imò nec baculum ad leuandam fatigationem, sed nec duo indusia, ad abstergendum sudores. In his & similibus voluit Christus vt se mortificarent Apostoli, quo paulatim ad maiora perferenda parārētur, quæ post acceptum in die Pentecostes spiritum sanctum, cum maior gratia mortificādi spiritum in illis adauxisset, pertulerunt.

Clem. l. 7. recogn. S. Petrus, vt de eo scribit B. Clemens, non victitabat, nisi pane, oliuis & herbis, vestéque vtebatur, quæ corpus obtegeret, & pallio. S. Iacobus Hierosolymorum Episcopus, autore Egesippo, & S. Hieronymo, non vescebatur carnibus aut piscibus; vino quoque & ceruisia abstinebat, & tunicam nūquā mutabat. His alijsq; modis mortificabant se Apostoli Christi, & contemptis omnibus mundi voluptatibus, carnisq;

Euseb. h. Eccl. l. 2. c. 1. Hier. de scrip. Eccl.

carnisque delicijs, fame, siti, & nuditate se affligebant, noctes multis vigilijs & orationibus, dies laboribus & sudoribus transigebant, & vltrò se ad grauissima quæque pro Christo perferenda, adeoque mortem ipsam, cum gaudio & exultatione offerebant. Id confitetur B. Paulus in sua, aliorumque Apostolorum persona dicens. *Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus, et nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Cur autem tam fortiter Apostoli pugnauerint contra naturam, naturalesque eius cupiditates, non alia fuit causa, quàm quod scirent hanc sui victoriam Deo, quem summè amabant, esse gratissimam. 1. Cor. 4.

Ita non obscurè idem docet Apostolus. *Quia, inquiens, propter te morificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eũ, qui dilexit nos.* Quod autem Rom. 8.

autem maius bonum contingere nobis potest, quàm vt simus grati illi, qui tantoperè nos dilexit? Et quoniam qui gratus alteri est, etiã aliquam ei affert voluptatem, nõ dubium est, quin mortificationis studio voluptatem aliquã Deo afferamus, quemadmodum notauit B. GREGORIVS.

Greg l. 8. mor. c. 15.

CAPVT IV.

Plurimum placere Deo mortificãdi studium etiam in rebus paruis, et idcirco id conuenire etiam perfectis.

PRæter hæc testimonia, quibus Christus declarauit sibi pergratũ esse mortificãdi studium, suppetunt & alia sanè admiranda, ac imprimis illud, quod multas sãctas animas, quas diuinitus aliquãdò nulla humano magisterio adhibito, instruxit in sãctissimis fidei mysterijs, in hac quoque virtute instruxerit. Fuit olim in Maximiãi Christianorũ immanissimi persecutoris palatio fœmina illustrissima & pulchertima, nomine Domna, quatuor supra viginti annos nata, gentilitijs Deorũ sacrificijs præfecta. Hæc vbi lectione epistolarum Apostoli Pauli, Actuumq; Apostolicorũ, diuino aspirante

Surius in Decem.

rante numine, veram lucem aspexit, sacris tingi aquis petijt: quibus tincta tãto mortificandi sui spiritu accẽsa est, vt omnibus gemmis, thesauris, & vestibus pretiosis in pauperes erogatis, solo arido pane deinceps vitam tolerâ rit, semel in die comederit, storea lecti locovsa fuerit; omnesque opes constituerit in vna cruce, in qua tanquam in imagine Christum Dominum venerabatur, & sacro vno codice, cuius lectione se quotidie pascebat. Hunc spiritum autẽ vsq; ad finẽ vitæ, donec pro Christo sanguinem profunderet, cõseruauit.

Idem euenit S. Leocritiæ, vt refert D. Aluarus in vita S. Eulogij. Erat hæc virgo filia cuiusdã Maurorũ principis, eo sæculo quo Mauri seruituti oppressam tenebãt Hispaniã. Cum autẽ Deus illi inspirasset, vt Christianæ legi & baptismo se subijceret, mox omnibus opibus abdicatis, cilicio se induit, corpusculũ acribus ieiunijs, vigilijsq; & orationibus assiduis diu noctuq; macerauit, & vsq; ad Martyrium in hoc mortificandi exercitio perseuerauit. Hunc mortificationis spiritum vnà cum fide

Deus

Deus inspirat eorũ cordibus qui toto pectore se ad eum conuertunt.

Verùm hic notãndum est, mortificationem, de qua loquimur, non solùm salutarem esse nobis, & Deo gratam, in rebus magnis, vt cum abstinemus ab ijs commodis & voluptatibus quas impensè amamus, aut carnem nostram grauibus pœnis castigamus, sed etiam in paruis & leuibus. In his enim homo & excellentius virtutis exemplum præbet, & plus seipsum abnegat, & magis diuinum amorem declarat, quàm in præstandis vel deuotionis vel misericordiæ operibus. Nã si minimum opus bonum, etiam calix aquæ frigidæ pauperi propter Chri-
Matth. 10. stum porrectus tanti meriti apud Deum est, vt sua mercede nõ careat, quãto plus placebit Deo eius studium, qui propter Deum se mortificat, abstinendo ab ijs, ad quæ naturaliter inclinatur, & sustinendo afflictiones, quas natura odit, quantumuis sint leues? Hæc doctrina præclarè ponderata est à religioso & sapiente viro Ludouico Blosio, dum ita scribit. *Nihil Deo gratius offerri potest resignatione propriæ voluntatis:*

tatis: quia homini nihil est carius ipsa voluntate & arbitrij libertate. Quan do quis propter Deum sensualitati, voluntatiq; propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam reuocaret. Affert deinde huius rei similitudinem hanc. Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illũ decerpere, sed melius deliberans, diceret sibiipsi. Dimitte eum propter Deum, alter verò nihil præmeditatus carperet florem, iste quidem simpliciter decerpendo non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quanta est distantia cæli à terra. Quod si Deus pro tantilla mortificatione tam grãdẽ meritum reddituri sumus, quantam illis reddituri est, qui se & omnia pro eius amore contemnunt atq; relinquunt? Asceta ergo frequenter dicat Deo intra se. Propter te Domine nolò illud videre, quum necesse non sit, vt ipsum videam: propter te nolo illud audire, nolò illud gustare, nolò illud odorari, nolo illud tangere. Ipse Deũ

Bloss. de interna voluntate & arbitrij libertate. Quaestit. Spir. c. 2.

Aug. l. 83. q. 36.

in

in fundo animæ suæ perfectè sentire non poterit, nisi in eo moriatur, quicquid inordinatum est. Hæc Blosius.

Res profectò cōsolationis plena, quæ merito inflammare nos oēs debeat, vt huic militiæ spirituali sub tanto Duce nomina demus, & bellum iuge ac perpetuum cupiditatibus nostris indicamus, quādoquidē iā cōstat, quàm leui victoria maximā nobis coronā quotidie in cœlo parare possimus. Certè ad roborādam magis imbecillitatem nostram voluit Dominus illustria quoq; huius rei nobis relinqui exēpla, vt est illud apud B. Gregorium de seculari quodā, religioso tamen viro, qui quotānis cōsueuerat inuisere S. Benedictū vt eius se precibus cōmendaret, idque faciebat ieiunus. Verùm cum aliquādo viator alius se comitem illi adiūxisset, qui eum semel, secundò, tertiò ad cibi aliquid sumendum, quem secum tulerat, inuitârat, tādem flexus sumpsit ac cum ad S. Benedictum peruenisset, is ei hoc factum improperauit, dicens: *Quid est frater, quod malignus hostis, qui tibi per conuiatorē tuū loquutus est, semel tibi persuadere nō potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, et tu ad*

L. 2. diul. cap. 3.

hoc, quod voluit, superauit? Tunc ille, inquit Gregorius, *reatum infirmæ suæ mẽtis cognoscẽs eius pedibus prouolutus tantò magis cœpit culpam deflere & erubescere, quantò se cognouit etiã absentem in Benedicti patris oculis deliquisse.* In quo exẽplo notãdum est, qutanum illius paruę mortificationis fuerit meritũ, cui tot insultus fecit dæmõ ꝑ illũ viatorem, quãq; Deus patefieri voluit S. Benedicto, ne sęcularis ille homo tãti boni in posterum iacturam faceret. Quamuis verò ex hoc exemplo satis liqueat, quantum sit in exigua etiam mortificatione operæ pretium, tamen clarius liquebit ex sequenti.

S. Petrus Damianus, Cardinalis doctissimus cõmemorat quẽdã Abbatẽ virũ religiosũ, aliquãdo iussisse sibi emi piscem, cuius edẽdi desiderio tenebatur; cũ autẽ iã coctus ad mẽsã eius allatus esset mendicũ ꝑ foribus magno studio petijsse sibi eleemosynæ loco porrigi ꝙ appositũ esset Abbati. Tum Abbatem, vt se mortificaret, assensisse, vt piscis vnà cũ scutella pauperi daretur: pauperem autem, vbi scutellam accepisset in conspectu præsentiũ à terra sublatum in cœlũ, nec amplius visum. *In appendice bibl. sacra.*

Quo facto Deus apertè declarauit, quã gratus sibi fuerit ille mortificationis & misericordiæ actus. Idcirco enim angelum tuum pauperis specie ad Abbatẽ illum misit, vt moneret eũ ad coercendum appetitum in eo quod cupidè desiderauerat; & ideò angelus, visibiliter ascendit in cœlum, vt indicaretur mortificationis, misericordiæque beneficio homines habitationem cœlestem promereri. Quod verò Deus visibiliter huic fecit Abbati, id inuisibiliter præstat omnibus, qui suo ori detrahũt cibos, ad quos afficiuntur, vt pauperibus Christi porrigant.

HINC sequitur mortificationis studium commendatum esse debere nõ solùm incipientibus, qui nondum magnos habent in virtute progressus, & perturbationibus animi necdum plenè imperare nõrunt, sed etiam perfectis: horum enim æquè ac illorum munus est, ijs actionibus virtutum operã dare; quæ cum grationes sint Deo, tũ etiam ampliorem promereantur gloriam. Scribit S IOANNES CLIMACHVS, in quodam celebri monasterio, se cum animaduerteret, sanctum

Cap. 4.

quen-

quendam monachum grauiter à superiore reprehendi in re cuius culpam nullam habebat, innocentiæ eius patrocinium suscepisse. Tum autem superiorem, qui erat prudentissimus, sibi respondisse. Non me latet, illū esse culpæ expertem, sed facti mei scopus fuit, illi hac increpatione & mortificatione præbere merendi materiam. Sicut enim crudeliter agit parens, qui panem infantis oti subtrahit, sic Prælatus, qui subditis suis, quando capaces sunt, reprehensionibus & alijs mortificationis generibus, subtrahit promerendi materiam. Atque huic rationi, quæ præcipua est, adiunxit aliam, qua declarat mortificandi exercitium esse commune omnium; nam, inquit, sicut terra licet fertilis, infructuosa redditur & syluestris, si non colatur, sic animus hominis pij, & in virtute perfecti, nisi quotidie mortificetur.

Quare nunquam mortificandi occasio, si quando vltrò se offerat, deserēda est; cupiditatibus carnis, & superuacaneis voluntatis nostræ desiderijs repugnando, aduersitates quoque, quas Deus nonnunquam immittit, patien-

ter suscipiendo, & voluntarias pœnas adiungēdo, vt perficiamus quod Apostolus à nobis exigit, hoc est, *vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum.* Vt offeratur aliquid Deo in sacrificium, illud necesse est occidi, nihil enim propriè sacrificij nomen obtinere potest, nisi mors vel mortis repræsentatio illud antecesserit. Martyres sancti sua corpora mortua offerebant Deo in holocaustum odoris suauissimi, hoc est, gratissimum, quantū poterant diuina gratia adiuti, sui operis virtute offerre. Sic qui se mortificant, offerunt corpora sua Deo quoad substantiā in sacrificium viuū, mortuū verò quoad inclinationes, & cupiditates inordinatas. Atq; ideo hoc sacrificium est species Martyrij occulti Dei gratissimi, vt pulchrè exponit S. Bernardus in illa verba Christi. *Qui perdiderit animam suam propter me, sinuniet eam. Perdet eam dixit, siue perdi vt martyr, siue affligendo vt pœnitens. Quanquam genus martyrij est, si facta carnis mortificare, illo nimirū genmembra cæduntur ferro, horrore*

Rom. 12.

Bern. Serm. 20. in Can. Matt. 16.

milius, sed diuturnitate molestius. Quibus verbis S. Bernardus perspicuè ostendit quanti facienda sit mortificatio, vt quæ etiam cum Martyrio meruerit comparari.

CAPVT V.

Quod exercitio mortificationis imitemur Christum.

AD complectendum mortificationis exercitium, non solùm permouere nos debet primarius eius finis, de quo hactenus egimus, vt videlicet simus Deo gratiores, sed etiam quod eo sanctissimam Christi D.N. vitā moresque exprimamus, & imitemur. Omne siquidem hominis Christiani bonū, perfectio, gloria, fructus, solatiumque consistit in imitando communi & supremo Domino, quemadmodum confitetur Ecclesiasticus his verbis. *Nihil melius est, quã timor Dei, & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Iam autem constat, vt alibi monuimus, vniuersam Domini vitam in carne mortali fuisse perpetuam crucem, & cõtinuam Eccl. 23.

am mortificationem: nam abomnibus mundi illecebris & delicijs abstinebat, nec à superfluis modò, sed etiã à necessarijs. ijs tãtùm contentus, quę ad cõseruandam vitam, & ad retinendam consuetudinem viuendi hominum pertinebant. Voluntarias quoq; pœnas & affectiones assumebat, nullas refugiens huius sæculi contumelias & opprobria, vt testatur Apostolus, dum ad imitandum hunc dominum nos hortatur. *Debemus*, inquiens, *firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrum placeat proximo suo in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.*

Rom. 15.

Isa. 93.

Homines optant assimilari Christo in immortalitate, potentia, pulchritudine, gloria & honore quam habet in sessione ad dexteram Dei Patris, verùm hæc non est imitatio, quæ à nobis exigitur, sed potius præmium alteram vitam à Deo seruis Dei reseruatum. Certè nunc velle assimilari Christo in ijs quæ spectant ad eius

riam, non est aliud, quàm parêre consilio ab antiquo serpente olim primis nostris parentibus dato, cum diceret. *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, qua ratione non peruenitur ad similitudinem Dei, sed potius ruitur in omnium miseriarum abyssum. Imitatio Christi, quæ nunc postulatur à nobis, tota posita est in mortificatione sui, hoc est in propria voluntate abnegãda, cupiditatibus frãgendis, fugiendis voluptatib⁹ huius sæculi, & pœuis ac iniurijs vltrò complectendis. Atque hæc est via rectissima perringendi ad imitationem & similitudinem Christi gloriæ. Nam teste Apostolo Paulo, *si compassi ei fuerimus, & conglorificabimur, & si sustinuerimus cum eo, & conregnabimus*. Nec aliud postulat amor, quem huic Domino debemus. Qui enim vehementer quempiam amat, amat quoque ea quæ illi pergrata nouit, quóque amplius sunt eius naturæ & conditioni aduersa, hoc amorem suum efficacius declarat. Nã si ab amico inuiteris ad lautum & exquisitum conuiuium, & libenter te eo frui ostendas, non eo declaras singu-

Gen. 3.

Com. 8.

2. Tim. 2.

larem in amicum amorem: Sed si in-
uitet te ad iter secum hyberno cęlo su-
scipiendū difficile & periculosum, nec
renuas, sed alacri animo in gratiā illius
acceptes, tūc vero & syncero amore te
eum prosequi declaras. Aperiant hic
oculos fideles veri, quorum fælicitas
est in amando Christo: vt ad hāc simi-
litudinē expendāt veritatē puritatem-
que sui amoris. Qui desiderant accum
bere nuptiæ Christi in regno Patris, qui
anhelant ad gloriæ eius thesauros, qui
afficiuntur ad illum, dū solatio spiritā-
li & pace interna fruuntur, non osten-
dunt se vero & germano caritatis a-
more in illum ferri: sed qui sponte pro
pter ipsum se spoliant corporalibus cō
modis vestium, lecti, victus, qui absti-
nent à ludis, hominum huius mundi
consuetudinem fugiunt, qui gaudent
ieiunijs, disciplinis, ministerio paupe-
rum, eleemosynis, caritatis operibus
erga inimicos, salutatione eorū à qui-
bus offensi sunt, hi, inquā, clara & per-
spicua synceri in Christum amoris ar-
gumenta præbent. Hoc veri amato-
ris pectus detexit Apostolus, cum scri-
psit. *Verumtamen existimo omnia de-*

Phil. 3.

trimen-

trimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Vocat *omnia stercora*, quæcunque eum à vero amore Christi poterant abstrahere.

Idem postulat à nobis ratio, legesque omnes, quæ præcipiunt, vt membra suum caput sectentur, illíque in omnibus se conforment, Cum ergo Christus sit caput nostrum, & caput tantę dignitatis & maiestatis, cui omne genu cælestiũ & terrestrium flectitur; nos autem eius membra, meritò nos illi conformare debemus. Fuit coronatus spinis, colaphis percussus, sputis oblitus, felle potatus, ne plus æquo honores huius sæculi caducos aucupemur, vt libenter carnis commodis & illecebris renuncie-mus, ac pœnitentias aliquas & mortificationes inclinationi naturæ nostræ corruptæ contrarias sponte cum Christo amplectamur. Non aliud postulat fides, quam omnes clientes suis Dominis debent, nempe vt non velint maiorem sibi honorem

deferri, quàm suo Regi, vt milites non quærant maioribus frui commodis quàm belli Duces. In Regum historia legimus Regem Dauidem, cum eum persequeretur filius Absalon, Hierosolymis pedibus suis egressum, deinde verò nudis pedibus & aperto capite lachrymantem cliuum Oliuarum ascendisse. Vbi scriptura diuina signatè annotauit similiter ad imitandum Regem, factum ab omnibus seruis regis, totoque exercitu. Ratio siquidem illis dictabat ob fidem & clientelam, quam Domino suo debebant, Rege humiliante & affligente se, ipsos quoque debere se humiliare & affligere, & Rege nudis pedibus, apertoq; capite incedente, non cõuenire, vt ipsi equites & operto capite sequerentur, & denique rege plangente, ipsi riderent.

2. Reg. 15.

Bonus Vrias miles Ioab belli ducis, cum à Rege Dauide è castris euocatus iussus esset domum concedere, lauare pedes, cibo regio vti, & thori coniugalis quiete frui, non putauit tamen licitis his commodis sibi fruendum, sed ante portam regiam, vt apparet, humi excubuit: Causamque facti deinde per-

2. Reg. 11.

percunctante Rege respondit. *Arca Dei & Israhel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciē terra manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cū vxore mea? per salutem tuam, & per salutem anima mea non faciam rem hanc.*

FVLGOSVS refert Catonem minorē belli imperatorem cum grauissima sitī cum toto exercitu in Lybicis arenis summo cæli æstu affligeretur, illiq; pauxillum aquæ in galea à milite afferretur, manu quidē eam excepisse, sed mox in somniam conspectu in terram abiecisse, ne solus solatio, quod alijs communicare non poterat, frueretur. Hæc Ducis mortificatio animum iniecit militibus fortiter & cōstanter deinceps sitim quantumuis diuturnam sustinendi. Quod si ad imitandos Reges & belli Imperatores, à quibus exigua quædam commoda sperantur, se homines mortificant, & multis solatijs delicijsque se priuant, quod existiment id fidem, quam illis debent, postulare, quanto æquius ad imitandum *Lib. 4. c. 3.*

Christū Regem cælorū; & vitę Ducē, nos mortificamus, inordinatas animi cupiditates coercēdo, corpusq; nostrū peccato subiectū exercēdo in toleratione pænarū quas meruit, vt Christo similes efficiamur in vita & cruce. Si rex aliquis terrenus veste natiui coloris se indueret, quem Principum virorum puderet vti simili amictu: & si ad abluendos mendici pedes se demitteret; quis nobilū aulicorū simile defugeret officium? O Rex gloriæ, quam iustum est, vt nō reformidemus nos exercere in paupertate, alijsq; officijs humilib', postquā tu te in illis exercuisti: & amplecti ludibria hominum & iniurias, postquā tu tā operè eas es complexus, Felices certè & beati sunt illi, qui adimitandum Christū se mortificāt. hoc enim studio nō obscurè declarāt (quā tū in hac vita conijci potest,) se esse in numero eorū, qui à cōstitutione mundi à Deo electi & prædestinati sunt ad vitam æternam, cum ab Apostolo, per cuius os Christus ipse locutus est; scriptum sit. *Quos Deus ab æterno præscivit, hos & prædestinatos esse, vt conformes fierent imagini filij sui*, nimirum, vt qui

Rom. 8.

vt qui similes ei fuissent in vita, similes quoque existerent in gloria.

CAPVT. VI.

Quod corruptioni naturæ humanæ ex peccato secutæ loco antidoti data sit mortificatio.

QVO rectius intelligamus mortificationis necessitatem, agendum hoc loco erit de perfectione & integritate tam naturali quàm supernaturali, in qua Deus naturam nostram initio mundi condidit: acitem de corruptione & prauitate quæ lapsum Adæ protoplasti secuta: demum quemadmodum diuina adiuuante gratia per mortificationem natura deprauata reparetur. QVANDO Deus initio mundi hominem fecit, pro immensa sua sapientia & bonitate, integrum & omnibus partibus absolutum condidit, sic vt vires & facultates inferiores sine difficultate vlla parerent superioribus, & superiores DEO: idque effecit Deus beneficio nobilissimorum donorũ gratiæ suæ, & iustitiæ originalis, qui bus corpus æquè ac animam pro diuina sua prouidentia & sapien-

Eccl. c. 7.
S. Tho. p. 1. q. 94.

tia exornauit. In hoc statu, quem vocamus Innocentiæ & iustitiæ originalis, homo præditus erat clara Dei O.M. notitia, non ea quidem, qua nûc beati perfruuntur in altera vita, sed in suo genere maxima. Inerat siquidem mẽti eius summa quædam puritas, naturalium omnium rerum scientia, quæ ratiocinatione humana vnquam comprehendi queunt, ac etiam supernaturalium tanta, quanta necessaria erat ad consequendam fælicitatem æternam. Sed nec corpus, aut vllæ facultates inferiores eum impediebant, quo minus finem suum assequeretur. In effectis naturalibus rerũm creatarum & supernaturalibus gratiæ, maiestatem, omnipotentiam, sapientiam, bonitatẽ & pulcritudinem, aliasque Dei perfectiones agnoscebat, atq; in eius amorem, nulla ratiocinatione vel demonstratione, quod tamen nunc fit, antegressa, accendebatur.

ANGELOS natura spiritales, etsi secundum essentiam propriam, intueri nõ posset, eo modo quo se mutuo intuentur; cognoscebat tamen clarioni excellentioriq; modo, quàm nos, & ob pu-

ob puritatem cordis eximiam, altissimamque cognitionem, qua illis erat conformis, familiariter cum eisdem conuersabatur. Voluntas quoque eius mirificè vtrique notitiæ & naturali & supernaturali respondebat, ac imprimis diuinę voluntati, à qua nũquam, quamdiu in illo statu perstitit, ne latum quidem vnguem etiam in minimis rebus discessit. Habebat quoque facultates partis sentientis rationi omninò subiectas, ac pariter corpus animæ, sic vt neque membra, neq; vllæ animi potentiæ rationem perturbarẽt aut affligerent. S. Tho. p. 1. q. 95.

Dominus insuper erat omnium animantium, vt quantumuis natura feroces & terribiles ad nutum ei parêrent. Plantis item terræ omnibusque seminibus pro arbitrio suo vtebatur, vt eum fructum ferrent, quem ille voluisset. Quod ad corpus eius attinet, erat homo in illo statu immortalis, corruptionis expers, & ab omnibus rebus noxijs immunis: non quod inesset ei forma vel qualitas aliqua quæ eum redderet, vti dotes in beatis, immortalem, sed quod animo eius diuinitus S. Tho. ib. q. 96. & 97.

uinitus communicata essetvis quędã, qua corpus à morbis & morte vindicare posset. Poterat enim solis paradisi fructibus, ac imprimis illo arboris vitæ reparare & restaurare, quicquid diuturnitate temporis & ciborum varietate de pristino corporis vigore decessisset: atque, vt in eius potestate erat beneficio huius virtutis se morti eximere, sic & factum fuisset, quamdiu ratio Deo subiecta permansisset.

Hic ordo tam admirandus hominis, profectus est ex gratia & iustitia originali, in qua conditus est. Gratia efficiebat, vt pars animæ superior Deo tanquam vltimo fini supernaturali & beatifico se subijceret, omniaq; eius opera essent Deo grata, ac vitæ æternæ meritoria. Iustitia verò originalis, quatenus distinguebatur à gratia, efficiebat, vt ratio superior Deo se subijceret tanquã vltimo fini naturali, hoc est, tãquã creatori & auctori totius naturæ, ac vt omnes inferiores animi vires & facultates, ipsumque corpus parêrẽt animæ & rationi, sicut dictũ est. Quãquã nõnulli iustitiæ originalis effectus quadantenus naturæ hominis debiti sint.

S. Tho. 12. q 109. a 2. et 3. et Cai. ib.

cum

cum enim homo sit rationis particeps, ipsamq; ratione à Deo cõsecutus sit, cõgruens profectò erat, vt nec facultas ei deesset rationẽ in omnibus diuinę volũtati subijciẽdi, tãquã naturę auctori; Sicut omnes inferiores animi & corporis vires eo vsque subditæ sunt rationi, vt eius imperio nequaquam reluctari queãt. Atq; hæc appellatur natura sana & integra, in cuius statu homo obtinere poterat, q̃cquid naturę humanę cõueniẽs erat, ac quicquid ratio naturalis benè ordinata postulare potuisset.

Etsi fatendũ est, nõ satis fuisse homini, instructum esse præsidijs eiusmodi naturalibus: corpus enim, quanquam nõdum peccato inquinatũ, tamẽ procliue fuisset ad patiẽda quædã rationi aduersa. Sed opus erat naturam ornari & firmari aliquo dono gratuito, cuius beneficio sẽper rationi obsequeretur; ℣ quoniã limites naturæ non excedebat, inter naturalia dona annumerari debuit; & hoc dono adiuta natura, dicitur sana & integra. Huic iustitia originalis addebat perfectionẽ quãdã huiꝰ ordinis, & subiectionis inferiorũ virtũ sub superioribus, sic prorsꝰ, vt quãdiu anima subiecta esset Deo, nunquã de-

ficere posset. Gratia verò adiungebat ordinem ad finem supernaturalem, & æternæ gloriæ meritum.

Posita hac doctrina, quæ cum diuina Scriptura sanctorumque Patrum sententijs congruit, nec à ratione abhorret, liquidius apparet, quantum vulnus inflictum sit naturæ per peccatum, si consideremus in homine ea tantùm, quæ habuit antequam à gratia perficeretur, de qua loquimur. Natura enim humana, quoniam ratione & intelligentia instructa est, impellit hominẽ vt amet & amplectatur, quæ bona sunt, & rationi consentanea, in ijsque delectetur, ac vt quamque rem pro dignitate sua & merito æstimet, ac præstantiora minus præstantibus anteponat. & tamen experientia quotidiana docet potius contra fieri, vt optima quæque & rationi congruentia ceu nimis ardua refugiat & oderit, pessima autem velut facilia & voluptatis plena amplectatur. Bona siquidem illa externa corporis & fortunæ, vt sanitatem, fortitudinem, pulchritudinem, victum, vestes, opes magno loco habet, & ardẽti cupiditate eorum flagrat,

nec

nec in ijs procurandis & accumulandis vllum modum & finem ponit. Bona verò interna in animo sita, vt sunt virtutes, bona opera, vitam conuenienter rationi actam, parui parui facit, nulloque eorum desiderio tenetur, nullum laborem pro illis acquirendis impendit, imò tanquam parum grata & iucunda respuit & fastidit.

Ratio quoque postulat, vt seruus promptè obsequatur suo Domino, & ab eo se gubernari, velut instrumentū à suo agente principali, patiatur. quare cum corpus sit instrumentum & minister animæ, ratio dictat, illud parêre debere animi iussis. Et tamen re ipsa nunc experimur fieri contrarium, nēpe, carnem aduersari rationi, & membra corporis insurgere contra imperium spiritus, corpusque ipsum, quod adiumento animo esse debebat ad vitam conuenienter rationi ducendam, potius est impedimento, & capitales quasi inimicitias fouere in spiritum. Adhæc natura spiritualis, qua homo est ornatus, nō obscurè declarat ipsum conditum esse ad fruēdum bonis sublimibus & cœlestibus: mentem enim

habet,

habet, qua Deum O. M. & cognoscere & amare possit, ac tandem eo tanquam summo bono, & beatitudine extrema perfrui & oblectari. Idem recta & erecta in cælum eius statura apertè significat, nimirum nō esse eum conditum, vt cætera animalia, ad hæc vilia & terrena, sed ad spiritalia & cœlestia possidenda. Et tamen omnia deprehendimus nunc in homine esse contraria, totus enim addictus est voluptatibus terrenis, haud secus, quàm si in numerum brutorum animantiū esset relatus.

Eadem præterea ratio exigit, vt instrumentum duratione exæquet primarium agens, aut certè eiusmodi, vt perditum de integro institui vel renouari queat: alioquin omnis agētis virtus inanis foret, & natura quippiam efficeret frustrà. Cum igitur corpus sit animæ instrumentum, eiusque in agendo comes, ac talis naturæ, vt corruptū ab interitu vindicari nō possit, rationi naturali consentaneum erat, vt animæ immortali & æternæ, corpus quoque immortale & æternum adiungeretur, aut certè eiusmodi, ꝙ viani-

mæ ab interitu seruari posset. Verùm contra accidit, vt sæpenumerò corpus deficiat & occumbat, cum animus initium viuendi facere cœperit. Atque hæc est naturæ humanæ corruptio, & morbus eius grauissimus experientia ipsa liquidò notus. Vnde duo documenta haurire licet. Alterum est, nos vna cum natura humana noxæ originalis hæredes factos. Deus siquidem, cuius perfecta sunt opera, nunquam condidisset hominem cũ hac labe & corruptela, si nulla præcessisset culpa: minimumque ea integritate naturam ornasset nostram, qua congruenter rationi naturali vitã traduceret. Si enim cæteris animãtibꝰ, omnibusque creaturis ea adiumenta impertiuit, quæ ad vitã eorum naturę conuenientem tolerandam attinebãt, cur homini, cuius causa illa omnia condita fuêre, ea denegasset? Vnde sequitur eam solam esse veri Dei legem, quæ hanc corruptionem & noxam eiusque medelam, quod sola fuit lex Christiana, patefacit. Alterum documẽtum est, quod hinc discamus, quibus præsidijs, diuina adiuuante gratia, cor-

corruptionem hanc tollere, & naturæ integritatem ac salutem resarcire, si non omni ex parte, quoad passiones, quod in hac vita fieri non potest, saltē quadantenus, eas coercendo & reprimendo, possemus.

CAPVT VII.

Quod beneficio mortificationis, deinde gratia adiuti, magna parte naturæ corruptelam, ex peccato consecutam, sanare possimus.

RAtio & ars hāc generalem morbis omnibus præscribunt medicinam, applicare, nimirum, cōtraria, hoc est, plus æquo frigidis calida, humidis sicca, &c. vt hoc antidoto humores ad symmetriam quādam traducantur. Morbus & corruptela naturæ nostræ in hoc consistit, quod animus noster amore proprio, & cupiditatibus carnis addictus, plus æquo inhiet perfruendis voluptatibus & delitijs corporalibus, ambiat honores & imperia in alios, congerendis opibus studeat, summamque libertatem, qua faciat, quicquid collibuerit, affectet. Remedium huic morbo curando præsen-

præsentissimum adhibuerit, qui applicuerit contraria. Caro aspirat ad sua commoda & delitias? comprimatur pœnitentijs, aspriore veste, cilicio, duritie lecti, disciplinis, ieiunijs, fame, siti, cibis insipidis, labore diurno nocturnoque, calore, frigore, & in orationibus vigilantia. Anhelat ad honores, & vult alijs anteferri? cõtẽni & pudore affici se patiatur, extra intraque confessionem errata sua prodat, non excusset nec defendat obiectos ab alijs lapsus, locum inferiorem in conuentu hominum deligat, ad viliora ministeria se abijciat, in disputationibus contentionibusque alijs cedat victoriam, contumelias & illusiones æquo animo toleret, malum in bono vincat, aduersarijs suis serenum ostendat vultũ, ac etiam beneficijs deuinciat. Tenetur studio congerendarum opum, & thesaurorum, lauteque & magnificè tractari auet? nitatur vti rebus parui pretij, & vilibus, & conetur etiam in quibusdam sibi subtrahere quæ videntur quodammodo necessaria, eoque plus erogare in pauperes. Amat libertatem? subijciat se consilio & voluntati

alio-

aliorum. Hæc via & ratio est, sanandæ naturæ corruptæ. Virga admodum curua recta fieri nequit, nisi sæpius in aduersam partem inflectatur. Sic natura nostra vitio primæuæ corruptionis plus æquo inclinata ad amplectendas terrenas voluptates, honores, diuitias, & fugiendà eorum contraria, inopiam, contumelias, pœnitentias, detorquenda est in contrariam partem; nempe vt non modò superuacanea resecet, sed etiam necessaria aliquando sibi subtrahat, vt honoribus etiam licitis subinde renunciet, vt patienter fortiterque toleret hominum ludibria, quæ sine vllo peccato poterat refugere: sic enim fiet, vt sensim prauos animi affectus extirpet, vitæque sanctimonia, Dei beneuolentiam sibi conciliet, ad plenam aliquando obtinendam contra perturbationes quotidianas victoriam.

PRÆCLARE in hanc sententiam alicubi S. BERNARDVS scribit, Lauari quidem breuissimo tempore nos posse, sanari tamen non posse nisi longissimo. Nam vt anima nostra à peccatorum

torum sordibus expurgetur id breui temporis spatio obtineri potest per sacramentum baptismi vel pœnitentiæ; non item vt ab insitis carni passionibus, prauisque inclinationibus, quæ efficiunt, vt exigua oblata occasione in peccata vetera relabatur, diuinaque gratia excidat, ac proinde æternæ damnationis periculo se exponat. Qua de causa, vt facilius persistere queat in exercitatione virtutum, & gratiam semel à Deo partam vsque ad vitæ exitum tueri, operam dare debet, vt indies dictas passiones refrænare conetur per virtutem Mortificationis.

Quod non eo dico, quasi Mortificatio ex se efficax sit ad conciliandam illam animæ sanitatem, id enim citra arrogantiæ notam dicere non possumus. Quis enim asserat vno aliquo ieiunio, etiam seueriſſimo in pane & aqua, vel vna corporis diuerberatione etiam acerrima vsq; ad sanguinẽ, aut denique omnium sanctorũ pœnitẽtijs animũ humanũ perfectè sanari posse ab omnibus affectionibus inordinatis?

cationc? Respondeo, vtriusque præsidio nos indigere. Homo enim se auxilio diuino adiutus mortificans, disponit se ad recipiendam à Deo gratiam. Post gratiam autẽ acceptam, si in mortificatione sui pergat, promeretur ampliorem gratiam, virtutes acquisitas & infusas, aliaque eximia Dei dona & auxilia quæ magna parte naturam reintegrare possint. Atque ita mortificatio, nõ suis, sed gratiæ diuinæ, donorumque cælestium nixa viribus paulatim coercet passiones, ardoremque concupiscentiæ extinguit, ac naturam sauciatæ vulneribus medicinam facit.

Serm. 1. & 2. de ieiun. decimi mẽsis.

Hoc mysterium egregiè declarat S. Leo Papa, dum inquit. *Si fideliter diligentissimi atque sapienter creationis nostra intelligamus exordium, inueniemus hominem ideò ad imaginem Dei conditũ, vt imitator sui esset auctoris. & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie vtiq; nos reparat gratia seruatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* id est, Christo. Quo autẽ medio id obtinemus? Eo quod non multò post subiũgit. Qui

enim poteſt, inquit, *efficaci⁹ eſſe ieiunio⁹ cuius obſeruãtia appropinquamus Deo, & reſiſtẽtes diabolo, vitia blãda ſuperam⁹. Sæper virtuti cibus, ieiuniũ fuit. Deabſtinẽtia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles volũtates, ſalubriora cõſilia: & per voluntarias afflictiones carocõcupiſcẽtijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur.* Hæc omnia B. Leo. qui nomine ieiunij, afflictionumq; voluntariarũ intelligit hoc noſtrũ exercitiũ mortificationis, quo propriè caro cõcupiſcẽtijs moritur, ſpirit⁹ renouatur, animaq́ue Deo obſimilitudinẽ magis appropinquat.

Quẽadmodũ. n. experientia ipſa nos docet, omnẽ naturæ humanæ corruptionẽ natã ex peccato: videmus. n. eã omnibus hominibus eſſe cõmunẽ, vti declaratũ eſt. ſic eadem docet nos hoc mortificãdi medio ipſã naturã reſtaurari, & quadantenus recuperari ſalutẽ & integritatẽ quã habuerat in ſtatu innocẽtiæ. Id. n. liquet in omnibus, qui in ſchola Chriſti ſeriò & ſedulò operam nauant expugnandis prauis affectib. Atq; hic ſuppetit nobis copia innumerabiliũ ſanctorũ, & hominũ perfectorũ altiſſima clariſſimaq́ue rerum

Aut. de mor. vib. Eccleſ. Euſeb l. 2. hiſt. c. 7.

Hier ep. ad Eustoch. de custod. Vir. Cas. col 12. c. 7 & 12.

diuinarum cognitione præditorum, qui, quoad animæ vires patiuntur, vi-ua fidei luce colluſtrati per Dei cõtemplationem tot arcanorum cœleſtium, myſteriorumque maximorum penetrant receſſus, vt nulla lingua, nullo ſermone explicari poſſint. colloquuntur cum eo perinde ac amicus ſolet cũ amico, & in contemplatione diu noctuq; cum incredibili amore & voluptate perſiſtunt, imò in omnibus rebus creatis mira ſuauitate quaſi Deum præſentem, eiusque potentiam, ſapiẽtiam, bonitatem & pulchritudinem admirantur. Spectant ſæpenumerò & angelicos ſpiritus varijs formis, & cũ illis, tanquam fratribus, conuerſantur. Rerum naturalium, humanarum & diuinarum excellentem habent notitiam; neccos latent ſecreta cordium & rerum futurarum euentus. Perfectiſſimè bonum à malo ſecernunt, & de omnibus rebus iudicant ſecundũ Deum, ſine vllo errore & mendacio. Voluntatem habent in omnibus cum diuina conformatam, ad quam perficiendam renunciârunt mundo & vitæ, imò mille vitas potius exponere parati

rati sunt, quàm in minimo illam præuaricari. Tanto virtutum amore flagrant, vt tantùm non transformati in eas videantur, omne eorum studium, omnis voluptas, sanctis vacare operationibus.

QVANQVAM autem libertate peccãdi destituti non sint, tamen tãto odio prosequuntur voluntatem peccandi, omniaque scelera, vt videatur quodãmodo fieri non posse, vt aliquando in peccatũ lethale labãtur. (nam & in rebus humanis quod admodum est factu difficile, dicitur impossibile) Sic enim carnem spiritui subiectam habẽt, vt in naturam spiritalem degenerasse caro ipsa videatur. Res huius sæculi omnes, vt opes, voluptates, honores, aliaque temporalia bona perinde aspernantur ac nihili faciunt, ac si non essent; omnes enim cogitationes & affectiones animi sui defixerunt in virtutem, resque spirituales & inuisibiles, quę ad Deum deducunt, & nos cũ eo vniunt. cæteras verò res omnes nõ alio respectu diligunt, quàm vt materiam virtuti colendæ suppeditant. Appetitum gulæ, alioquin insatiabilem

Ioan. 8.

sic coercent, vt alij semel tantùm in-
terdiu cibum capiant, alij in terti-
um vel etiam quartum diem ieiu-
nent, idque contenti pane, herbis, &
modico potu aquæ, & tamen in decre-
pitam vsque ætatem vitã producunt.
Luxuriæ ardorem sic prorsus restin-
xêre, teste Cassiano, & ad tantam pu-
ritatem animi & corporis peruenêre, Cassi. cit.
vt nullum amplius motum inordi-
natum sentiant. & si necessitate ali-
qua compulsi cogerentur de humana
generatione cogitare, non plus com-
mouerentur, quàm si de domus ædi-
ficatione sermo esset. Iracundiæ
quoque perturbationem vsque adeò
coh buêre, vt grauissimis licet iniu-
rijs & contumelijs lacessiti nullum in-
dignationis dent indicium, imò ve-
hementer gaudeant. Denique passio-
nes omnes cousque moderatas & cõ-
positas habent, vt quantumuis totus
mundus sursum deorsumque agite-
tur, illi tamen à tranquillæ mentis
suæ statu, quam cum voluntate Dei
coniunctissimam retinent, deturbari
nequeant. In intimis cordis sui pene-
tralibus, tam admirandas sentiunt

Dei

Deo actiones & consolationes, vt licet feris obruti vel corporis morbis, vel hominum persecutionibus, vel seculi calamitatibus, intus tamen summo gaudio spirituali, quod exprimi non possit, perfundantur & exultent, ac pace tanta perfruantur, conscientiæque serenitate, vt omnem sensum & intelligentiam humanam exuperare videantur.

Hæc est integritas, & salus spiritalis, quæ exercitio mortificationis acquiritur. & quanquam homines huius sæculi talia non experiantur in se, non idcircò debent ea in dubium vocare. Sic enim affirmant sancti, & testantur se ea in se & alijs reipsa expertos; & diuina Scriptura confirmat. Hi enim sancti, de quibus locuti sumus, tot cælestis gratiæ donis ornati, sunt ille populus nouus tempore legis Euāgelicæ spiritaliter in mundo à Deo creādus, de quo per Isaiam Deus ipse locutus est. *Populum*, inquiens, *istam, formaui mihi, laudem meam narrabit.* *Hi sunt, quos B. Paulus toties appellat nouas creaturas*, quasi dicat: populus quē ego creabo, pfectè meas laudes p- Isa. 43.

Psal. 151. dicabit. Et in Psalmis, *Populus, qui creabitur, laudabit dominum.* Hi sunt, quos
1. Cor. 5. B. Paulus toties appellat, *nouam creaturam.* Et de quibus alibi. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de*
Gal. 6. *cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Quorum verborum hęc est sen-
1. Cor. 15. tentia. Sicut Adam propter lapsum factus est infirmus, cupiditatibus terrenis addictus, sic & omnes eius filij. & sicut Christus peccati expers totus fuit diuinus, & cœlestibus rebus addictus, sic & omnes eius filij per baptismum cum gratiæ eius donis creati.

CAPVT VIII.

Exemplis ostenditur naturam corruptam beneficio mortificationis reparari.

ET si innumeris Sanctorum exemplis demonstrari possit beneficio mortificationis hominis naturam ad pristinam integritatē, quam in statu innocentiæ habuit, quodammodò reuocari, tamen breuitatis studio, præcipua tantùm quędā, vnde facilis

facilis coniectura sit de reliquo, commemorabimus. Neq; id eò faciemus, vt absterreamus homines à virtutis studio, si videant se neque ad tantam perfectionem attigisse, nec tantis valere viribus, vt sperent se posse ad illam collimare; vel etiam vt autores simus aliquibus tẽtandi, quod omnem eorum excedit facultatem: sed vt intelligant, quanta sit mortificationis diuinæ gratia fulsæ efficacitas, quamque mirabilia Deus per vtramque operatus sit in suis sanctis; expensaque diuina bonitate, quæ in eiusmodi operibus gratiæ elucescit magis, quàm in operibus naturæ, amplius excitetur ad Deum O. M. toto pectore amandum & colendũ: ac præterea, vt mortificandi studium accipiat in ijs, quæ conuenienter suis viribus poterit auxiliante Dei gratia præstare: nunquam enim, vt postea docebimus, cum agendum erit de discretione, vsurpandæ sunt pœnitentiæ vel mortificationes quæ nostras vires excedant. *In hoc. tra. part. 3.*

Nos quidem poterimus ex horum exemplorum commemoratione occasionem capere humiliãdi nos, dum

animaduertimus quàm lõge abſimus à perfectione ſanctorum: quæ res non exiguam nobis afferre poteſt vtilitatem. Quæ enim fragilitas noſtra eſt, ad modum procliues ſumus, ſi vel minimum opus bonum exerceamus, aut duriorem pœnitentiam aſſumamus, vt magnificè de nobis ſentiamus, & tantùm non ſanctuli videamur. Deinde B. Baſilius optimam rationem & viam oppugnãdæ ſuperbiæ, & acquirendæ humilitatis eſſe affirmat, ſi oculos conijciamus in virtutes eorum qui nobis ſunt meliores. hac enim conſideratione efficitur, vt de nobis ſubmiſsè ſentiamus, & in notitiam clariorem veniamus heroicarum virtutum quibus ſancti nobis præluxerunt.

IN iuſtitiæ igitur originalis ſtatu, quamuis homo diuina viſione nõ fruereretur, vt diximus, magnam tamen & claram Dei nactus erat notitiam, eamque conſtantem, & continuã, eo quod nulla res poſſet eam impedire. Audiamus exẽpla eorum, qui beneficio mortificationis eò peruenêre. THEODORETVS CYRI Epiſcopus de ſancto viro

In hiſt. religi c 24.

Vero Polychronio sic scribit, mortificabat se, inquit, aspero cilicio, viliq; & nullius pretij vestitu; tamq; inopē vitam agebat vt nec necessariū quidem semper haberet nutrimētum, ac noctē totam vigil in precibus stans consumebat. Ad augendam autem mortificationem habebat in cella ingentem truncum è quercu, (quem fatetur Theodoretus se ambabus manibus vix potuisse tollere) Hunc noctu diuque imponebat humeris, & sic in oratione persistebat. Paupertatem tanto studio coluit, vt existimaret quouis regno magis expetendam. His, alijsq; id genus exercitijs in extremū vsque ætatem vsurpatis, ad tantam Dei notitiam, continuamq; rerum diuinarum memoriam peruenit, vt mentem à cōtemplatione earū diuellere non posset. Quare & cum ijs, qui ad ipsum subinde veniebant, paucis differens, non poterat in animum inducere, vt cogitationem à cælis deduceret.

PALLADIVS quoq; Cappadociæ Episcopus scribit Macarium Alexandrinum mortificandi sui causa toto septennio nihil præter cruda olera

Tom. 5. Lau siaca c. 20.

vel leguminahumectata sūpsisse, totis viginti diebus & noctibus tectum nō ingressum vt somnum vinceret, cum interdiu quidem æstu arderet, noctu verò algore rigeret. Deinde, cum aliquando ei molestiam exhibuisset spiritus fornicationis, nudum sex menses sedisse in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine, & à culicibus, quæ magnitudine æquant vespas toto corpore ita demorsum, vt videretur leprosus. Addit, eum ad humiliandum se solitum duorum modiorum sportā arena plenam humeris impositam per totam solitudinem deportare. His aliisque exercitationibus corporis tantam apud Deum promeruit gratiam, & ad tam sublimem & constantem pervenit Dei cognitionem, vt sæpe nocte cum die in solius diuinitatis continuaret contemplatione.

HABEBAT deinde homo in hoc statu rationem rectissimam, Deo in omnibus vsque adeò subiectam & mancipatam, vt quamdiu in eo versabatur, nulla inde potuerit diuinæ repugnare voluntati. Et hanc quoque rectitudinē operâ mortificationis sancti quidam assecuti

assecuti fuêre. SIMEON metaphrastes narrat glorioſum martyrem, Seuerianũ, contẽptis omnibus mũdi opibus, & in egenos erogatis, tanto in Deum amore exarſiſſe, vt flagrante graui perſecutione ſponte ſe obtulerit Ethnicis iudicibus, qui in Chriſtianos ſæuiebant, exiſtimans id diuinæ voluntati magis eſſe conſentaneum. Quare & crudis neruis mox corpus eius dilacerârunt, deinde trabi appenſum ferreis laniârunt vngulis, os ſaxis contudêre, dentes euulsêre. Hinc è ligno depoſitum deducunt in altum murum, duobusque lapidibus maximis collo & pedibus eius alligatis, fune cinctũ è muro demittunt, vt lapidum pondere diuulſis membris violenter abrumperet animam. Verùm ſanctus ille mentem ſic habebat in Deo defixam, vt hæc aliaque tormenta, quibus per aliquot dies fuit excarnificatus, ne pũcto quidem temporis eum à voluntate diuina ſeparârint, imò gaudebat & exultabat in illis, quia ſciebat id diuinæ placere maieſtati. Vnde & in acerbiſſimis cruciatibus fatebatur nullum ſe malũ reformidare, niſi ſolùm peccatũ, tor-

Surius in ſeptemb.

menta autē se summoperè amare, eo quod coniunctissimū ipsum redderēt Christo. Agnoscēs quoq; hanc voluntatis suæ rectitudinem esse à Christo, gratias ei agebat dicens cum psalmista. Gratias ago domine, *quod docuisti me ad prælium, & posuisti vt arcum æreū brachia mea.* Quę verò maior voluntatis rectitudo, quę maior submissio excogitari posset in homine mortali?

Psal. 17.

In lib. ab ipsa scripto Et in Chron. Franciſc. p. 3. l. 4. 633.

Beata Catharina Bononiensis, vt se mortificaret in contemptu sui, & ab omnibus vilipenderetur, non solùm coram Confessario, sed etiam publicè sua peccata confitebatur, & manu sua conscripta relinquebat. Diu in oratione brachijs in formā crucis protensis persistebat. Aliarum religiosarum virtutes omnes imitabatur, & licet plus omnibus se in ijs exerceret, tamē omniū vilissimā se reputabat. Volūtatem suā frangebat obsequēdo summa prōptitudine in omnibus. Lętabatur inuurijs, optabatq; asperè & durè se à sua superiore tractari, & grauiora quæq; sibi imponi. Experta enim vtilitates, quæ inde manabāt, dicebat. Omnem quidem obedientiam in rebus licitis esse bonam

bonã & fructuosam, sed optimã saluberrimãq; esse, quando aliquid arduũ moroso vultu à superiore imperatur. Hoc genere mortificationis tantã volũtatis rectitudinẽ consecuta est, & tãtum amoris diuini robur, vt ad obtẽperandũ diuinæ voluntati parata esset non solùm omnes mundi, sed etiam ipsius inferni cruciatus perferre, si fieri posset. Atq; vt desiderabat, sic etiam à Deo toto pectore efflagitabat, si inde maior Deo gloria, suaeq; animæ profectus resultaret, etiã horribiliores pænas sustinere, non quoad culpam, quã maximè oderat & horrebat, sed quoad acerbitatem cruciatus. *Alex. Hal. p. 4. q. 68. m. 1 a. 6.*

Præterea in hoc innocentiæ statu homo carebat perturbatione iræ & tristitiæ, nec enim mala illa habebat, quibus passiones excitantur. Hoc licet admirabile videatur, tamen aliud maiori admiratione dignũ beneficio mortificationis Dei gratia adiutæ homo aliquandò consequitur, vt licet obrutus grauissimis calamitatibus, tamen nulla tristitiæ vel iræ affectione tangatur. Ait THEODORETVS quẽdam hominem sanctum nomine Eusebiũ con- *D. Thom. p. 1. q. 6.*

In hist. relig. c. 4.

consuêsse se mortificare gestando in gulum ferreum circa lũbos, & oculos in terram abijciendo, vt nullam ex aspectu cęlorum vel camporum caperet voluptatem. Hoc mortificandi studio, ad frangẽdas cupiditates suscepto tantam meruit à Deo animi mansuetudinem, vt nullis iniurijs licet maximis ad iram accenderetur, sed velut benedictiones exciperet. Etsi solitudinis amans esset, cessit tamen, & captus rectibus caritatis suscepit curam gregis, non multis verbis ad docendum opus habens. Cum autem externi quidam ad eum audiendum (inter quos erat Theodoretus) conuenissent, Publius quidam sacerdos interuenit aduersus Eusebium vociferans, & commune damnũ nominãs illã leuitatẽ, & omnibus perniciẽ adferre dicens eius mãsuetudinem, amentiam quoque, non modestiam vocãs summam eius Philosophiam. At ille habens animam veluti adamantinam, nec vultum his iniurijs mutans, nec sermonem instituтum dimittens, leni voce, & verbis serenitatem animi significantibus seacem dimisit, rogans eum, vt eorũ quę vellet

vellet curam gereret. Quo digresso, rursum ad præsentes hospites, eadem tranquillitate, qua antè, sermonẽ conuertit; ac si nullo maledicto lacessitus fuisset.

S. EDMVNDVS Cantuariensis Archiepiscopus, vti legimus in eius vita à grauibus auctoribus conscripta, adhuc adolescentulus mortificabat se gestando cilicium, & ieiunando, idque crebrò in pane & aqua. Grandior autẽ factus zona ex setis equinis consuta astringebat lumbos, caligis vtebatur cilicinis, nec carnibus, nec piscibus vescebatur, solo pane, viliq́ue cibo contentus, sitim consq́ue tolerabat, nonnunquam vt labra dirumperentur, ad quietem nocturnam capiendam, nec lodicibus, nec stragulo, nec puluino vtebatur. Sed proprijs tantùm vestibus tectus alicubi considebat, idque per totos triginta annos fecit. Electus deinde ad Archiepiscopatum nihil ab hac seueritate mortificandi subtraxit, imò eam potius auxit, tantumq́ue à Deo donum omnes animi perturbationes temperandi & subigendi consecutus est, vt cum sæpenumerò grauissimis

Surius in Nouemb.

uissimis afficeretur iniurijs & probris à compluribus, atq; etiam ab ipso Rege, & suæ Ecclesiæ canonicis, nulla ira concitaretur, nullo mœrore tabesceret, sed potius ex intimis animi præcordijs exultaret, ipsisque calumniatoribus tam comiter & affabiliter rationem factorum suorum redderet, ac si eximio aliquo beneficio ab illis donatus fuisset.

CAPVT IX.

Alijs exemplis confirmatur naturam per peccatum debilitatam per mortificationem reparari.

INTER ea quæ maximè admiranda fuêre in Statu innocentiæ, fuit nominatim hoc, quod concupiscentia carnis sic fuerit rationi subiecta, vt homo in parte sensitiua nullum inordiatum motum experiretur, omnes enim sensus imperio parebant rationis. Hoc autem donum reparare possumus beneficio mortificationis.

4.3, di. c.2. S. GREGORIVS scribit S. Benedictum,

ctum, cum, antequam Monachorum pater esset, in eremo fraude dæmonis grauissima libidinis tentatione pulsaretur, sollicitusque esset de auertendo tanto periculo, se veste nudatum magno feruore in vrticas & spinas, quas ibi offenderat, conieciisse, tamdiuque se in ijs volutasse, donec omnis tentatio euanuisset: atque ex eo tempore sic domitas sensisse animi passiones, vt reliquo vitæ tempore ab ijs fuerit immunis.

S. BONAVENTVRA quoque commemorat S. Franciscum initio cõuersionis suæ non minus graui tentatione afflictum se nudum abiecisse in niues, ac mox cã ita perfectè extinctam, vt de cætero nunquam fuerit ab vlla carnali cupiditate infestatus. Certè mirabiliter se in hoc facto prodit mortificationis efficacitas, cum videamus vno modò actu feruenti tãtam à Deo impetratã gratiam, vt non solùm tantus libidinis ardor mox sit extinctus, tamq; pestilens vulnus illicò sanatum, sed sanatum in omne vitæ tempus. Quæ res meritò inflammare nos debet ad amplectendum hoc *Bon. in eius vita.*

hoc mortificationis exercitiũ, vt quoties vel necessitas se offert vel opportunitas, feruidos aliquos eius actus, qui discretionis tamen limites non excedant, exerceamus, vel magnum aliquẽ contemptum contemnendo, vel vehementem aliquem motum coercendo & comprimendo; sic enim fiet, vt magnam animi pacem tranquillitatemque in diuturnum tempus experiamur.

INTER conditiones quoque illius status erat, quod homo, licet ciboopus haberet, tamen appetitu tam ordinato in illum ferretur, vt nihil amplius sumeret, quàm necessitas postulasset, vel rationis dictamen, diuinaque voluntas præscripsisset. Hoc donum videmus in sanctis & perfectis hominibus restitutum opera mortificationis.

Greg. & Amphil in eius vita. B. GREGORIVS Nazianzenus refert BASILIVM magnum consuesse se mortificare humi cubatione, & vnius tunicæ attritique palij gestatione, atque etiam nocturnis ad somnum vincendũ in oratione vigilijs. In cibo sumendo eam gratiam consecutus est frequentatione ieiunij, vt non solùm supra

pra triduum inediam produceret, diuinis intentus sermonibus, verùm etiam tam longè abesset à captanda in cibis voluptate, vt solatiũ ei esset nullam percipere delectationem in cibis.

De sancto presbytero Isidoro ait Palladius, eum mortificasse se non vtendo linea ad carnem veste, abstinendo ab esu carnium, & nunquam saturum à mensa discedendo. Quibus, alijsque exercitijs sic refrenauit edendi cupiditatem, vt crebrò, quo tempore necessarius victus sumendus erat, vel in ecstasin mẽtis abriperetur, vel multam lachrymarum vim effunderet, rogatusq; cur illacrymaret, respondit, se summo pudore suffundi, quod cũ homo à Deo conditus sit ad vescendum cibis cælestibus, imò ad perfruendum Deo in voluptatum paradiso, tamen cõtra omnem rationem instar belluæ se abijciat ad pastum terrenum. *In hist. Lausiac.*

In Statu Innocentiæ homines erãt omnis timoris humani expertes, quia nullus erat, qui nocere eis vellet, vel posset. At mortificationis studio sancti homines ad maiorem perfectionẽ perueniũt, nempè, vt licet non desint, qui

qui nocere & incommodare velint, tamen timore vacui maneant. Sic enim voluntatem suã coniunxerunt & conformârunt cum voluntate diuina vt parati sint omnia mala perpeti temporalia diuina eius manu permissa, probè scilicet conscij, creaturam nullã sibi vlla re incommodare posse, nisi voluntas diuina accesserit.

In eius vita.

SEVERVS Sulpitius narrat S. Martinum in hunc modum se mortificasse. Vili induebatur tunica etiam postquam Episcopatum inijt, carnẽ aspero domabat cilicio, nunquam in excelsa cathedra sedebat, sed in humili scabello. Ante Episcopatũ proprio famulo caligas detrahebat, calceamẽta mũdabat, mensæ eius ministrabat. Postquam verò factus est Episcopus ipse conuiuis suis aliundè venientibus aquam in manus fundebat, ipse pedes eorum lauabat. Contemptum sui tantoperè amabat & quærebat, vt S. Hilarius, quo eum diutius secum retineret, nec sacerdotem, nec Diaconum eũ cõsecrare voluerit, sed tantùm Exorcistã, quod munus erat iuuenum, & senectes dedecebat. A presbytero quodam mini-

ministro suo grauissimis sæpe iniurijs iam Episcopus lacessitus, (appellabat enim illum insensatum, impostorem & superstitiosum) solo patientiæ clypeo se defendit. Iniurias alijs illatas castigabat, suas ita negligebat, vt nec iratianimi indicia vlla proderet. Sciebat enim se ampliorē fructum ex illis patienter tolerandis quàm vlciscendis relaturum. Atque hoc génere exercitationum tantam contra omnem metū humanum victoriam nactus est, vt cū aliquandò in itinere incidisset in latrones, atque vnus iam securim in eius ceruicem vibraret, ille metu vacuus ictum paratus fuerit excipere, Quo facto latronum alter permotus, rogauit sanctum Dei, an non timuisset? ille verò respondit, nunquam se magis fuisse securum, quàm tunc.

In historia S. Elezarij Comitis Anriani, legimus eum licet coniugatum & nobilissima stirpe editum, tamē cilicio corpus afflixisse, & in eo dormiuisse cū esset corpore san⁹, crebrò ieiunasse, & catenula ferrea se diuerberasse, quibus medijs tātā à Deo obtinuit gratiā, vt in omnib. mūdi periculis fuerit im-

Surius in septemb.

perterritus. Aliquandò eo mari iter faciente, tanta oborta est tempestas, vt malus nauis cum artæmone diffringeretur, vela discerperentur, vectores omnes vlulatibus, desperatisque vocibus omnium aures complerent; at ille formidine omni remota orationi vacabat. Rogatus deinde, an timuisset, respondit se nec tunc, nec aliâs vllum genus mortis timuisse, sed se totum diuinæ voluntati commisisse, paratumque fuisse, vt alijs saluis, fluctibus hauriretur.

In statu iustitiæ originalis, omnia animantia, quamtumuis fera, hominis imperio erant subiecta. Idem obtinuêre multi sancti vi mortificationis. Theodoretus scribit admirãdum monachum Simonidem, mortificãdi sui causa, se in spelũcam inclusisse, & orationi noctu diuque, omnibus commoditatibus humanis exclusis, vacasse, solisque herbis victitasse: vnde à Deo gratiam obtinuit, vt bestiæ ad nutum illi parêrent. Cum aliquando in eum incidissent viatores qui à recta via aberrârant, cuperentque sibi eam demõstrari, iussit eos præstolari, donec bini

In hist. relig. cap. 6.

leones accurrerent, qui accepto mandato magna manſuetudine duces ſe itineris illis prębuêre, donec rectã viam attigiſſent.

In hiſtoria Ordinis Minorum refertur magnum quẽdam ſeruũm Dei nomine innocentium de S. Angelo, inſignemque verbi diuini cõcionatorem, ad mortificandam honoris cupiditatem, ſe, quantum honeſtas patiebatur, omni veſte ſpoliaſſe, oneratũq; allijs & cæpis per vias vrbis, in qua concionabatur, inceſſiſſe. Quod quia ille fecerat cauſa expugnandæ vanæ gloriæ, zeloque ſe mortificandi, factum eſt, vt populus nullum inde ſcandalum acceperit, ſed maiori eũ amore & honore deinceps fuerit proſecutus. Deinde ad tantam vitæ puritatem hoc exercitij genere peruenit, vt videretur ad primæ innocẽtiæ ſtatum reuertiſſe. Nam auiculæ illi obſequebantur, auolando veladuolando quoties vellet, cantãdo item, & lætitiæ varia ſigna vna cum ipſo demonſtrando, ac tãdem accepta eius benedictione diſcedendo. His alijſque ſimilibus exemplis, quæ in lege Euangelica, vt diximus, ſunt innu-

Patres. lib. 8. c. 36.

mera, Deus declarare voluit mortifica-
tionis virtutē. Vnde duo haurire possu
mus documēta: Alterū est, quod hinc
facilè intelligamus summā maiestatē
& sublimitatē legis Euāgelicę, quippe
in qua talia efficit mortificatio, qualia
in nulla alia secta vel lege efficiūtur, vt
statim declarabimus. Alterum est, ma-
gno animi ardore & studio cōplectē-
dā esse hāc mortificationē, omnesque
corruptæ naturæ nostræ cupiditates
frāgēdas, vt paulatim sanetur, & cū pa
ritate & promptitudine ea faciat, quæ
Deo iudicat gratissima. Cōstat sanita-
tē corporalē exigui esse pretij, & parum
diuturnam, sic vt multis vtilior sit in-
firmitas; & tamē appetitum nostrum
comprimimus, & seuerè mortificamus
abstinentia cibi & potus, inedia lōga,
amaris potionib⁹; & duris cauterijs ad
sanitatē recuperādā, idq; credimus iu-
stissimæ rationi esse cōsentaneū: quā-
to iustius ergo nos mortificamus, ab-
stinēdo à rebus secundū carnē amatis,
& corpus seuerius tractādo, ad recupe-
rādā animę salutem, cuius tā immen
sum pretium est, vt vel vnus gratiæ, in
qua salus consistit, gradus, plus valeat,

ceſte S. Thoma, vniuerſo mundo, omnibus corporibus cæleſtibus, totaque natura humana & angelica, ſi gratiam ſecludas. Quātūcūq; enim exigua ſit gratia, tamē diuinæ naturę, meritorūque Chriſti conſors eſt, & quoad durationē quodāmodo exæquatur ęternitati Dei. Eius ſiquidē beneficio ab ipſo Deo obtinetur & corporū immortalitas, & gloria animarū in ſempiternum duratura. O quantum quęſtū facimus quocūq; mortificationis actu diuinæ gratiæ innixæ, nā cū illa, pariter augeſcit noſtra ſalus. O quā ſapiētes & prudētes ſunt qui ita faciunt; parent enim monito Chriſti, æternæ ſapiētiæ, dicētis per S. Ioannē, *Operamini non cibū, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternā.* Qua autē moderatione hæc exempla ſanctorum ſint imitāda poſtea tractabimus. 12. q. 114. a. 9 ad primum. In hoc tra. p. 3.

CAPVT X.

Mortificationis beneficio non ſanari naturæ corruptionē, vel animi perturbationes euelli, niſi in fidelibus.

VT intelligamus clarius, vnde mortificationis virtus tantam efficaciam

consecuta sit, pluriſq; eam faciamus, & Christo Domino dignas, p tāto beneficio gratias repēdamus, operæ pretium facturi videmur, si exponamus, quemadmodum in omnibus huius mundi sectis & factionibus homines sapientes & prudentes extiterint, qui se in mortificationis, quam rationi cōsentaneam lumine naturali intelligebant, studio exercerent; licet nullus eorum, quia fidei veræ expertes fuēre, eius beneficio vel fęlicitatem æternam, vel victoriā humanarum passionum sit assecutus. Etsi enim imperfectas quasdam virtutes, vel potius virtutum vmbras, non tamen perfectas virtutes, & omnibus numeris absolutas attingere potuerunt: suo enim vitio gratiæ diuinæ donum repulerunt, sine quo nullus aditus ad culmen virtutum patet Cuius rei illa causa videtur, quia quoties operam dabant coercendæ alicui perturbationi, non id faciebant solo amore virtutis, aut vt Deo, id per lumen naturæ suggerenti, obsequerentur, sed amore nimio sui, humanarumque laudum. Itaq; vitium vitio, & passionem passione expugnabant.

bant, haud secus, atque is qui furandi cupidus, à furto abstinens, ne si deprehendatur publicè pudefiat, cupiditatem furandi vincit cupiditate honoris sui: vnde si metus hic abfit, furatur quantum potest. Sic prorsus vsu venit Philosophis Ethnicis & alijs huius mundi sapientibus, qui vt erant homines, ingenio & prudentia præstantes, maximi faciebant honores, & summā existimationem apud homines. Vnde quoties se offerebat materia ardua & difficilis, inclinationiq; naturali cōtraria, si ex ea videbant redundare magnā apud homines laudem & opinionem virtutis, in ea se strenuè etiam cum periculo valetudinis, fortunarum, & aliquando vitæ, exercebant; si verò nulla spes honoris affulgebat, illico deserebant tanquam inutilem. Confirmare id facile possumus Græcorum Romanorumque, qui opinione omnium sapientissimi, virtutumque studiosissimi habiti sunt, exemplis, idque ex auctoribus grauissimis tam Christianis, quā Gentilibus, qui hoc argumentum sunt persecuti. Faciemus autem breuissimè, conuenienter scopo, ad quem collimamus:

SOCRATEM imprimis constat omnibus Græciæ Philosophis ob doctrinæ sapientiæque moralis studiū fuisse antelatum, & oraculi loco habitū, de quo Plato eius auditor in hæc verba scripsit: Socrates mortalium omnium, quos nos cognouimus sapientissimus, æquissimus, & optimus extitit. Excruciabat se tolerando frigus, nudis pedibus per niues incedendo, & parcè victitando. Immotus cælo immiti ab vno solis ortu ad alterum eodē loco persistebat, vestitu vtebatur vili, lacero, & peruetusto, iniurias & contumelias vxorū suarum, quas habebat, quæ lotio illum, aliisque fœdibus nonnunquam perfundebant, tam æquo animo ferebat, vt etiam dissimularet, se ab illis læsas. Docuit fugiendas voluptates, cibum ad satuitatem non esse sumendum, à lautis abstinēdū, potū eū sumēdum, qui primò occurreret. hęc qui facerent, & paruo contenti forent, Dijs esse proximos. Hæc de Socrate Plato, & Laert.

In Phedon.

Plato in Conuiu.

Diog. in vita Socrat.

QVOD autem Socrates hoc morificandi exercitio, gratia diuina de
ms, neque restituerit naturam, neque

animi affectiones efficaciter perdomuerit, sed vivas & intimis præcordijs inhærētes reliquerit, inde clarè liquet, quia alijs in rebus, alijsque temporibus, cum nulla captandi honoris humani se offerret occasio, plurimum indulsit animi perturbationibus, rationisque limites transgressus est. Esto, ingenti inedia sitique nonnunquam se discruciarit: at aliâs crebrius in omne genus intēperantiæ se effundebat, totasque noctes insomnes inter pocula, cum tamen socij, hauriendis calicibus fessi, cubitum concessissent, traducebat. Ita testantur veteres scriptores, quos sequitur Theodoretus. Et Plato, in dialogo quodā disertè cōmemorat, eū mensæ accumbentem, quoties ad potandum vrgeretur, plus alijs bibisse; nec tamen, quod mirandum erat, inebriatum fuisse. Tum aliquando quidem æquo animo contumelias irrogatas tolerabat, sed aliâs ira & furore totus exardescebat; Nonnunquam placidè & sapienter, cum omnis molestia abesset, homines allocquebatur; at quoties re aliqua offensus erat, aspertimis verbis eos excipiebat.

lib. 12 de cur. græc. affect. Plato in Cra.

Ita affirmat Porphyrius, qui fuit Platonicus, & teſtimonio Ariſtotelis, qui vitam Socratis ſcripſit, confirmat. Deinde ſi quando iniurias patienter ferebat, non obſcurè indicabat ſe id aucupandæ gloriæ cauſa facere. Nam, vt refert Diogenes Laertius, cum mirarentur quidam eum calce percuſſum, nullum irati animi ſignum dediſſe, reſpondit, quid facerē, ſi beſtia me calce ferijſſet? num intendiſſem ei lite? Quo reſponſo indicabat, ſe ideò patienter ictum ſuſtinuiſſe, quod auctorem cōtemneret, & pro beſtia haberet. Quod item mulierum probra perficta fronte perpeſſus ſit, non aliunde profectū eſt, quàm quod probris cauſam dederit: nam ſi quando illę inter ſe contenderent, non ad concordiā eas cohortabatur, ſed otioſè rixantes ſpectabat, & arridebat, atque ita earum iras in ſuum caput conuertebat. Arrogāciam quoq; ſuam palàm declarauit, quando, vt refert Plato, coram iudicibus Atheniēſibus iactauit ſe oraculo Apollinis mortalium omnium ſapientiſſimum iudicatum, & confeſſus eſt ita eſſe, ſequē multis et varijs hominum ordinibus &ſta-

Theo. l. cit.

Laer. in eius vita.

Theo. l. cit.

In apologia pro morte Socratis.

& ſtatibus re ipſa comprobaſſe, ipſos nihil ſcire, ſe autem ſcire multo amplius. illos ſiquidem, cum nihil ſcirent tamen arbitratos fuiſſe ſe aliquid ſcire, ſe verò & nihil ſcire, & ſcire quod nihil ſciret. Dixit etiam iudicibus, auctore M. Tullio, ſe maximos meruiſſe honores. Quibus dictis magnam certè animi vanitatem oſtendit, quam & inter ipſos gentiles prudentiſſimi quiq; notarunt & palam ſuggillârunt, teſte Laertio in vita eius, & Lactantio in diuinis inſtitutionibus, nec mirū. quid enim erat Apollo, cuius reſponſo ſapientiſſimus dictus erat, niſi idolū, per quod humani generis ſummus impoſtor, & mēdarij pater Diabolus loquebatur?

Lact. l. 3. ca. 10.

PLATO, qui Socrati ſucceſſit, & virtutis ſapientiæque fama ſuo æuo fuit omniū celeberrimus, vnde & diuinus appellatus eſt, mortificandi quoq; ſtudium coluit. Nam temperatè & ſobriè viuebat, perſæpè ſemel tantùm in die cibum ſumebat; opes contempſit, patrimonium enim ſuum alioquin copioſum reliquit fratribus, & honores in Repub. nunquam ambiuit. iniuria

affectus à Dionysio Siracusano, non se vindicauit. Atq; hę sunt virtutes, quas ei tribuunt in vita eius Diogenes Laertius, & Marsilius Ficinus. Verũ manifestum est, etiamsi hæ laudes de eo dicantur, nunquam tamen eum efficaciter refrænasse animi passiones. Etenim licet aliquãdo parcè esitârit, tamen crebrò in intẽperantia excessit, vt testatur Xenophon, Porphyrius, & Theodoretus. Sæpe nauigabat in Siciliam, vt illius regni delitijs, splẽdidaq; & opipara Dionysij regis Siculi mensa frueretur. Cum quo congruit, quod Laertius scribit, eum docuisse cum dies Baccho sacri aguntur, conuenire esse, vt vsque ad ebrietatem potetur. Quod ad iræ perturbationem attinet, tam erat iracundus, vt mentem cousque ratione omni destitueret hæc affectio, vt non auderet castigare famulorum suorum lapsus, omnibusque qui irato in oculos incurrebant repugnabat, vt idem Laertius memorat. Vani hominum timoris seruus fuit & mancipium, nam cum agnosceret vnum tantum esse Deum, & grauiter hallucinari, qui plures ve-

Li. 4. grac. affect.

In eius vita.

nera-

nerarentur Deos, tamen ausus non fuit idololatriæ crimen reprehendere Si fuisset, inquit Lactantius, iustitiæ defensor, omnem operam locare debuisset in euertenda falsorum Deorum superstitione. Verùm non solùm non illud præstitit, sed etiã hominum metu multis idololatris fauit. Quare & in libris suis ac epistolis non Dei, sed Deorum nomen, vt alij, vsurpabat. Ac in libro de Republica permittit Dijs erigi statuas lignеas & lapideas, ac, vt docet S. Augustinus, etiam sacrificia ijs facienda censuit, dicens ea in re credendum esse Poetis. Quare non dubitat B. Chrysostomus eum inter idololatriæ patronos numerare. Denique ex omnibus, quæ fecit vel scripsit contra bonos mores, facilè apparet, quanuis non nullam aduersus perturbationes animi pugnam habuerit, nũquam tamen è pugna retulisse victoriã, quia neque pugnauit, vt debuit, neque donorum naturalium, quæ à Deo acceperat, præsidio ita vsus est, vt impetrare à Deo posset & notitiam super-

Lib 5 diu. instit. c. 15. Theod. l. 3. grac affect. Aug. l. 8. de ciuit. c. 12. Plato in Tim. Chrys. in c. 1. ep. ad Rom.

naturalem, & diuinam gratiam perturbationes expugnandi.

CAPVT XI.

Alijs exemplis idem declaratur.

EX omnibus gentilium Philosophis; qui mortificandi se studio dedi derint, primas facile obtinuit Diogenes Cynicꝰ. Vescebatur enim herbis & carnibus crudis, veste abiecta & vili vtebatur, domus & lecti loco cõtentus veteri dolio, quod in quamcũque partem si nimius æstus solis eum adureret, volutabat. Hyeme nudis pedibus calcabat niues, & statuas niue cooperras amplectebatur. In pera gestabat scutellam duplicem, alteram cibi, alteram potus sumendi causa. Cũque forte conspexisset puerum manu haurientem aquam, & alterum cibum capientem è crusta panis, mox vtramque scutellam abiecit, tum vt pauperior esset, tum ne à puero victus videretur. Pluuio cælo imbres etiam magnos excipiebat, vt madesceret totus. Et tamen per hæc mortificationis exercitia ne vnam quidem in se per-

Laert. in vita.

uictam

uersam cupiditatem domuit: quemad modum liquidò cæteri eius mores declarauerunt. Nam eos, qui ad iracundiam ipsum prouocassent, per omnes vrbis vicos infamabat, ab sentibus detrahebat, præsentes aculeatis dictis perstringebat, gaudebat salibus & iocis, aliaque indigna faciebat, quæ honestæ aures non ferant. Quo exemplo satis indicauit, se omnia sua feciſſe aucupandæ apud homines vanæ gloriæ causa, & non ad refrænandos animi affectus. Quod non ignorauit Plato, qui cum aliquandò animaduertisset homines commiseratione eius motos, quod sineret se dēsis perfundi imbribus, in hæc verba eos est allocutus: Si vos miseret illius, abscedite, nec amplius in eum oculos conijcite. indicās illud eum feciſſe honoris captādi causa, nec facturum feciſſe, si defuissent spectatores.

Inter Romanorum optimos, & virtutis, de qua agimus, studio communi hominum fama deditissimos fuēre duo Catones: hi enim quasi prodigia quædam prudentiæ & veræ virtutis extitēre, & tamen tota sua viuendi ra-

tione apertè demonſtrarunt ſe nullam animi perturbationē ſuperaſſe. Cato Maior, dictus Cēſorius, qui fuit Romę Cōſul & Cenſor, mortificabat ſe temperatè comedendo; nam in cœnam non ſinebat inferri tibos coctos. Veſtitus ei erat vilis, & habitatio vulgaris, manibus ſuis prædia ſua colebat, nec aliud vinum, quàm operariorū ſuorū, bibebat. Cumq; more receptū eſſet, vt Prętores in lectica vel rheda magno apparatu & hominum comitatu vehērētur, ille Prętor factus, omni pompa repudiata vno miniſtro, quem apparitorem vocant, contentus, in publicum proceſſit. Planum verò eſt eum parum hoc mortificandi genere profeciſſe. conſueuerat enim, teſte Plutarcho, facta ſua laudare & in cœlum tollere, aliorum contemnere, ac penitus deprimere. Mancipia, quæ per omnem vitam illi ſeruierant ob deuexam ætatē facta inutilia domo exturbabat, vel vendebat, quod erat ſummæ inhumanitatis; ancillas item è corpore quæſtum facere ſinebat. Atque ita cupiditate honoris mundani & pecuniarum paſſiones alias vincebat.

Plut. in vita Cat. maioris.

Cato

Cato verò Minor, Vticensis dictus, & Censorij nepos, qui præcipua quæque officia in Romana Repub. gessit, se in hunc modum mortificabat. Non vtebatur purpura, velut alij eius æquales, sed veste simplici, sæpe domo exibat, sine calceis, nonnunquam etiam sine tunica, vt quãdo aliquò proficiscebatur, socioq; equitãte incedebat pedes; Cælo præfrigido nudo capite foras prodibat: Quo tẽpore magistratũ gessit, nulla munera accipere voluit; nec vllam in se suscipere functionem publicam, nisi cognitis & exploratis prius eius legibus & conditionibus. Quæ omnia, fertur fecisse non ob gloriam vanã, sed quia rationi parendum esse censuisset, contemptumque hominũ contẽnendũ Quare & in tãta existimatione fuit apud Romanos, vt quoties sanctũ aliquem ἀντωνομαστικῶς appellare vellent, nominarent alterum Catonem. Neque tamen hac exercitatione vnquam id cõsecutus est, vt passiones rationi haberet subiectas. Nam, vt habet Plutarchus, notatus fuit de potus intẽperãtia, nimioq; sumptuũ superuacuorum excessu, & cõiugẽ propriã mutuo

dedit

dedit Hortensio amico suo. Tanta quoque eius fuit arrogantia, vt cũ decreret Vticæ in Africa, & Iulio Cæsare ad Imperium euecto Vticenses colegato vti cuperent ad Cæsarem, rogatum vt noxas pristinas eis cõdonaret, respondit, vt amandarent in hanc rem non se, sed alios, se siquidem non modò non esse inter victos numerãdum, sed etiam toto vitæ cursu ob virtutum cultũ victorem Cæsaris extitisse. Vnde ne videretur ab eo victus, vel eius fauore & clementia opus habere, ex desperatione sibi ipsi gulam præscidit.

Ex his tantorum virorum, apud Gentiles virtutis nomine celebratissimorum exemplis, perspicuè liquet, extra Christi Ecclesiam fuisse quidẽ exercitationem aliquam mortificationis, sed non tantam, quanta necessaria erat ad extirpanda vitia, eorumque fibras & radices, animi, scilicet, passiones, sicut alicubi benè obseruauit B. Bonauentura, dum scribit, priscos Philosophos, vt Platonem, & reliquos, etiamsi multa de Deo & virtutibus veritati consentanea eruditè tradiderint, tamen

In lib. luminar. Eccl. serm. 1.

tamen remansisse in tenebris, nec vllam veram virtutem assecutos esse. Nã ad veram virtutem requiritur primũ recta intentio, vt quærat Deum; quam illi caruerunt: deinde, vt animi morbi, hoc est, peccata & prauę propensiones sanentur: sanare autem nemo se potest, nisi cognoscat naturam morbi, verum mediũ, & medicinam. at Philosophi, nec grauitatem morbi sui, nec medicinam, nec mediatorem venturum agnouerunt. Loquitur autem S. Bonauentura, non de eo quod consequi poterant Philosophi, si lumine naturali, diuina adiuuante gratia, rectè vsi essent: (nam si fecissent, quod secundum vires naturæ potuissent, Deus neq; lumen, neque auxilium negasset ad veras perfectasque virtutes agnoscendas, accipiendasque, sicut nõ negauit B. Iob, alijsque gentilibus:) sed loquitur de eo quod reipsa euenit, nempe eos ideò pristinis vitijs & passionibus inuolutos mansisse, quod nõ se comparârint, vti poterant, ad accipiẽdum fidem & gratiam venturi mediatoris Christi. Vnde rectè dicit Lactantius, Fuisse magistros virtutum, Rom. 7.

quibus

Lib. 3. diui. iustit. c. 15.

quibus ipsi carebant. Si enim diligenter expendamus eorum vitam & mores, deprehendemus eos fuisse obstinatos, arrogãtes, iracũdos, curiosos, & libidinosos, qui sapiẽtiæ specie & titulo suaobtexerint flagitia, domiq. fecerint, & publicè reprehẽdebãt in scholis. Cõfirmat id Lactantius M. Tullij testimonio, qui vt ex illorum numero erat, ita ingenuè fatetur sic se rem habere.

Neque exigua vtilitas est, huius rei veram habere notitiam, quippe cum in ea clarius eluceat virtus diuinæ in lege Euangelica declarata, quæ lex manifestissimũ testimoniũ veritatis fidei nobis subministrat. Liquidò enim notare possumus, cur cum illi mundi sapientes per omnem vitam mortificationis exercitium coluerint, nullam tamen virtutẽ assecuti sint, nullã passionẽ animi domuerint: & contrà, cur in Ecclesia Christi Christiani exercendo eãdẽ mortificationẽ secũdũ doctrinã legis Euangelicæ, & veras virtutes cõsecuti sint, omnibusq; perturbationib. perfectè imperârint, in omni vita, quà cũque occasione humillimi, mãsuetissimi, & patientissimi. Quam perfectã vicio-

victoriam & aliquando tẽpore breuissimo, imò etiã vno actu feruẽti, mortificationis adepti fuêre : vt patet ex conuersionibus subitis, admirãdisque quorundam flagitiosorum hominũ in magnos sanctos. Vnde perspicuè sequitur, Deum esse qui beneficio mortificationis illa effecerit, sicut solius Dei est facere homines perfectè iustos & sanctos; imò, vt loquitur S. Thomas, nullum est Dei opus maius in mundo, in quo illustrius sapientia & bonitas diuina resplendeat. Quare mortificatio philosophorũ fuit solius virtutis naturalis opus, qua sanare animã nõ potest: Christiano autem opus gratiæ supernaturalis, ab infinita Dei potentia profectum, atque ideò & penetrauit animam, & sanauit, & abomni vitio passioneque mordinata purgauit. Quæ non eo fine dicuntur, vt indicetur hac vel alia ratione euidenter veritatem fidei demonstrari, (fides enim non nititur humanis rationibus, sed solo Dei verbo) sed quod, qui rationem penetrat, euidenter cognoscere possit, id quod Christiana fides docet, ei credi debere, quandoquidem tales ef-

fectus mortificationis in solo populo Christiano deprehendimus, & ideircò nec alium vendicare auctorem, quã Deum, vt diximus.

Iam verò non solùm mortificationis Euangelicę efficacia mirabilis elucet, ex comparatione facta cum mortificatione Ethnicorum, sed etiam ex comparatione eorum qui in lege vel naturæ vel scripta sanctitatis nomine celebres fuerunt. Ac mirauda quidem hæc res est, & consideratione dignissima. Habuit enim omnib. seculis Deus homines quosdam iustos & sanctos qui ante aduentum filij Dei in mundum crediderunt eum venturum, gratiæque eius participes fuerunt. Hi sanctissimè sanctæ huius mortificationis exercitium coluêre, vt annotauit S. Paulus de veteris testamenti Patribus. *Circuierunt*, inquiens, *in melotis in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, et in cauernis terræ.* Et quamuis hi fide in Christum venturum, & dictis alijsque sanctis exercitationibus veras virtutes obtinuerint, passionũq; sua-

Heb. 11

suarum victoriam; tanta enim virtute præditi erant, vt Apostolus iam dixerit, mundum eorum conuersatione dignum non fuisse: tamen residuæ erant in ijs quædam imbecillitates, vt hominum timor, metus tribulationum, horror crucis, quibus satis declarabant se non plenè & perfectè perturbationes omnes coërcuisse. Quanto metu concutiebatur Patriarcha Iacob in aduentu fratris Esau? Quàm trepidabat, *Gen.32.* & excruciabatur Moyses in onere gubernandi populi Israheliticl à Deo impositol? *Num 11.* Magnus propheta Elias cũ ad mortem à Iezabel quæreretur, quanta *3.Reg.19.* in afflictione fuit, quàm intimo animi sensu à Deo petijt vitam cũ morte commutare? Ieremias propheta licet *Ierem.37.* in vtero materno sanctificatus, quantoperè horrebat carcerem, quantoque dolore eum apud Sedechiam regem deprecabatur? S. Iob quoque & S. To- *Iob.3 & 6.* bias quamuis admirandam in tolerã- *Tob.3.* dis afflictionibus ostenderint patientiam, tamen quantam inter eas sensere molestiam? At in legis Euangelicæ sanctis videmus tam perfectè omnem humanum metum excisum & mortifica-

Rom 3. *2. Cor. 1,* *Heb. 2.*

tificatum, vt nõ modò non angerẽtur in afflictionibus, non horruerint carceres & tormenta, sed etiã omnis generis cruces amârint & optârint, ad vincula & mortem perferendam se vltrò obtulerint, ac in acerbissimis supplicijs exultârint: Hæc beneficio mortificationis ideo efficiebantur in noua lege, nõ autem in veteri, quia post mortem & passionem Christi, Deus per hoc medium & alia, vberiorem gratiam, donorumq; spiritualium ampliorẽ copiam communicauit fidelibus. Christus enim sua morte promeruerat illam liberalissimam effusionem spiritus sancti in die Pentecostes peractam.

Hanc virtutis diuinæ, quæ in lege Euangelica est, notitiam haurire possumus ex mortificationis sanctæ effectis, quæ neque in sapientibus huius sæculi, neque in veteris testamenti sanctis deprehensa fuêre: ac pariter intelligere, quanti beneficij loco habere debeamus, quod Deus Euangelicæ mortificationi tãmirificã vim & efficaciam attribuerit perfectè subijciendi omnes animi perturbationes, & multa cœlestia charismata accumulandi

landi. Quis iam non animetur ad fugiēda omnia cōmoda & blandimenta corporis, ad amplectēdas pœnas, carnisque propriæ afflictiones? Sapientissimi Gentilium ab illecebris quas naturaliter amabant, se abstinebāt, mediam, frigora, niues, paupertatem æquo animo tolerabant ad captandam virtutū vmbram, veraque sapientia destitutos existimabant, qui id non facerēt: quātò magis in lege Euangelica id faciendum est, vbi ad veram virtutem sapientiamque contenditur, ac exiguo labore cum gratia diuina coniuncto perfecta obtinetur passionum victoria?

CAPVT XII.

Quod homo beneficio mortificationis satisfaciat pro noxis admissis, & à promeritis pœnis liberetur.

QVONIAM homo dum peccat, aut voluptatulam quandā venatur, quā non deberet, aut refugit pœnā, quā suscipere fas erat; diuina iustitia voluit, vt ad satisfaciēdū pro culpa

culpa, & ad animam debito ordini restituendam se ipse mortificaret, abstinendo ab rerum quarundam licitarũ vsu, quæ oblectare poterant, & pœnã aliquam tolerando, quam poterat licitè declinare. Id B. GREGORIVS declarat his verbis. *Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita sibimetipsi abscindere, debeat etiam concessa.* Hortabantur siquidem quõdam sancti Patres ipsos pœnitentes, vt ad satisfaciendum Deo, & ad expiandam offensam non modo à peccandi consuetudine discederent, verùm etiam contrarijs operibus virtutum Deum iratũ sibi reconciliarent. Vnde S. Chrysostomus. Quemadmodum, inquit, sauciato non satis est telum vulnerique exemptum, sed præterea opus habet chirurgi cura; sic in crimen lapso post confessionis & absolutionis antidotũ necesse est fructus dignos pœnitentiæ adiungere. Declarans autem, cuiusmodi esse debeãt fructus, subijcit. Cauem tuam nimio cibo & potu per intempe-

Greg. hom. 34. in Euã.

Aug. de vera & f. pœnit. c. 15.

Tertu. con. Phyh.

Chry. hom. 3. in Matt. in imperf.

temperantiam onerasti? castiga eam seueriore ieiunio & aquæ potu. Oculos venustarum rerum aspectu æquo petulantius oblectasti? coerce deinceps illos, & vsu coniugij etiam licito, quoties potes, te priua. Verbis factisue iniuria affecisti proximos? nunc labora, vt omnibus maledicentibus benedicas, & beneficijs etiam tibi eos deuincias. In eandem sententiam B. Ambrosius alicubi alloquitur virginē lapsam. *Imputentur, inquiens, crines, qui per vanam gloriam occasionē luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Palleſcat facies, qua quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quæ malè sibi de pulchritudine placuit.* Ita Ambrosius. *Ambr. ad virg. c. 8.*

HANC doctrinam proculdubio Deus scribit in cordibus verorū pœnitentium: nam quando anima hominis à Deo illuminata seriò expendit, quid peccando fecerit, vt quod ob bremem & vilem voluptatulam diuinam maiestatem contempserit, illumque, cui summum amorem & gloriam, vt-

pote infinito bono, imò omnium bonorum fonti, debebat, quasi calce abiecerit, ac creaturæ è nihilo factæ, quæ pura vanitas est, omnium rerum creatorem posthabuerit: adhæc dum confiderat, quoties sempiternas inferni meritus sit pœnas, & quod peruersæ corporis inclinationes perpetuò ipsum ad omnia mala exstimulârint, in seipsum sancta quadam indignatione accenditur, atque ad tuendum diuinæ iustitiæ honorẽ, vindicãdosq; temerarios lapsus suos, sedulò cogitat, quam crucem singulis membris deinceps imponere velit, vt verè carnem crucifigat cum concupiscentijs suis. S. PAVLA Romana aliquandò corporis delitijs nimium indulserat; at postquam DEVS ei oculos mentis patefecit, vt commemorat S. Hieronymus, grauiter corpus afflixit, molliss. ep. 27. ad Eustoc. linteamina & serica pretiosa aspera cilicij cõmutauit, & tãtæ fuit cõtinentiæ, vt excẽptis dieb⁹ festis, vix oleũ in cibo caperet, sed nec vini guttulam potum admitteret. Dum hoc genere mortificationis dicta matrona vteretur, dicebat. *Affligẽdum est corpus quo-*

mo-

multis vacauit delitijs: longus risus perpeti compensandus est fletu, &c.

S. Eligius, dum iuuenis esset, teste Audœno Rotomagensi Episcopo olim eius sodali, locuples erat, pulcher, & omnibus charus. Vestibus vtebatur sericis auro & argẽto pertextis, cingulo q; gemnis & lapidib. pretiosis splẽdido, consuetudine vtebatur principũ in aula regia virorũ, ipsiq; adeò Regi cõiunctissimus. Postquam autem Deus cor eius tetigit, perfectæ mortificationis desiderium in illud immisit, sic prorsus, vt conatus & studia eius omnia superiori vitæ essent contraria. nã vestimenta byssina & aurea conuertit in cilicium, cingulum gemnis fulgens in funem rudem, aulicos ludos & ocia in nocturnas preces & vigilias, sodalitatem optimatum regni, in familiaritatem peregrinorum, egenorũ, infirmorum, captiuorum, aliorumq; hominum miserabilium, quibus omnia officia seruilia, (etiam dum ad Episcopatum, licet inuitus, esset euectus) detulit, aquam manibus infundendo, easque exosculando, cibũ potumque mensæ inferendo, pedes

calida abluendo, & alia id genus agendo. Hic semper in Christi Ecclesia fuit Pœnitentium spiritus.

Atque hinc alius ingens mortificationis fructus exoritur; quod, nempe, per illam omnibus corporis animique liberemur incommodis, quæ Deus in peccatorum nostrorum pœnâ destinârat. nullum enim peccatum, siue magnum siue paruum immune esse potest à pœna. Vel enim à Deo castigandum est in altera vita cruciatu infernali aut purgatorij, vel in hac vita afflictione temporali; aut certè ab ipso homine mortificatione voluntaria; quasi vindictam quasi sumat de ipso, vt docet B. Anselmus. Cum verò Deus, vt ait propheta Naum, non puniat peccatum aliquod bis in idipsum, consequens est, si Deus aliquem in hac vita propter peccata immissa afflictione, quâ tamen ille patienter propter Christum toleret, plenè castiget, non esse deinde castigandum in altera: & si nos voluntariam de nobis pœnam, quæ grauitatē lapsus adæquet, sumamus, fore, vt non solùm alterius vitæ supplicijs, sed etiam multis huius vitæ ru-

Anse. in ep. 1 Cor 11. Naum. 1. iuxta. 70.

tumnis, cæteroquin euenturis, eximamur. Hoc vtrumque mysterium declarauit S. Paulus, cum diceret. *Si nosipsos dijudicaremus non vtiq; iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Dijudicare semetipsum est agnoscere suum lapsum, eumque coarguere, & pœna volũtaria expiare. Quod si homo fecerit, Apostolus eum securum reddit, quod in hac vita à Deo pro illo per tribulationem aliquam castigandus non sit. Sin per incuriam neglexerit hoc iudiciũ instituere, Deus iusto in eum iudicio animaduertit, & in hac vita affligit; quam afflictionem si patiẽter ferat, tum immunem eum pronunciat fore à damnatione æterna, omnibus mundi amatoribus destinata. Hęc doctrina est B. Gregorij in moralibus, vbi clarè scribit, nisi præsentis vitæ pœnis aliqui liberarentur à tormentis æternis, non dicturum fuisse S. Paulum, dum iudicamur à Domino, nos corripi, ne cum hoc mundo damnemur. Id autem tunc adimpletur, quando homo per tribulationes commouetur ad veram de peccatis agendam

1. Cor. 11.

Greg. l. 9. mor. c. 24.

gendā pœnitentiā. O nobilem mortificationis effectū, quo ab omnibus huius alteriusq; vitæ pœnis liberamur. Quis nō ſpōtè ſuſcipiat mortificationis exercitiū, quo, exigua tolerata moleſtia, liberamur à pœnis grauiſſimis? & breui afflictione à cruciatibus sēpiternis? Non vis, inquit B. Chryſoſtomus, à Deo caſtigari, nec in hac nec in altera vita? ſis iudex tui ipſius, rationes à te exige, te reprehende, & corrige.

Chryſ. in 1. Cor. 11.

Ion. 3.

De hoc mortificationis effectu ſingularia in ſacris litteris exēpla extāt. Mōnuerat Deus per Ionā prophetā Niniuitas de impendēte eis clade & totius vrbis ſubuerſione, niſi pœnitentiā de commiſſis criminibus agerēt. illi verò monitis parētes, vna cum Rege ſuo ad expianda ſcelera, conciliandūq; diuinū numen ſeueriſſimā ſui mortificationē amplexi ſunt, cilicijs & ſaccis ſe induerunt, cibo omni & potu abſtinuerunt, diuinamq; clementiā precibus & lacrymis implorārūt, quam & impetrārūt; qui verò in probitate vitæ conſtantes deinceps permanſerunt, etiam aeternæ damnationis vaſtitate liberati fuēre. Filij Iſrahel Machabæorum

1. Mach. c. 3. & 4.

temporibus cum extremum sibi animaduertissent impẽdere excidium ab exercitu hostium potẽtissimo, hoc est, 47. millium hominum armatorum, cõtra ter mille inermes, nullo alio præsidio, quàm mortificationis in sacco, cinere, ieiunio & intimis ad Deũ clamoribus cladem illam auertẽrũt, imò victoriam ex hoste reportâ-unt. Consultò profectò facimus, quod nõ sinamus nos ab inimico humani generis, qui ex inuidia præsidiũ mortificationis omne nobis eripere conatur, in fraudẽ induci: certũ enim est nulla re, nec carni quidem nostræ, maius bonũ præstari posse; cũ exigua mortificatione eam & grauioribus pœnis eximamus, & resurrectionis futuræ gloriam illi adaugeamus. Pulchrè ea de re monet nos B. Augustinus in hæc verba. *Quid facis, inquit tẽtator, quia ieiunas: defraudas animam tuã. non ei da, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnã? tuus ipse tortor & cruciator existis? Deo ergo placet, quia te crucias. Ergo crudelis est, qui delectatur pœnis suis. Responde huiusmodi tentatori. Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille* *Aug. de tempt. ieiun.*

ille subueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur.

CAPVT. XII.

Quod beneficio mortificationis orationes nostræ efficaciores reddantur ad impetranda Dei dona & munera.

QVANDO infans à matre postulat puppam, suumque desiderium tantùm signis & nutibus declarat, nonnunquã mater aut renuit ei porrigere, aut differt: at quando postulat cum lacrymis, nõ potest se diutius continere, quin confestim ea tradat. Sic homo quando à Deo in oratione postulat dona aliqua vel beneficia spiritualia, sed verbis tantùm & simplici desiderio ea obtinendi, non facilè impetrat, quemadmodum quotidiana nos docet experientia. Quoties enim virtutem humilitatis, patientiæ, caritatis, tentationis alicuius victoriã, pacem cordis, precandi donum, fidei augmentum, supplices à diuina maie-

state

state petiuimus, & tamen consecuti nõ sumus, nisi fortè post diuturnum tempus? Dũverò cũ studio precandi coniũgimus carnis, cupiditatumq; nostrarum mortificationem, & coram Deo nos affligimus, citius & certius, ampliorique copia, postulata impetramus. Cuius rei causa est, quod dum mortificatio sui ab oratione abest, homo nõ eo modo quo deberet se ex parte sua comparat ad recipiendam diuinã gratiam, quę facientibus, quod in se est, & sibi ipsis imperantibus semper parata est. Deinde Deum mouere ad sua charismata impertienda id cumprimis solet, si videat ea magni fieri, & cupidè expeti, impetrataque magno cum studio conseruari: idcirco enim suorum donorum largitionem sæpe differt, vt in oratione perseuerantis desiderium accendat magis, & æstimet rem petitã pluris, impetratamq; tandem vigilantius custodiat. Accedit, Deum, vti magnoperè amat hominem iustũ, dum cernit eum affligi desiderio rei postulatæ, commiseratione motum liberalius & libentius dona sua cœlestia, quę ad salutem vel necessaria, vel conue-

mientia sunt, in tales effundere.

Quoniam verò huius rei notitia plurimum valet ad salutem nostram promouendam, spiritus sanctus eâvoluit illustrissimis vtriusque testamenti exemplis confirmari: è quibus pauca commemorabimus; si modò in mentẽ reuocetur, quod initio monuimus, in sacra scriptura nomine ieiunij, sicut & in scriptis S. Patrum, crebrò omnem carnis castigationem comprehendi. Nobilis illa IVDITH, & vniuersa cum ea Bethuliæ ciuitas, cum sui patrocinium à Deo postularent, & contra inimicos victoriam, non orationi vacârũt modò, sed etiam ieiunârunt, cilicijs se induerunt, cineribus capita aspersérunt, alijsque modis corpora sua afflixerunt, & impetrârunt quicquid petiuerunt. Regina Hester, cum omnibus viris & mulieribus Iudæis, quotquot in ciuitate Susa degebant, vt orationibus suis à Deo impetrarent ne sententia mortis in omnes decreta effectũ suum consequeretur, monitis Esther triduò abomni cibo & potu abstinuêre, saccis se operuêre, & carnem afflixêre. Et mox

Tra. huius cap. 1. Iud 9.

Hest. 4.

felix

felix successit exitus. Rex Iosaphat, cũ toto suo exercitu, omnibusque regni iuda principibus, vt liberaretur à summo discrimine, quod inter medios hostes adierat, *totum*, vt loquitur diuina Scriptura, *se ad orandum contulit, & predicauit ieiunium in vniuerso Iuda.* 2. Par. 20.

DANIEL quoque prophe ta ad obtinendam pro populo suo libertatem, aliaque dona, non orationibus modò, sed etiam seueriſſimo ieiunio se dedidit, abstinens à vino, carne, & pane delicato, cõtentus herbis, aliisque edulijs viliſſimis. Quo mortificationum genere non solùm à Deo impetrauit vt populus longa illa seruitute solueretur, sed etiam promeruit multorum mysteriorum patefactionem, & diuinam consolationem ab angelo. Ac vt constaret orationi eius vim & efficacitatem illam à mortificatione accessisse, Angelus in hæc verba locutus est. *Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posui cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* In hoc exemplo liquidò apparet mortificationis virtus Dan. 9. Cap. 10.

quamque salutaris sit eius cum oratione copulatio, vt animaduertit B. Theodoretus. Exemplo inquiens, Danielis, qui contemptis vnctionum delitijs, pane, carne, & vino abstinuit, solisque vixit leguminibus, discimus, quàm salutaris & fructuosa sit mortificatio spōtè suscepta, quia ieiunio, afflictioniq; illi preces iungens, impetrauit quod voluit.

Theo. orat. 10. in Dan.

QVIA verò idem spiritus Sanctus noui testamenti Patres plenius instituit, quàm instituerat in veteri, eodem Spiritu deprehendimus vtrosque ductos. De Apostolis, Ecclesiaq; primoribus non semel commemorauit B. Lucas, eos dum orationi incumberēt, precibus adiunxisse ieiunia. Cum S. Paulus & S. Barnabas prædicatū mitterentur Seleuciam, & aliò, ita ordinante Spiritu sancto, *tunc ieiunantes*, inquit, *& orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.* Et cum idē Paulus & Barnabas Antiochia discederēt, ait. *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus; commendauerunt eos domino, in quem crediderunt.* Hic fuit

Actor. 13.

Aposto-

Apostolorum mos, ieiunium, aliasq; mortificationes iũgere precationibus, idemque eorum exemplo docti postea omnes sancti in Ecclesia fecerunt; quibus, vti lumen gratiæ diuinæ excellentius vberiusque in noua quàm in veteri testamento fuit communicatum, sic non dubium est, maiorem eorum mortificationem fuisse

De S. Martino refert Seuerus Sulpitius, etsi vita eius fuerit continua quędam mortificatio, tamen, cum pro arduo aliquo negotio preces erat ad Deum instituturus, vt postulata facilius impetraret, opera pœnitentiæ mortificationisque adauxisse. Euersurus enim delubrum quoddam idolorum, in abditum locum orandi causa se recepit, triduumque ipsum cilicio indutus & cinere conspersus in oratione perdurans promeruit, vt duo angeli operam suam in subuertendo delubro præstarent. Acturus item de rebus ad cultum diuinum pertinentibus cum Valētiniano Imperatore, cum aditum postularet, indignissimè repulsam passus est. Quid faceret vir sanctus? Ad consueta sua arma cõfugit. Sacco amic-

Sul. in eius vita.

ctus, & cinere respersus, cibo omni & potu abstinēs se in preces dedit. Septimo die astitit precāti angelus, monuit quevt iterato accederet Imperatorem, felicem fore successum. In viam se dat, patentes omnes palatij portas inuenit, Imperator eo conspecto ira succensus exclamat, hominem arceant, non dignatur è sella sua surgere; mox miraculosè æstuare cepit Imperator, acsi ignis sellæ subiectus esset; ita animaduertēs censuram diuinam mente mutata omnibus sancti viri postulatis vltrò subscripsit.

In hist. religios. c. 2.

NARRAT & B Theodoretus de sanctissimo monacho Iuliano multis miraculis claro, cum Cyrenses Catholici in [illegible]mitatem magnā venissent, propter hæreticos, qui, hæresiarcha quodam autore, suis cōcionibus multos è populo à vera fide abducebant, eos ad dictum S. Iulianum perfugium suum habuisse: qui non aliud consilium afflictis suggessit, quàm vt supplices in ieiunio & planctu ad diuinum numen confugerent. Consilio paruerunt, eoque ipso die quo diuinæ maiestatis opem implorārunt exau-

exauditi sunt, hæresiarcha repentino quodam morbo miserabiliter extincto. Hic fuit sanctorum spiritus, hoc ex sacris scripturis didicerant, hoc Deus eis inspirârat, hoc experientia probârant, nempe orationem mortificationi associatam multò efficaciorem reddi ad quiduis à Deo impetrandum. Vnde S. CYPRIANVS. *Quotquot*, inquit, *vires virtutum vidimus, quoties aliquid à DEO obtinere conati sunt, ieiunijs incubuêre & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni hærentibus supplices beneficia postulârunt. nec aliquid magnum vnquam moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset.*

Cum ergò hæc res sit tam certa, & à Sanctis toties frequentata, meritò cum amore & sollicitudine complecti debemus hoc mortificationis exercitium. Vnde & hoc loco notandum est, sicut qui peccato lethali obnoxius est, non idcircò debet prædandæ vitæ defugere; cum ipsa oratio valeat ad impetrandam conuersionem

nem: sic qui mortificādi studium necdum cōplexus est, nō debet ideò ab orandi consuetudine abstinere, cum ipsa oratione Deo cum pijs desiderijs oblata à Deo & voluntatem & vires mortificationis exercendæ consequi possit. Nam etsi mortificatio orationi maximum præsidium afferat, tamen ipsa oratio ideò non destituitur sua vi & impetrandi & merendi, si aliæ conditiones necessariæ non desint.

CAPVT XIV.

Mortificatione speciatim iuuari orationem, eoq; obtineri puritatē lumenq; internum res diuinas contemplandi.

ETsi mortificatio qualicunque orādi modo & formæ suam vim & efficaciam conciliet, peculiarē tamen affert orationi mentali, quando in silentio de rebus cælestibus cōmentamur. Vt enim oratio illa instituatur, quemadmodum oportet, magnam postulat animi puritatem & mentē. Siquidem precatio mentalis non est aliud, quàm spiritualis diuinorum my-

ste-

mysteriorum & perfectionum operũ- *Tract. 3. de*
que inspectio ac contemplatio, vt alibi *orat. ment.*
diximus. Quocirca, sicut oculos corporeos, quibus spectandę sunt res corporales, claros & mundos esse necesse est: sic oculos mentis, quibus res diuinæ cõsiderandæ sunt, opus est esse purgatos & nitidos. At mortificationis proprius effectus est, animam expurgare à spiritalibus sordibus. Nam præter sordes primarias peccati mortalis, quæ abluuntur sacramento pœnitentiæ, nonnullæ aliâs quoq; licet leuiores animæ inhærent, quę vt non prorsus eam inquinẽt, tamen vehementer impediunt, quo minus aciem defigere possit in res diuinas. Eæ sunt passiones, aliæque inordinatæ in rem creatã affectiones, noxæque veniales, ad quas remouẽdas seruit mortificationis virtus. Etenim dum homo sponte sibi ea commoda & voluptates seculi, quibus vti poterat, subtrahit, & libenter amplectitur ea, quæ carni & voluntati suę sunt aduersa, paulatim peccata venialia, ex cupiditatibus effrænatis orta, euanescũt, animusque maiorem semper accessionem facit ad veram puri-

tatem

centos tantùm è populo suo delegisse hoc est, illos qui stantes, & non poplitibus humi flexis, aquam è flumine in os proiecissent. deinde singulis præbuisse in sinistra deferendam lagenam, cui inerat lampas ardens, in dextra verò tubam, ac demum complosione lagenarum & confractione; tubarumque strepitu hostes in fugã vertisse. Idem faciũt serui Dei opera mortificationis; corda nimirum ab effectu rerum terrenarum abstrahunt, nec vlla affectione inordinata illis addicti sunt, sed vtuntur tantùm illis, quoad necessitas sola postulat; corpora sua, quasi lagenas terreas concutiunt variis pœnarum generibus, & castigant, & sic victoriam contra omnes tentationes hostium obtinent. Atque vt confractis lagenis ibi emicuit lampadum lumen; sic ex mortificatione nostra hic emicat pulcherrima lux gratiæ, & doni sapientiæ ad res diuinas contemplandas. O quanta animæ fœlicitas est, hac luce perfruentis, eiusque operes cœlestes considerantis? O quot nouæ regiones, nouique mundi, ante nunquã conspecti in hac contẽplatione se ocu-

lis

lis mentis obijciunt? O quanta lætitia perfunditur; dum huius lucis beneficio incredibilem mysteriorum diuinorum thesaurum intuetur? quomodo stupet, & animo suspensus hæret in consideratione immensæ Dei bonitatis & sapientiæ? quo flagrat amoris incendio, cum acie mentis penetrat in ipsa infinitæ Dei caritatis ac misericordiæ viscera? Quod si tam admirãda & efficax lux in oratione mentali obtinetur per mortificationis exercitium, æquum est, vt strenuè in ea nos exerceamus, voluntatem nostram coercẽdo, cupiditates carnis refrenando, & corpora castigando: etsi enim & alia bona opera multum prosint ad idem consequendum; parum tamen efficiunt sine mortificatione.

Palladius in historia sua Lausiaca narrat Panfusium sanctitate, miraculisque clarum monachum cœlesti reuelatione motum adijsse rusticitugurium, eique Dei nomine mandasse, vt rationem vitæ anteactæ sibi redderet. Rusticum autem; Dei nomine audito, respondisse. Ego homo peccator sum: vitæ autẽ meæ hæc est institutio. *Pallad. in hist. Laus. c. 64.*

Matri-

Matrimonio iunctus sum huic mulie-
ri: tribus autem liberis editis de ser-
uanda deinceps castitate, & habita-
tione separata inter nos conuenimus:
& iam ipsos triginta annos seiuncti
viximus. Operam do peregrinis, &
egenis hospitio recipiendis; appono
illis, quod habeo, & neminem va-
cuum dimitto. Si quem è populo re-
sciscam inopia aliqua laborare, cum,
quibus modis possum, solor & iuuo.
Si aliquos inter se discordes reperio,
conor eos conciliare. Liberos ea ho-
nestate morum imbuo, vt nemo cu-
re de eis queri possit. umenta, vt nul-
li damno sint, procuro, & nequid a-
lienum in domum meam inferatur,
vigilo. His auditis Panfusius expira
Dei ei benedixit, & addidit. Vnum
tantùm tibi est necessarium, nempè
primaria quædam virtus, quæ est, no-
titia affectuosa Dei, eamque conse-
qui non potes, nisi relinquas mun-
dum, & crucem Christi suscipias. Pare
consilio rusticus, & monentem in
montem sequitur, in oratione & me
tificatione se exercet tanto cum fru
ctu, vt morientis animam Panfusius
glori

gloria mirabili fulgentem viderit ab angelis deportari in æterna tabernacula. Affectuosam autem vel sapidam Dei notitiam S. Panfusius appellabat ardentem illum amorem vnitiuum, quem rerum diuinarum contemplatores in oratione experiuntur, cũ perfecti sapiẽtiæ doni auxilio. Ad obtinẽdũ autem hoc nobile donum sapientiæ, & pretiosum illum rerum diuinarũ gustũ meritò agnoscebat idem sanctus opus esse mortificatione propriæ volũtatis & carnis castigatione, quã vocabat crucem Christi. & ideircò rusticũ illum deduxit ad locum, vbi commodè in ea ferenda se exercere posset. Nam quamuis quouis in statu vel loco hoc donum obtineri queat, tamẽ præstat eligere semper commodiorẽ, vbi plura adiumenta suppetant, & impedimenta absint pauciora. Denique hinc discimus eos qui operam nauare volunt orationi mentali, salubertimè se dedere mortificationi omnium prauarum cupiditatum, tum vt puritatem & lucem animi, de qua diximus, consequantur, tum vt muniti sint contra multos lapsus,

peri-

pericula, & detrimenta. Experientia enim quotidiana liquet, eos qui humilitatis & abnegationis sui studia refugiunt, nec consilia Patrum spiritalium sequuntur, turpissimè sæpè à dæmone, carne, & mundo in fraudem inducti. Vnde alicubi S. Gregorius. *Sancti, inquit, viri, qui à mundi operibus non corpore, sed virtute sepiuntur, laboriosius dormiunt, quàm vigilare possunt: quia in eo, quod actiones huius seculi deserentes superant, robusto conflictu quotidie cõtra semetipsos pugnãt, ne mens per negligentiã torpeat, ne subtracta ocio ad desideria immunda frigescat.*

Ex 5. de moral. c. 22.

CAPVT XV.

Mortificatione orationem mentalem etiam in eo iuuari, quod internam pacem & solatium spirituale conciliet.

QVONIAM orationis mentalis exercitatio ingentem fructum affert vitæ Christianæ, vt alibi demonstrauimus, congruens est, vt eam

per mortificationem magis magisque perficiamus. Ac vt ad hoc studium acrius incitemur, alias proferemus rationes, cur illud nobis esse debeat commendatum. Ad orationem mētalem rectè instituendam, non parum conducit pax cordis; anima enim trāquilla & pacifica sponte se dedit precationi, in eaq; perseuerat, & cupidè rerum diuinarum contemplationi inhæret. Vnde dixit Psalmista: *At factus est in pace locus eius*, id est Dei, qui pacis amator est. Ad quod significādū Deus mandauit tempore summæ pacis ędificari templum, in quo habitaret, & beneficia sua fidelibus impartiret. Pro natiuitate quoque sua in carne delegit tēpus altissimę pacis, quanta non fuerat à multis seculis, quibus tyrannis incesserat. Eliç quoque prophetæ Deus nō se manifestauit in vento vehementi aut forti, nec in terræmotu, nec in igne ardenti, sed in aura leni & suaui. Certum est, etiamsi homo, quādo turbatus est & inquietus, orationē relinquere non debeat, quia & ipsa ad componendum tranquillandumque animum perturbatum valet: tamē & illud.

Psal. 75.

3. Reg. 8.

3. Reg. 19.

illud certũ est, turbationem distractio-
nemque animi plurimum impedire
& attentionem in orando, & fructum
orationis spiritualem. Ad obtinendã
autem pacem illam & tranquillitatem
maximè seruit mortificandi labor: ni-
hil enim aliud mentẽ de statu suo de-
turbat, nisi passionum internarum fu-
ror et intemperies, quæ mortificatio-
nis beneficio coercentur & expugna-
tur. Quanquam enim negari non pos-
sit, pacem ac quietem animi non per-
rum disturbari iniurijs, contumelijs,
aduersitatibus, bonorum rapina, & a-
lijs huiusmodi; tamen affirmandum,
primariam causam omnis inquietud-
nis esse passionum & cupiditatum no-
strarum intemperantiam. Nam si ho-
mo iracundiam vicisset, elationem a-
mi pedibus suis subiecisset, amore-
caducarum rerum exturpasset, soli-
que Dei voluntatem, nõ suam in om-
nibus quæsiuisset, nulla perturbatio
ne agitari potuisset: si quis tetros a-
quos odores collectos & interse po-
mixtos in massã panis coquẽdi inco-
sisset, eoq; cocto ali' accessisset, & p-
illo in duas partes secto nares circũ-
tis

tiũ fętore cõpleſſet, tũ nõ ille, qui panẽ fecuerat, ſed qui odores incluſerat, fætoris illi⁹ auctor diceretur: haud ſec⁹ cẽ sẽdũ eſt de corde noſtro: Habet homo cordi ſæpè incluſas vivas paſſiones ire, ſuperbiæ, auaritię: quãdiu ex ſententia & voto omnia ei ſuccedũt, æſtimatur prob⁹ & sãct⁹, at ſi mulatq; verbo vel facto in re aliqua ſuæ volũtati aduerſa lęſus eſt, mox expalleſcit, indignatur, & foris prodit quibus perturbationib⁹ ſit obnoxius. Hic nõ habet, quod quẽquã aliũ accuſet, tãquã auctorẽ ſuę perturbationis & inquietudinis, niſi velit incuſare Deum, ſine cuius voluntate nulla aduerſa nobis eueniunt, qui & hortatur nos vt ea patientes toleremus, tanquam de ſua manu profecta, ſed omnem culpam conijcere debet in ſemetipſum, quod edomandis paſſionum ſuarum beſtijs nõ ſatis magnam operam impenderit.

QVÆ ſi vera ſunt, vt ſunt veriſſima, liquidò patet ad pacem animi ſolidam obtinendam, orationemque mentalem cum fructu inſtituendam, opus eſſe mortificationis exercitio, voluntatẽ propriam coercẽdo,

& naturæ nostræ corruptæ efficaces motus contrarijs actionibus refrenando. Hanc vitæ regulam spiritus sanctus nobis per os Apostoli tradidit, cum diceret. *Absit mihi gloriari nisi in cruce* Gal 6. *Domini nostri Iesu Christi*, id est, pœnis & opprobrijs, *per quæ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Nomine mundi, intelligens honores, humanas laudes, opes, voluptates carnis & alia quæ mundani homines magni faciunt, quæ omnia Apostolus pro re vilissima, & cadauere fœtido & putrido, vnde nullam voluptatem caperet, æstimabat. Ipse quoque crucifixus & mortuus erat mundo, quia nihil eorum quæ mundi sunt optabat vel expetebat, non secus, quàm si omnis rerum terrenarum cupiditas in eius pectore esset extincta & mortua. Deinde mortuus erat illi, quia illum tanquam cadauer mortuum & rem abominabilẽ execrabatur, fugiebat, sequebatur, & tantũ non pedibus conculcabat. Hanc regulã viuendi, quæ quot sectati fuerint, hoc est, in cruce Christi gloriati, & mortui mundo fuerint, pacem illam Dei, quæ exsuperat omnem sensum, & puras reddit cons-

scientias

scientias, diuinamq; ne misericordiam, qua ab omni noxa liberentur, hæreditabunt.

REFERT B. Dorotheus se initio susceptæ religiosæ vitæ mortificasse suam voluntatem, parendo alienæ superiorum, & honorum cupiditatem, patefaciendo ijsdem tẽtationes & cordis sui cogitationes. eoq; exercitio consecutum tantam animi pacem & tranquillitatem, vt nec vllum religiosæ vitæ opus, nec vlla calamitas deinceps molestiam aliquam aut perturbationem ipsi attulerit. Et quia illis initijs nondum erat rerum diuinarum tam intelligens, ac postea; dubitare cœpit, securamnè & rectam viam teneret in cælũ, eò quod per tribulationes multas, quas ipse non experiebatur, aditus pateret ad cælum. Cum verò nec dubitatio illa consuetam ei pacem adimeret, scripto proposuit eam suo cuidam Patri spirituali, magna sanctitate conspicuo; qui ei respondit. Metum omnem deponeret, tranquillitatem illam natã esse ex mortificãdi studio, quod coluisset, voluntatem & iudicium subijciendo iudicio & voluntati superio-

rum, & in manus Dei, maiorumque
ſuorum omnia tradendo. Felices ita-
que & beati ſunt, qui à Deo impetrâ-
runt voluntatem, viresque ſe morti-
ficandi, diligensque ſtudium adhi-
bent in refrenandis prauis animi per-
turbationibus: illi enim in hac ter-
ra incipiunt guſtum capere illius ſere-
niſſimæ pacis, quæ erit in cælo. Nam,
vt præclarè notauit RICHARDVS
de S. Victore, duabus in rebus con-
ſiſtit beatitudo. Primùm, vt homo
careat iis quæ habere non cupit. Secun-
dò, vt poſſideat omnia, quæ habere
concupiſcit. Vtrumque autem conſe-
quitur ſeruus Dei, dum ſe mortifi-
cat in terra: nam cum ex amore De
abhorreat à voluptatibus ſæculi, & co
poris afflictiones diligat, vbi, ut ſi
tandem fuerit, inuenit quod deſid
rat, nec aduerſitatem aliquam pati
quam non optârit: qui ſtatus hom
nis non eſt aliud, quàm principium
delibatio quædam æternæ felicitatis.

In Beniamin minori. 6. 26.

ALTERA ratio, cur conueni
ſit cum oratione mentali iungi me
tificationem, eſt huiuſmodi: Cru
mentalis, vel diuinarum rerum me

tatio, est ordinarium medium, & exercitium proprium, quo homo fit diuinarum consolationum omniumque sanctarum affectionum amoris, spei, contritionis, gaudij, aliorumq; donorũ spiritaliũ particeps, vt alibi demonstrauimus. Quare certũ est, exercitiũ quo anima disponitur ad recipiendas huiusmodi cõsolationes, esse mortificationis. quippe cũ huius beneficio omnes cupiditates rerũ caducarũ terrenarumq; solatia resecentur, æquoq; & libenti animo pœnę & afflictiones ijs contrariæ suscipiantur. Constat siquidem terrenas consolationes è diametro pugnare cum cælestibus, & amorem inordinatum rerum creatarũ, cum gustu diuinarũ: atq; ideò quandiu animus hominis affixus est solatijs terrenis, fieri non potest, vt se erigat ad cælestes, vt testatur S. BERNARDVS in hæc verba. *Sunt multi inter nos, qui de vno pane comedunt nobiscum, miseri & miserabiles, vtpote socij tribulationis & non consolationis. Huiusmodi autem, si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur &*

Tract. 5. de orat. mentali p. 3.

serm. 3. de accens.

suc-

succumbunt, aut quodammodo in infir
no sunt, vt nunquam ad plenum respi-
rent in luce miserationum Domini, nec
in libertatem spiritus, qua sola facit iu-
gum suaue & onus leue. Inde autem tã
pernicioſa tepiditas emanat, quia affe-
ctus, id est, voluntas eorum nondum pur-
gata est, nec bonum sic volunt, si ut ma-
luerũt à propria concupiscẽtia abstracti
grauiter & illecti Amant enim in ter-
ne sua terrenas cõsolatiunculas, siue in
verbo siue in signo, siue in facto, siue in a
liquo alio: et si hac interrũpãt aliquãdo,
nõ tamen penitus rũpunt. Inde est quod
rarò affectiones suas dirigunt in Deum,
& eorum compunctio non continua, sed
horaria est Impleri autem visitatio-
bus Domini anima non potest, quæ hic
distractionibus subiacet: & quanto ma-
gis illis euacuabitur, tanto amplius ipsa
implebitur: si multum, multum si pari-
parum. Hucusq; B Bernardus. Qua
doctrina, vti certa & vera est, mul
experientia probata, sic magna consi
deratione digna est. Nam ex vna par
vehementer damnat tepiditatem eo
rum, qui initio seruiendi Deo facto, re
vilissima aliqua consolatione destitu-
tus

tur, minimas etiam mortificationes subterfugiunt: & ne voluntatem suã alteri subijciant, aut carnali quam crucem imponant, maximos thesauros spiritales consolationum diuinorum quibus pulcerrimis virtutibus meritisque, animã complere poterant, vltrò negligunt & cõtemnunt. Ex altera verò parte hæc eadem doctrina sedulò expensa plurimum mouere nos potest ad sanctæ mortificationis exercitationem amplectendam. Quis enim deinceps in rebus exiguis non coerceat cupiditates suas, si postea velit ijs dominari in magnis? Quis nõ voluntati suę renunciabit in rebus terrenis nullius pretij, vt acquirat cæleſtes summi pretij? Quis non consolationes viles rerũ creatarum posthabeat diuinis suauissimisque consolationibus creatoris, maximæque promissioni nobis à Deo per Isaiam prophetam iam olim factę, cum diceret: *Si auerteris à Sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaueris sabbatũ delicatum & Sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua,* *Isa. 58.*

tas tua, vt loquaris sermonem Tunc delectaberis super Domino, & sustollã te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Delectari in Domino, quid est aliud, quàm mirabili consolatione perfundi? quid sustolli super altitudines terræ, quàm pectore generoso, spirituque diuino donari, quo omnes res caducæ huius mundi, cũ nihil sint, nihili pẽdantur; quidque cibari hæreditate Iacob patriæ promissa, quàm animam omnibus gratiæ donis in pignus æternæ felicitatis ornari & instrui?

CAPVT XVI.

Mortificationis ope tentationes, omnesque animi hostes expugnari, peccata futura impediri, & gratiam semel acceptam conservari.

AD superandum validissimum inimicum, præsentissimum remedium est, studiosè circumspicere, qua in re summum eius robur positum sit, illudque cum primis

Iudic. 16. vt Philistæi fecêre fortissimo Sampsoni

ni, adimere. Illi enim ex relatione Dalilæ cognôrant omne robur eius fuisse in crinibus, quibus resectis eum ceperunt. Capitalis noster inimicus est, *caro nostra*. nam *caro*, teste Apostolo, *cõcupiscit contra spiritum*. Hic inimicus omnes vires suas habet in commoditatibus & lauta tractatione, quoq; copiosius & crebrius illi subministratur cibus, potus, somnus, otia, aliæq; recreationes, hoc maiores vires & robur capit ad oppugnandum spiritum, & in omnia flagitia præcipitandum. Id Leuitæ filij Israhel confitentur, vt commemorat diuina scriptura; nam loquentes in oratione cum Deo, dixerunt. *Tu Domine dedisti* (maioribus nostris) *regna & populos gentium, & humum pinguem, & possederunt domos plenas cunctis bonis, vineas, olineta, & ligna pomifera multa, & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundauerunt delicijs in bonitate tua magna. Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & recesserunt à te, & proiecerunt legem tuam post terga sua.* Hoc ergò robur carnis; remedium autem ad expug-

Gal. 5.

2. Esdr. c. 9.

nandam eius rebellionem est modera ri cibum potumque abstinentia & ie- iunio, lasciuiam & molliem asperita- te cilicij & disciplinæ comprimere, sub mittere eam & ad labores adigere: sic enim vigorem suum & petulantiam facilè deseret, vt benè monuit B. BA- *Orat. 8. de temperan tia.* LIVS, Nec esse est, inquiens, totum cor- pus nostrum castigare, eique tanquam feræ belluæ frenum injicere: si enim delitijs & blandimentis illud foueamus, instar equi ferocis & indomiti currum cum auriga euertentis, animam nostram in cænum flagitiorum præcipitem ma- get. sin verò subtractione voluptatum & illecebrarum, quæ sunt vitiorum quasi esca; & voluntaria susceptione pœnarum, quæ semen sunt virtutum, assi- gamus, robur eius facilè languefa- ciet, & spiritus imperio rationis & vo- *Serm. 29. in Cant.* luntatis diuinæ nullo negotio illud sub iugabit. De eadem re sic loquitur B. Ber- nardus. *Carnis infirmitas robur spiritui auget & subministrat vires: sed contrario noueris carnis fortitudinem debilitatem spiritus operari.* Neque sic ita intelligendum, quasi naturalis car- nis debilitas vim habeat vires suppe- ditandi

ditandi spiritui, passionibusque & prauis inclinationibus partis animi sentientis efficaciter medendi: fieri siquidem potest, vt in homine quantumuis macilento, & viribus destituto perturbationes iræ, aliæq; huiusmodi remaneant vehementissimæ; sed quod beneficio moderatæ mortificationis, qua nonnihil carnis intemperantia coerceatur diuinæ gratiæ dona, peculiariaque à Deo auxilia, quibus caro debilitetur, & spiritus roboretur, obtineri soleant.

VNDE sequitur, per mortificationem quoque vinci dæmones, qui instrumento carnis nostræ ad oppugnãdum spiritum ferè vtuntur. Qua de causa vnus è primis D Francisci socijs B. Ægidius perfacetè consueuit dicere, *In Chron. ord Minor.* nullum carne nostra valentiorem militem merere dæmoni, itaque ea sub actam nihilum recidere omnes eius conatus. Eadem causa S. Franciscum *In eius vita.* ad mortificationis studium impellebat. Nam, vt scribit Bonauentura, sui mortificandi causa, vel cineres vel aquam in cibos iactabat, vt saporem adimeret; interdormiendum lapidem

capiti, puluini loco, subijciebat; veste nulla, nisi aspera, vti volebat; & si mollior porrecta fuisset, eam interius funiculis exasperabat; eiusque rei duas causas reddebat. Vnam, quod illud placeret Christo. Alteram, quod asperitas plurimum valeret ad vincendos dæmones. Et addit, certissima eum experientia didicisse, dæmones voluptatum & deliciarum illecebra primum hominem tentare, ad mortificationē autem omnem horrere & fugere. Vade D. Augustinus ad fratres in eremis. *Per ieiunium*, inquit, *fratres mei humiliatur caro, & diabolicæ deuincuntur virtutes.* Hoc cæleste documentum suo ore quoque prodidit Christus, cum diceret. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi cum ieiunio & oratione.* In quæ verba Augustinus. *Vidit*, inquit, *quanta seruientium virtus, vt id facere ieiunio valeant, quod Apostoli nequiuerunt*, nempè sola inuocatione nominis Christi: si enim mortificationem ieiunij inuocationi iunxissent, efficaciorem orationem reddidissent.

Serm. 23. Matt. 17.

Serm. 65. de Temp.

Ex hac doctrina sequitur, nos per-

mor-

mortificationem, non modò liberari à peccatis præteritis, satisfaciendo pro illis, vt dictum est, sed etiam à futuris, quæ committere poteramus. Idcirco enim homo in peccatum labitur, quia, cum ipse sit infirmus, dæmon verò fortis, facilè eius tentationi succumbat: at per mortificationem dæmonis vires imminuuntur, & spiritus noster roboratur, vt tentationibus obsistere possit, à quibus alioquin erat in peccatum præcipitandus. Hoc expendens S. Bernardus. *Primum quidem, ait, fratres pro eo, quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus illicita, condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennã enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus, vbi gutta aquæ diues postulat, & accipere nõ meretur. Bonũ ergo & salutare ieiunũ, quo redimũtur æterna supplicia, dũ remittũtur hoc modo peccata. Nõ solũ autẽ abolitio est peccatorũ, sed extirpatio vitiorum: nõ solũ obtinet veniã, sed & promeretur gratiam: non solum delet peccata præterita, quæ com-*

Serm. 4. de quadrages.

Luc. 16.

commisimus, sed & repellit futura, quã cõmittere poteramus. Hæc omnia Bernardus. O immensam Dei misericordiam ô bonorum ineffabilium pelagus, hominem Christianum tam facile, abstinendo illecebris carnis, & propriæ voluntatis solatijs, pœnam exiguã corpori inflgendo, sensusq; coercendo posse efficere, quod omnes imperatores & monarchæ huius mundi omnes, quantumuis potentissimi exercitus, qui integras regiones armis suis subigere voluerunt, efficere nunquam potuerunt, hoc est, vt vel vnum dæmonem expugnarent, vel vno peccato quempiam liberarent. O admirabilis Christi in nos fauor & humanitas, qui tã leui & facili remedio in suis electis operari voluit tam heroica facinora, vt Satanæ frangere potẽtiam & flagitiorum tyrannidem conpesce re. Quare merito B. Leo Pontifex maximus inter spiritus sancti maxima do-

Serm. 2. de Pentec. na, quæ Deus suæ impertiuit Ecclesiæ, numerandum putat, quod ad carnis vitia, dæmonisq; fraudes superandas nobis præsidium ieiunij & mortificationis concesserit, cuius operâ, Deo adiuuante,

uante, omnibus tentationibus resistere possimus.

Ex eadem doctrina id quoque efficitur, mortificationis bono à nobis etiam obtineri donum incomparabile virtutis perseuerantiæ Neque enim vel gratia vel caritate antè excidimus, quàm tentatione graui in noxam lethalem nos prosterni sinamus. Cum ergò, vt dictum est, mortificationis virtute omnibus tentationibus superiores euadamus, perspicuè sequitur in gratia semel accepta nos perdurare. Magnum profectò solatiũ est, in hoc nostræ vitæ exilio, tot periculis & calamitatibus pleno, tam grande & efficax antidotum habere cõtra omnes lapsus; neque enim omnes serui Dei alia de causa ingemiscunt & suspirant in hac vita, quàm quia solliciti sunt, vt hoc perseuerantiæ donum, quo vno coronam de manu summi Imperatoris sui & iudicis tandem rapient, à Deo consequantur. Omnes virtutes currũt ad brauium, inquit quidam, sed sola perseuerantia coronatur.

C Trid. sess. 6. cap. 23.

Scimvs neminem posse de condigno, vel ex iustitia mereri hoc perseue-

feuerantiæ donum, quia lege ordinaria homo manet in hac vita liberad peccandum mortaliter, ac proinde in eo ſtatu, quo gratia ſpoliari poſſit.

Quare magni beneficij loco ducere debemus, à Deo nobis relicta media quibus illud obtineamus, ſaltem ex miſericordia, vt orationem, mortificationem, & eleemoſynam, quibus medijs, opitulante diuina gratia, hunc mirabilem perſeuerantiæ effectum impetrare poſſumus, vt fatetur Concilium Tridentinum his verbis. DE *perſeuerantiæ munere nemo ſibi certi aliquid abſolutæ certitudine pollliceatur; tametſi in DEI auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Et declarans quibus medijs obtineatur perſeuerantia, ſubijcit, nos debere *operari ſalutem noſtram in laboribus, in vigilijs, in eleemoſynis, in orationibus, in ieiunijs, & caſtitate.* Deinde clarius exponens mortificationis virtutem, adiungit. *Scientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam re-*

ſeſſ. 6. c. 13.

nati sunt, de pugna, qua supereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent, dicenti. Debitores sumus, non carni, vt secundum carnem viuamus: si enim secundum carnem vixeritis, morimini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Rom. 8. Hucusque Concilium.

CAPVT XVII.

Mortificationis exemplo multos ædificari & ad bona opera commoueri.

NON dubium est, vt sancti Patres confitentur, vti bona doctrina multi ædificantur & mouentur ad vitā piè instituendā, sic bonæ vitæ exēplo efficacius multò plures commoueri. Deū, antequam humanam assumeret naturam, visibileq; virtutis exemplum præberet, cognoscebāt & imitabātur in mūdo pauci, cātabaturq; illud Psalmi. *Notus in Iudæa Deus, in Israhel magnum nomen eius.* Psal. 75. in solo enim angulo illo orbis, nempe

Greg. in pastoras. p. 2. c. 3. & in prol. dialog. Bern. serm. de S. Benedicto.

pe Palęstina ferè agnoscebatur verus DEVS & colebatur. At postquam Deus factus est homo, seque exemplũ spectabile omnibus proposuit nostræ imbecillitati accommodatum, & de eo

Act. 1. dictum est, *cæpit Iesus facere, & docere* cognosci cæpit ab omnibus, sicut

Mal 1. in persona eius à propheta Malachia erat prædictum. *Ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus*, nempe quia agnoscebatur & adorabatur pro vero Deo in toto mundo. In conuersione quoque mũdi ad Christi fidem, etsi multum effectum sit ministerio prędicationis Euãgelicæ, & miraculorum patratione, tamen multò plus profecit S. Apostolorum, & apostolicorumque virorum, & fidelium omnium qui in communi vitam perfectam ducebant, exemplũ, vt affirmat S. Chrysostomus. Gentiles, inquiens, plus permoti sunt ad iugum legis Christi suscipiendum sanctitate vitę, quàm miraculis. Et alibi Gentiles, inquit, non miraculis tantũ ad credendum adducti sunt, sed etiã vita fidelium integra & sancta, cum vnum cor essent & vnicuiq; ex communibus

hom. 71. *in c.* 13. *Ioan. & hom.* 6. *in* 1. *Cor.* 1.

nibus facultatibus distribueretur quã tum opus erat. Et si nunc talem vitam agerent Christiani, totus mundus facilè fidei Christi adũgeretur. Sic Chrysostomus. Et certè experientia ipsa docet, nos reuera insigni virtutis exemplo à magno Dei seruo præstito magis ad pietatem moueri, quàm omnibus concionibus & admonitionibus.

ET quamuis quoduis opus virtutis externum à seruo Dei profectum efficacitatem quandam habeat ad alios in virtutis amorem inflammãdos, nihilominus mortificationis exercitium in eo genere peculiarem sibi vendicat gratiam. Si enim quisp. ãab omnibus delitijs studio se mortificandi, etiam licitis abstineat, amet pœnitentias, eaque quę pœnam & molestiã corpori afferunt, ac præterea nihil in eius vita reprehensione dignũ animaduertatur, dici non potest, quantũ hoc vitæ exemplo alios commoueat ad vitæ anteactæ emendationem, quantũ alios pudefaciat voluptatibus, corporisq; commodis deditos, ignauos quoque & tepidos coarguat, vt ex veterno suo emergant. Confirmabimus

id ex-

id exēplis nōnullis, quia (vt dixim⁹) ordinariè pl⁹ mouent exēpla, quā verba.

ur in
ceb.

COMMEMORAT Simeō Metaphrastes, cū S. Saba Abbas in ſpelūca quadā deliteſceret vna cū diſcipulo ſuo, nomine Baſilio, qui genere nobilis, & diues ōnibus relictis ſtatuerat cū dicto Patre pœnitentiā agere, nocte quadā ſpelunca ingreſſos latrones, vt inde aliquid abriperēt, & cū nihil apud eos pretio dignū inueniſſēt, cepiſſe eos cogitare, illos procul dubio homines eſſe ſanctos, qui vitā tā inopē, omnibus rebus neceſſarijs deſtitutā ibi traducerent, ſe verò eſſe homines perditos & dānationis reos; In qua cogitatione dū eſſent, cæpiſſe vehemēter dolore de peccatis, & impendentem Dei metuere vindictam: occurriſſe deinde in vaſta ſolitudine ingētes leones; illos verò, cū remedīū liberationis aliud nō veniret in mētē, præcepiſſe, vt propter B. Sabę ora tiōes terga verterēt, quod & fecerūt, nō ſec⁹, quā ſi telis cōfixi fuiſſēt. Illi verò cōtinuò ad S. Sabā reuerterūt, vitā cōmutârūt, & manuū labore deinceps victitârūt. Tātū potuit bonū iuſtorū ſanctorum mortificatorum exemplum.

NEC

NEC mouet solũ mortificatio peccatores ad corrigẽdã vitã, abdicãdo se voluptatib⁹ pœna ęterna dignis, sed etiã ad imitãdũ ipsi⁹ virtutis exẽplũ. Quot enim homines, cõspecto aliquo mortificati serui Dei exẽplo, excluso omni lãguore, torporeque ad imitandum se comparant, & quod antè credebant impossibile, experiuntur esse facile? S. Vincentius ordinis Prædicatorum, vt est in eius vita, prædicatione sua nõ solùm prouocabat homines ad internum dolorem de peccatis, sed etiam ad acerrimas corporis diuerberationes, quæ sæpè à multo populo, totisque ciuitatibus circũ Ecclesias publicè instituebãtur. Id cũ in Frãcia quoq; fecisset, accidit Lugduni militẽ quendã pessimũ, qui omnibus erat scandalo, tãdẽ adire sacerdotẽ & peccatorũ facere exomologesin. Cui sacerdos loco pęnitẽtię cũ iniũxisset, vt in publica aliqua supplicatiõe disciplinã cũ alijs ferret & ille agrè tantã pęnitentiã susciperet, non aliud illi mandauit, quàm vt comitaretur saltem in processione: libenter paruit, & spectaculo verbẽratium durum illud pectus ad tantũ

Vin. Iustin. in eius vita.

crimi-

criminum suorum dolorem commotum est, vt detractis vestibus flagro accepto tam immaniter in tergum suũ desæuierit, vt circunstãtes omnes moueritad lacrymas, ac tandem, ne nec sibi immani iteratione ictuum afferret, opus fuerit disciplinam è manibus extorquere. Itaq; apud hunc hominẽ plus valuit bonum exemplum, quam verborum Confessarij autoritas; cuius magnum dei donum sit emollire hominis duri cor ad agendam tam magnam pœnitentiam, facilè apparet quãta sit mortificationis vis & efficacia, maximè cum quo admouendum est potentior, hoc Deus quoque prouidentior per illam operetur, fiatque aliquãdo, vt vnius hominis verberatio plurimos, imò totos populos ad idẽ imitandum permouerat.

In eius vita & in epist. in appendi Biblioth. sacra.

B PETRVS Damianus Cardinalis narrat S. Dominicum Loricatum inter cæteras mortificationes, hanc inprimis vsurpasse, vt totum corpus crebris virgarum ictibus in quinque vel sex horas affligeret, totumque interictus psalterium, quod memoriter addidicerat, recitaret. Quod exemplum fecit

vt disciplinæ vsus, in ditione illa, totaque patria, in qua morabatur, frequentari cæperit, non modò inter religiosos, sed etiam inter seculares, viros & fœminas, nobiles & ignobiles: tantoq; ardore hāc castigationem suscipiebāt, vt crederent se hoc genere supplicij omnes pœnas peccatis in alio seculo debitas expurgaturos. Cur autem seruui dei mortificationis exemplo tantoperè homines permoueant, illa vna causa est, quòd, vt sunt addicti voluptatibus & illecebris carnis, omnesque affectiones illius refugiunt, vehementer admirantur, si quem cernant tanta virtute præditum, vt omnia huius mundi blandimenta contemnat, & tā acribus flagris in hostem domesticū sæuiat. Hoc ipsum S. Petrus in epistola canonica obseruauit. nam cum hortatus fuisset fideles, vt exemplo Christi armarent se contra inordinatas carnis cupiditates, mortificationemque crucis Christi amplecterentur, mox addit. *In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* Altera causa est, quia peccata ferè committuntur ab hominibus, aut ad

epist 1. c. 4.

capiendam aliquam voluptatem, ad
ad euitandam aliquam affl ctionē,
pænam: cum ergò homines huius
culi vident seruos dei contemptis
nis blandimentis vltrò eam crucis
re cum concupiscentijs, prorsus in
sententiam veniunt, esse eos ab om
crimine & malitia immunes. Hoc
no Iustinus martyr olim primor
Christianoru innocentiā agnouit,
ad eorū numerum se aggregauit. Co
fitetur enim ipse in suis libris, se, cū
tilis esset, cernere q; Christianos m
tyres summo cū gaudio acerbissim
se obijcere tormentis, potius, quàm
idola colerent, in eam cogitationē
venisse, fieri nō posse vt tales hom
sint flagitiosi. Si enim fuissent, co
modis suis studuissent, ac proinde
uos & incolumes se esse voluisse,
niq; conatu durissima tormenta
terfugissent.

Perion. in eius vita & Surius.

ATQ. hinc discere quēūt pietatis
diosi, quibus curę est animę salus,
to studio fugere debeamus superu
neas carnis delitias, & cōtinuę m
ficationi operam dare, ne prauo
plo alicui prębeamus causā ruinę,

quo Christus mortuus est. Hoc perpetuũ fuit omniũ Sanctorũ studiũ, vt sicut magno zelo ardebant salutis animarum, atq; ideò omnes offendiculi occasiones cauebãt, ita etiã se proprio solatio, multisq; cõmodis ad vitã necessarijs spõte exspoliarẽt, ac præterea corpus multis pænitentijs, ad bonum exemplum relinquendũ alijs, diuexarent. S. Antonius, cũ in adolescentia, maximas pænitentias fecisset, multisque annis incredibiles pugnas cũ dæmonibus sustinuisset, quando ad extremã senectam, in qua quieti aliquid dandum videbatur, peruenit, renouare cæpit omnia pristina pænitẽtiæ exercitia, ad dandum bonum exemplũ alijs, quibuscum tunc versabatur. *Athan. in eius vita.*

IDEM fecit S. FRANCISCVS, qui etsi multis mortificationibus, quas initio conuersionis suæ subierat, viribus esset debilitatus & æger, atque idcircò non opus habebat tanta vitæ asperitate ad domandam carnem, quam spiritui iam perfectè subiecerat: tamen vt suo exemplo præiret alijs, crebrò iterabat opera abstinẽtiæ & mortificationis, dicebãt nimirum illi S. P. *Lib. 1. vitæ c. 42.*

tepidi-

tepiditatis & laxitatis in quibusdam
religionibus causam esse, quod qui re
cens ingrediuntur religionem, vt ha
bet B. Bonauentura, oculos conij
soleant in exempla seniorum, quo
ad pœnitentias & mortificationem
tinet, non considerantes, quid egerint
dum essent iuuenes; & ideò nihil imi
tari volunt, nisi quod in illis viderint
& à primo feruore discedunt. Atque
vt huic incommodo occurrerent, à pri
stina seueritate viuendi nihil remitte
bant.

CAETERVM, quia non omnibus
suppetunt vires ad præstandi, quic
minus congruens est & iustum, vt se
ui Dei in affecta ætate aliqua mortifi
cationis exercitia, quę vires non exce
dant, amplectantur, vt omnes intel
gant, quanti illa æstiment, quam
necessaria sint ad virtutum perfec
nem assequendam, seque non vole
tatis, sed sanitatis vitio à durior
corporis castigationibus abstinere.

S. DOMINICVS, tantum op
In eius vi ponebat in hominibus bono exc
tal. 4 c. 3 iuuandis, auertendisque omnibus
2. 0. fendi malis, vt ne æger quidem lau

res cibos admitteret, & dum iter faceret pedibus, lassusque & sitibundus diuersorium adiret, ne aquam quidem ad satietatem bibere auderet, ne cuiquam in re tam parua malum exemplum daret: vnde ad sitim restinguendam sæpenumerò fontes in via inquirebat. O quàm longè ab hoc sanctorũ spiritu absunt, qui suis commodis student, & neglecto bono exemplo, id vnum laborant, vt lautè cuticulam curent, & cum in vestitu, tum in habitatione nihil desideretur, quod optari queat. Meritò sanè S. BERNARDVS perstringit eos, qui in victu, alijsq; rebus plus æquo sunt solliciti & curiosi, non contenti ijs, quæ ad vitam tolerandam sufficiunt, ac conscientiam eorum stimulat hisce verbis. *Parce obsecro primum quidem quieti tuæ, parce conscientiæ: Conscientiæ, dico, non tuæ, sed alterius, illius videlicet, qui prope sedens & edens, quod sibi apponitur, de tuo singulari ieiunio murmurat.* Vigilãtes igitur simus in cauendis scandalorum occasionibus, alijsq; bonũ exemplum præbeamus, vt mortificationis, quæ instrumentum est ad omnes virtutes,

Serm. 30. in Cant.

tutes, ſtudium magni ab omnibus fi-
at. Sic enim faciemus rem gratam Do
mino, qui pro ſalute animarum vitã
profudit, & in virtute meritisq; apud
Deum magnos progreſſus faciemus.
Quemadmodũ enim qui prauo ſuo
exemplo alios impellunt in ruinam
& perditionem, tot homicidiorũ ſpi-
ritualium apud Deum rei ſunt: ſic qui
bono exemplo plurimis ſectandæ vir-
tutis auctores fuêre, vel ad rationem vi-
tæ ſanctioris ineundas perduxêre, to-
tidem meritorum & coro-
narum immortaliũ apud
Deum participes
redden-
tur.

FINIS I. PARTIS.

PAR

PARS II.

In qua sigillatim declaratur quibus in rebus homo se debeat mortificare.

PROOEMIVM.

HACTENVS satis declarauimus, quis finis & scopus propositus nobis esse debeat in hoc Mortificationis exercitio, & quàm admirandi sint eius fructus; nunc superest, vt singillatim exponamus, quid homo in se debeat mortificare, nempè, amorē proprium, voluntatem propriam, passiones, & alias propensiones prauas. Necarbitrari debemus ea, quæ mortificāda sunt semper esse peccata mortalia; sæpe enim ne venialia quidem sunt, sed inclinationes tantùm ad peccatum: mortificanda autem vel coercenda, ne in peccatum aliquod graue vel leue labamur.

CAPVT I.

Qualis sit Amor proprius, qui mortificandus est, & qui eius effectus.

EST quidam amor, quo homo se amat ordinatè, & bono fine, qui est gloria Dei, vel alius honestus finis, qui natura sua tendat in Deum; quo amore homo amat beatitudinem extremam, eaque omnia quæ ad illam consequendam adiumento esse possunt. Hic amor non appellatur amor proprius, quia etsi eo quæramus nostrum profectum, tamen quia principalis finis loco propositum non habet semetipsum, sed Deum, idcirco potius est amor veræ caritatis, & merè spiritualis. Amor ergò proprius est, quo quis amat seipsum, hoc est, quo quis tantùm studet suis cõmodis, nulla habita ratione gloriæ diuinæ, idque bifariam fieri potest Primò, si partem spiritualem hominis pro obiecto habeat, & amet per se virtutes & dona spiritualia animi, ac fælicitatẽ quoq; ipsâ, quatenus vtilitatem aliquam spiritualem conciliant. At hic amor proprius est

est in re spiritali. Verùm quāuis amor proprius, qui primarij finis loco propositum habet seipsum, & non Deum, sit imperfectus, nec sufficiat ad salutem, tamen facilè corrigi potest & perfici, nempe mutatione tantùm finis; res enim spirituales quæ amātur, ex se bonæ sunt. Mortificandus est autē hic amor, primum attentè expendendo beneficiorum diuinorum magnitudinem, & quanto Dei amore illa sint nobis communicata, deinde capessendū ardens desiderium placendi ei, qui tanto amore dignus est, & tot muneribus ad se redamandum nos sibi deuinxit. Quando enim anima erit hoc desiderio ioflam mata, facilè longius progredietur, perspicietque, nihil æquè à Deo requiri ad suam gloriam amplificādam, quàm vt solidis virtutibus operam demus in hac vita, & in altera suo conspectu iucundissimè aliquandò perfruamur; amemusque virtutes, nō tam quia nobis vtiles sunt, quàm quia placent Deo, eiusque gloria per illas promouetur. Et quia in talibus amorem proprium exscindere, eumque in solius Dei amorem conuertere, magnum

nũ Dei donũ, est & supernaturale, ea
iũgẽdę sunt huic exercitio humiles a
dentesq; preces, & corporales nõnulle
mortificationes cęteris faciliores, v
hoc donum mortificationis à Deo
impetretur.

ALIVS est amor proprius, qui obiecti
loco habet sensitiuã hominis partẽ
voluptates & delitias carnis procliuẽ
ac etiã rationalẽ in honores, opes &
lia bona tẽporalia inclinãtem. Hou
more homo non virtutes, sed res natu
ræ corruptæ inclinationi obnoxias cõ
plectitur, nec alium scopũ propositum
habet, quã cõmodum suum tẽporale.
Et hic propriè vocatur amor proprius
qui quidẽ pernicioſissimus est, quia
nimum vehementer excæcat. Vnde
GREGORIVS, *sunt*, inquit, *multa pec*
ta quæ committimus, sed idcirco mo
grauia non videtur, quia priuata a
amore diligentes, clausis nobis oculis
nostra deceptione blandimur. Deinde
quia est omnium malorum fons
origo, vt paulò pòst ostendemus. E
hoc amore manant effectus quia
vitioſi, quia pertè sunt peccata, secun
dum Apostolum, dum ait: *In mu*

Hom. 4. in Ezech.

mis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus nō obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi tumidi, et voluptatū amatores magis, quā Dei. Ex eadē radice oriuntur & alij affectus, sed non sunt omnes peccati mortalis, nec peccati rationem vendicant, nisi quod finem debitum propositum non habeant. Hos nos patefacere conamur, vt constet quid in proprio amore mortificandum sit. Vnus è vitiosis proprij amoris affectibus est, quādo homo sibi placet, & quando illi sua facta arridēt, nō tanquam Dei dona, sed suæ industriæ opera. Alius, quando nō propter Deū aut alium bonum finem desiderat ab omnibus amari, sed tantùm vt inde aliquod solatium capiat & voluptatem Quos affectus fatetur S. Augustinus ex proprio & inordinato amore proficisci. 2. Tim 3. lib. 10. confes. c 36. & 39.

ALII affectus vitiosi ab amore proprio deriuati, sunt, plus æquo pudefieri ob defectus naturæ, vt deformitatem vultus, membra distorta,

vocem aſperam, inopiam parentum,
officij quod geritur vilitatem, & cæ-
huiuſmodi. De ſolo enim peccato De-
iáque offenſa verecundari debet ho-
mo, pudeſcere autem de rebus à Deo
proſectis, & quæ nullam peccati no-
tam habent, eſt hominis nimium fa-
mantis, ſuumque honorem in omni-
bus quæ eris. Hic us effectus eſt, ſigni
ægrè admiſſam culpam confitea-
eò quod coram hominibus lauda-
videri velit, quàm ſit coram Deo, vo-
ne aliquid de bona opinione, quam
pud alios habet, detrahatur. Siquis
libenter tractet, vel de ijs rebus
tur, vnde ſpes aliqua eſt honoris &
manæ laudis. ſi ambiat dignitates
iores & honoratiores, ſi tuas virtu-
ſui generis nobilitatem, & alia præ-
cet: Si optat alios in ea perſuaſione
ſe, vt exiſtiment ipſum, non vola-
te, ſed neceſſitate aliorum quæ impe-
ad faſtigium alicuius dignitatis
ctum, ac proinde credant eum eſſe
milem, alijsque multis virtutibus
natum, quæ foris non appareant. S
operibus bonis alijsq; actionibus
de dignis præſtandis, quæ nouit

minũ oculos incurſura, magnũ ſtudium adhibeat, vt rectè & ſine cuiusquam querela vel calumnia fiant; quę verò ſecreta facit, ſoli diuino cõſpectui nota, non tantum ſtudium in ijs cum omni perfectione exercendis ponat. Vt ſi, cum diuinum officium publicè dicendum eſt, aut paruulæ orationes vocales recitandæ, ſit valdè deuotus: ſi verò priuatim, diſtractus & incompoſitus. Si, quoties in præſentia aliorũ ab eo petitur eleemoſyna, aut aliud caritatis opus, promptiſſimè porrigat; ſi clam, nullo præſente, nihil vel parum communicet. Si domi obtres leuiſſimas ita accẽdatur, publicè verò obtres grauiores iracundiam comprimat, ne ſubiectus paſſionibus videatur. Contra quoque, ſi negligat bona opera præſtare, vt ieiunare, carnem caſtigare, ægris ſeruire, aliaq; caritatis opera exercere, ne videatur ab hominibus, non quòd metuat ſanctus ab hominibus reputari, ſed ne exiſtimetur vanæ gloriæ captandæ cauſa illa feciſſe.

ALIVS eiuſdem amoris proprij effectus eſt, metuere, ne parui apud alios æſtimemur: magnã diligentiam

adhibere in procurandis proprijs commodis, facultatibus augẽdis, & honoribus consequendis; contrà verò, negligenter agere in salute animæ & gloria diuina promouenda. Multum temporis consumere in concinnandis vestibus, & componendo cubiculo; exiguumq; spacium faciendo examini conscientiæ, & Rosario lectitando relinquere. Aduigilare vt famuli domus, & liberi summo manè è lectis se proripiant, & ne minimum quidem tẽporis punctulũ ad quæstum faciendum negligant: nihil autẽ laborare, vt sacrificium Missę tempore audiant, vt confessionem peccatorum faciant, doctrinã Christianã addiscãt, & diuina mandata præstent. Operã dare, vt redditus, & census Annui exactè persoluantur, & negligere vt famulorum salaria, & debita cõtracta suo tẽpore restituãtur. Omnẽ lapidẽ mouere, vt æquè ab externis ac à domesticis honor sibi magn⁹ eũ magna submissione deferatur, & parui facere, si exiguus honor præstetur Deo, imò iuramẽtis, blasphemijs, murmurationibus, detractionibus, & alijs peccatis indies offenda-

tur

tur. Si omnē industriā collocet, vt supellex domestica & quicquid in ædib⁹ obiectū est oculis carnis, bellè niteat, sit mēsa lauta, & palato grata, parūverò cu retanimā ꝙ esse purā à vitijs, & virtuti b⁹ humilitatis, mānsuetudinis, alijsque ornatā, atq; ita cōpositā, vt diuinis oculis placeat. Si in multis pijs operibus exercere se negligat, ne ab alijs irrideatur, aut detrimētū aliquod patiatur, maximè si erant opera lege aliqua diuina vel humana imperata. Si singulari amore aliquem prosequatur, cuius cōsuetudine in magnas animi distractiones & perturbationes incidat, contristetur autē, si eius familiaritate frui nequeat. Hi omnes, alijque id genus, sunt affectus inordinati ex amore proprio profecti, quibus homo in suis rebus præcipuè seipsum & non Deum quærit. Sed iam videbimus, quemadmodum sint cum sua radice mortificandi & subiugandi.

CAPVT. II.

Qua ratione mortificandus sit amor proprius, cum affectibus ex eo ortis.

Sen-

SERVVS Dei ad mortificandum amorem proprium in rebus ad honorem spectantibus, debet eũ tamtũ honorem optare & acceptare, quo se vel alios credat posse reddi meliores, vel quem non potest sine iustacausa repudiare. Quòd si honor ad nihil horum necessarius sit, aut prosit, expetendus vel quærendus non est, cũ in illo aucũpando homo non nisi proprium commodum finis loco spectare possit. Pugnandum autem est contra huius generis amorem exercitio contrariorum, vt si quando occasio offerat defectus naturales cum aliquo pudore patefaciendi, patefacere non reformidet: noxas quoque in quas vel ignorãtia vel incuria lapsus est, motũ scãdalũ absit, & periculũ animę, nõ cauellet, instar eorũ qui fastu & arrogãtia tumidi suas laudes effutiunt coram aliis, quando nulla etiam se offert occasio: id verò in animo propositum habeat, talis apud homines haberi, qualis sit apud Deum, & in humilitate facere progressum, exstirpata superbia. Item si, quæ opera bona præstare possit clam, ea non faciat publicè citra ne-

cessi-

cessitatem: sed nec dona & charismata diuinitus accepta cuiquam aperiat, nisi Patri spirituali, quem in salute animæ curanda elegit. Quod si quædã opera bona nõ ita secrete fieri possint, quin in aliorum notitiam veniant, ea vanæ gloriæ, vel calumniarum metu prætermittat, sed in omnibus tantùm quærat Dei gloriam, suamque salutẽ, & gaudeat in corde, quod à nonnullis irrideantur. Si ob aliquem defectum arguatur, aut bonum eius opus in malam partem trahatur, si scandalum, dãnumque omne spirituale absit, silentio se tueatur, non excuset, nec purget. Sic mortificandus est amor proprius circa honorem. Sed quia magni momenti est mortificatio huius affectus, nonnulla maioris declarationis causa adiungemus.

IN rebus ad vitæ conseruationem, curamque corporis & fortunarum pertinentibus seruus Dei amoris proprij mortificandi causa non debet vel expetere vel admittere superuacanea, & quæ tantùm ad voluptatem conciliandam seruiant, sed quæ sunt necessaria. Quod docuit alicubi B. BASILIVS. Cor

orat. 22 de anima.

pori,

pori, inquit, seruiendum non est, nisi necessitas postulet. Et rationem addit, quia si molliter tractetur, bonis animi viam præcludit. Et quia in rebus necessarijs fallere nos potest amor proprius, vt vel inordinato affectu, vel peruerso fine illas vsurpemus, amore proprium coercere inter eos limites debemus, vt ex parte nostra carere velimus voluptate & gustu quem præbent, modò sit res licita & honesta. Loquor de rebus ad vitam necessarijs vt cibo, potu, vestitu, somno, honesta recreatione, alijsque similibus, quę quia inclinationi nostræ sunt conformes, voluptatem quandam habent annexam, qua si homo ex parte sua carere cupiat, multum apud Deum meretur potest. Quod fit, quando homo in corde suo dicit: si possem sine vlla voluptate necessitati succurrere, ob Dei amorem, & ad imitandam Christi crucem, libenter facerem. Itaque amor proprius mortificatur, quando rebus necessarijs, neque affectu neque fine inordinato vtimur, sed tantùm vt naturali necessitati, diuinæq; ordinationi quæ est, vt vtamur creaturis ad corpo-

ris

ris nostri sustentationem, faciamus satis.

Vt autem rectius intelligamus, quo fine res necessarias vsurpare debeamus, ad mortificandum amorem proprium, cumulandaque merita (quæres est maximi ponderis) obseruandū est, inter opera, quæ ad gloriam Dei à nobis præstantur, quædam suapte natura esse bona, & sancta, vt orare, quod est opus religionis: eleemosynam pauperi dare, quod est opus caritatis, debita restituere, præceptis parentum obsequi & superiorum, quæ sunt opera iustitiæ, vel virtutum. In his operibus, vt bona sint, & vt in gratia existens illis aliquid mereatur, non opus est alium propositum esse finem quàm ipsa habent. Itaque si seruus dei in horum operum exercitio, non apponat prauum finem, vel hominibus placendi, vel nomen & famam aucupandi, sed tātū ea præstet, quia sūt præcepta vel consulta in noua lege à Deo, vel quia per se sūt opera bona, iā verè illis promereri potest vitam æternam.

Verum est, ea præstantiora maiorisque meriti fore, si actuali cōsideratione

12.q 27.a. 3.& 4.2. sent d. 40. q 3.a 5.& 38 q.1.a 1. ad 4. Caiet.12.q. 114.a 3.

tione ad Dei gloriam referantur, vt hoc magis ei placeamus: tamen id necessarium non est: satis enim est ea præstanda moueri, quia bona sunt, & in lege diuina approbata, ac vitæ æternæ, ampliorisque gratiæ iustis meritoria. Nam vt affirmat D. THOMAS Aquinas, & cum eo Theologi omnes, ratioque naturalis euincit, vt opus aliquod sit meritorium, sufficit si natura sua bonum sit, si finem bonū cuicunque virtuti præstitutum habeat, si non affectum circumstantijs vitiosis, & exerceatur ab homine existente in gratia & caritate, qua Deum diligat super omnia. Cuius doctrinæ illa causa est, quia omne opus bonum nullo vitioso fine inquinatum ex se tendit in Deum, ac maximè, quia illa voluntas, qua iustus Deum sibi proponit tanquam vltimum finem, seriogi constituit illi seruire, & in omnibus placere, omnia opera bona quasi secū trahit, vt recta intentione fiant, itaque quia illa ex tam bono fonte & radice prodeunt, certū est omnia virtualiter, vt Theologi loquūtur, referri in Deū, esseque vitæ æternæ meritoria. Quæ

tes magno solatio est pijs & iustis, eos que vehemẽter inflammat, vt iugi bonorũ operũ exercitationi se dedant.

Iam verò alia seruorum Dei opera sunt, quæ sua natura nec bona, nec mala sunt, & ideò vocantur adiaphora, vel indifferentia, vti sunt edere, bibere, dormire, ambulare, ludere, ciuilia officia tractare, liberos educare, emere, vẽdere, ædificare. Hæc & id genus alia innumera opera, in quibus magna temporis & vitæ humanæ pars consumitur, vt bona sint, iustoque valeant ad promerendam vitam æternam, suæ naturæ relinquenda non sunt, sed aliquo fine bono exornãda. vt si seruus Dei ea faciat, quia Deus voluit ea fieri, vel quia ad vitam humanam sunt necessaria, vel quia ad bonum aliquem finẽ conducunt, vel etiam quia ratio humana dictat facienda. Quod si ea præstet, nullo horum finium proposito, tum à solo amore proprio oriuntur, commodi tantùm sui studioso, ac proinde nullam vim merendi apud Deum habẽt. sin verò ob dictos fines, vel alium cuiusuis virtutis faciat, vt quia parentes

vel

vel superiores ita mandârint, quod est
obedientiæ, vel vt solatium aliquod
præstet proximo, quod est caritati
tuncilla alioquin adiaphora, efficiun
tur bona, & in eo qui existit in gratia,
teste S. Thoma, alijsq; Theologis, vitæ
æternę meritoria.

12.q.18.a. 9.2.sent.d. 40.q.5.a.1. de malo.q. 2.a.5.

His ita constitutis, vt intelligatur
quando amor proprius mortificadus
sit in dictis operibus ad vitam huma-
nam necessarijs, animaduertendũ est,
hac mortificatione opus nõ esse, cum
ita sũt necessaria, vt sine detrimẽto o-
mitti non queãt: sed tantũ cum cura
damnũ aliquod deferi possunt, etiã
nõ sint superflua, cuiusmodi sunt cer-
porũ recreationes quædã, varia fumo-
lorũ ministeria, ædium ornamenta,
victus vestitusq; cõmoda, quæ cum
iacturã minui possũt. Sed & mortifica-
tioni aliquãdò locus est quãdo diuina
ordinatione etiã valdè necessaria sub-
trahũtur, cõformãdo suã voluntatẽ
diuina exẽplo, Iob, & dicẽdo, sit nom
Domini benedictũ. Vt verò homo per
suadeat sibi, ita esse faciẽdũ, debet eos
los mẽtis ad se reflectere, & penitus
expẽdere, quãtũ malorũ ex vno aspe-

gio

prio profectū sit, quomodo omnium peccatorū ante hac cōtra Deū cōmissorū fons fuerit & seminariū. Et quēadmodū homo sceleratus nō modò persequitur hostē, à quo iniuria affect' est, sed etiā eius parētē, à quo genitus est: sic amator virtutis, nō solùm debet odisse, & è medio tollere peccatum, à quo occisus est, verùm etiam persequi & mortificare amorem proprium, qui fons est & origo omnium peccatorum commissorum, quo fonte semel sublato, longius absit ab occasione deinceps delinquendi. Illud quoque scire debet, quò plus amorem proprium mortificârit, hoc Deum liberaliorē fore in diuino amore illi cōmunicando: idcircò enim filius Dei in hunc mundum venit, factus homo, & pro homine passus, vt ignem cælestem secum deferret, eumque in cordibus nostris accēderet. Et quia amoris diuini ignis repugnat igni amoris proprij: quo homo maiores progressus faciet expugnādo cum diuina gratia amorē propriū, expurgādo per mortificationē animū ab eius sordibus: hoc Deus magis magis q; indies sua diuini amoris & gratiæ dona pretiosissima cumulabit. CA-

Luc. 12.

Aug. l. 83. q. 36.

CAPVT III.

Quid sit propria voluntas, & quomodo mortificanda sit.

VOLVNTAS propria ab amore proprio distinguitur, licuit generis species, & a parte totum. nomine enim amoris proprij omnes affectus & motus inordinatam sentientis, quàm rationalis partis, quibus homo seipsum quærit, continentur. Voluntas verò propria duntaxat comprehendit actiones & commotiones partis intelligentis, quibus se, nō Deum homo quærit, tanquam primarium finem. Quod vsu venit hominibus tiescunque cupiditate in rem quàm piam nullo virtutis fine præstruuntur, sed tantùm facit, quia ita collibuit. De qua voluntate B. BERNARDVS

Serm. 3. de resurrect. *Lepra, inquit, nimis pessima propria voluntas eo ꝙ pernatinsior, quæ magis interior. Voluntatem dico propriā, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm: quando quod volumus, non ad honorem Dei, sed ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes*

ere Deo, & prodesse fratribus, sed satis-facere propriis motibus animorum. Nulla opera bona ex hoc proprio amore facta sunt grata Deo, quia recto fine destituta sunt, vti declarat propheta ISAIAS, quando populus obmurmurans querebatur, dicens: *Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Et respondit Dominus. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* quasi diceret, non habuistis propositum in ieiunijs rectum finem; nempe meę voluntati parendi, sed inordinatos fines ex propria voluntate ortos. In quæ verba B. BERNARDVS. Ego, inquit, *non solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione monachi, vbi inuenitur volũtas sua in ea, & non obedientia magistri sui idipsum genio.* Et paulò post exclamat. *Grãde malũ propria volũtas, qua fit, vt bona tua tibi nõ bona sint, quia nihil õninò quod propria inquinatũ sit volũtate gustabit Christus.* Nec solũ huius mali causa est propria voluntas, sed multorum aliorum inde manantium; sicut enim ef-

Isa 58.

serm. 61. in Cant.

ficit, vt opera nostra Deo grata nõ sint, sic etiam vt transeant in noxã, ob quã digni reddimur pœna. Nam cũ tenemur præstare opera ad obsequendum voluntati diuinæ, non præstat nisi vt obsequatur suæ: qua in re iniuriam facit Deo, vt notauit idem sanctus docens. *Voluntas propria quo furore Deminum maiestatis impugnet, audiamus & timeant serui propriæ voluntatis. Primo namq; fert, sam subtrahit & subducit eius dominatui, cui tanquam auctori seruire iure debuerat, dum vsibus citur sua. Hæc aduersus Deum iniquitatis exercens est, & guerram maledictionis mam. Quid enim adit, aut punit Deus praeter propriam voluntatem? Cessat voluntas propria, & infernus non erit.*

serm. 3. de resurr.

Hæc omnia BERNARDVS, qui optime intellexit, quã pernicioſa, tes ſit propria volũtas, quãtaq; mala ex ea dimanent.

VERVM omiſſis grauioribus peccatis ex propria voluntate natis, quæ pœnitẽtia expiãda ſunt, declarabimus tatũ affectũ inordinatos, occultos dãm vitia, quæ ex ea oriuntur, & teneri cupiditate cognoſcendarum rerũ curioſarũ, vt hiſtoriarum, vitæ hominibus actæ, & rerũ futurarũ

de fit vt homo se dedat lectioni librorū
uanissimorū, itinera inutilia faciat ad
huiusmodi spectanda, superstitiosis
quoque commentis sortium, cælestiū
aspectuū, chiromātiæ, & alijs huiusmo
di adindagandos fortuitos euentus v-
tatur. Deinde amare contentiones & li
tes, nec discedere ab illis nisi parta vi-
ctoria: non subijcere se aliorum impe-
rio, non ferre aliorum monita, nolle le
gibus vllis ad officiū cōpelli. In omni-
bus rebus venari cōmoda propria, nul
li parcere labori in ijs, quæ cum quæ-
stu priuato cōiuncta sunt, in cōmu-
nibus verò vtilitatibus procurandis a-
gere languidiùs: cogitationibus om-
nem impartiri licentiam, vt ferantur
quocunque libido impulerit: alios in
suā sententiā & voluntatē trahere, vt
faciant quid, quādo, & vbi ipse volue-
rit, nec quidē in licitis rebus aliorū vo-
luntati se accommodare. Consuetudi
nē & amicitiā colere cū quibusdā, non
profectus causa, sed quia ex eorū con-
uersatione capiunt voluptatem. Co-
piā rerū omniū adamare, nihil tamen
alijs dare vel cōmodare, ne aliquid de
nostra commoditate detrahatur. Nihil

velle sibi negari, importuneq; petit
extorquere. Nulla in domo vel loc
diu morari, sed nulla necessitate facie
& data opera, quia libet, aliò comm
grare. Si rei alicuius cupido in men
veniat, non expendere an conueni
eam exequi, sed mox excogitare m
dia quibus illa ad effectū deducatu
Si eius auxilium in exercendo caritat
opere postuletur, vel si à Superiore
dem impetretur, exclusa omni de lib
ratione, possitne facere, necne; repen
se excusare. & onus in alios reje
Velle sibi promptissimā ab infer
bus obedientiam in imperatis, & ab
qualibus in consultis præstari, n
gloriam dei, aut vtilitatem illor
sed tantùm quia ita visum est. fa
alijs contradicere in ijs quæ palato
sapiunt, nullius autem contradictio
& obloquia ferre.

Hi, alijque similes sunt propriæ v
luntatis affectus, in quibus homo
que Dei gloriam, nec animæ suæ sa
tem, aliumue virtutis finem ante o
los obiectum habet, sed tantùm la
rat, vt suæ voluntati satisfiat. Qua
efficitur, vt opera inde nata sint

dinata & Deo ingrata, nam vt S GREGORIVS scribit, qui propriam voluntatem sectantur, sepè arbitrantur opera sua grata esse Deo, & tamen ab eo, licet grandia sint & præclara, minimè approbantur. *In 1. Reg. c. 15.*

CAPVT IIII.

Quemadmodum mortificanda sit propria voluntas cum suis inordinatis affectionibus, vt curiositate, familiaritate nimia, aliisq; huiusmodi.

AFFECTIONES prauæ, quas supra diximus oriri ex voluntate propria, in hunc modum mortificandæ sunt. Curiositas comprehendendarum artium, historiarū & fabularum mortificatur, si apud animum nostrum constituamus nulli rei cognoscendæ operam dare, quàm quæ status & officij quod gerimus legibus congruat & ad maiorem Dei gloriam, proximique salutem procurandam prosit. Sic loquitur S. Paulus. Dico, inquiens, *per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos:* Rom. 12.

non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. hoc est, e moderatione, quam ratio postulat, nō arrogare sibi nimium, sed humiliter de se sentire, non inuestigare quæstiones curiosas, sed fidei, bonorumq; morū documēta, vt exponit B. Anselmus.

CVRIOSITAS inquirendi in vitam alterius mortificanda est desiderio cognoscendi virtutes & pia opera proximorum, non autem defectus, nisi quos ex officio, vel ex caritate cognoscere possemus: alia siquidem indagare noxium est, teste S. Gregorio, cui-

hom. 36. in Euang.

dam vitam proximi exterius sagaciter inspicere, et sua iustitia absq; dubio, vt aliena sciens se neglegat: & curiosi animus, quanto peritus fuerit alieni meriti tanto sui ignarus sui. Curiositas vero cognoscēdi res occultas, vel futura cōtingentia, bona vel mala, quæ indocti vocant bonam vel malam fortunā, mortificanda est studio magno non cognoscendi vel scrutādi alia, quā diuinus litteris patefacta, & fructuosa sunt ad præsentē legē diuinā, ac peccata cauēda. In hac autem curiositate nō solum, est inordi-

natio, sed periculum ne quis fallatur à dæmone, qui curiosis huiusmodi rebꝰ se immiscere cõsuevit, quẽadmodum Ecclesia nos cõmonet in quodã decreto his verbis. *His portẽtis per diabolorũ fallaciã illuditur curiositas humana, quãdo id impudẽter appetũt scire, quod nulla ratione cõpetit eis inuestigare. Hac potestas immũdis spiritibꝰ ideo datur, vt peruersos sibi aptãt, hoc est prauos homines seducãt.* Certè sãcti voluerũt seruũ deitã alienũ esse à curiositatis vitio, vt S. DOROTHEVS inter alia documenta grauissima virtutum amatoribus data, tradat & hoc, vt quoties domũ vel cubiculũ amici ingressus fuerit, nullo modo curiosus sit in cõsiderandis & scrutãdis rebus, quę in eo reperiuntur. c. nec. mirum. 23. q.

AFFECTIO contendendi vel rixandi mortificanda est, non solùm quãdo causam nullam habet litem intendendi alteri, sed etiã quãdo habet: itaque cũ bis terúe rationem iustitiæ suæ causæ reddiderit, aduersarius verò iniustè repugnet, taceat potius, quàm litem prosequatur, & vinci malit, quàm vincere. Sic faciet actũ magnę caritatis cõ proximo, sublato scilicet õniũ rixarũ

& altercationum, quæ inde oriri poterant, fomẽto. Humilitatis quoque exemplum non exiguum dabit, quod vinci potius, quàm vincere studuerit: imò & caritatis in Deum, quòd hoc facto omnia bella, quæ nasci potuerant, resecârit. Quam ob causam dicit sapiens: Separa te à contentionibus, & peccata euades. Huius exemplum dedit

Eccl. 28.

hom. 36. in Euan.

B. GREGORIVS, qui cum sententiam suam de quodam Euangelij argumento exposuisset, mox subijcit, si quis contrarium sentiat, se salua fidei veritate, se potius velle alienæ sententiæ subscribere, quàm cum aliquo contendere. Hoc monitum de mortificãda propria voluntate in contentionibus tanquam magni momenti commendat

In vita Spir. c. 3.

S. Vincentius Ferrerius. In rebus humanis, inquit, etiam si contra omnem rationem, quis tibi litem moueat, ne tuam, sed illius sequere voluntatem: maioris enim pretij est iacturam facere rei temporalis, quàm tranquillitatis cordis perdere, quæ perditur alteri repugnando. Quod si de re spirituali sit, etiamsi tibi tua causa videatur prudentior & sanior, non tuæ, sed alte-

rius

rius obsequare voluntati, nec plus fieri poterit citra peccatum, quia ex contentione maiorem iacturam facies humilitatis & internæ pacis, quàm vtilitatem capies ex defensione partis sanioris.

CÆTERVM, quãdo qui tecum de re aliquâ cõtrouersiã habẽt, persuadere tibi volũt aliquod malũ, vel quod impediat spiritalẽ profectũ, vel maiorem Dei gloriam, etiamsi ei neque credere debeas, neque parêre, non tamen debes cum illo contentionem prosequi, vel animo excruciari, sed omni studio exparte tua adhibito, negotium totũ Deo committere. Ac nõris, Deum nũquam id permissurum, si tibi non foret conducibile, experientiaque ipsa discês, impedimentum, quod in cursu pietatis tibi obijcere suo litigandi desiderio voluêre, cessurum in vberiorem animæ tuæ profectum, ac ad finẽ & scopum, quò collimasti, melius & facilius peruenturum.

Hæc omnia monet S. Vincentius, accurateque docet, quemadmodum propria voluntas mortificãda sit in liti-ꝰ, quã de re copiosius infra agemus. cap 31.

VOLVNTAS præterea mortificanda est, voluntati maiorem & superiori fideliter obsequendo, & gubernationem eorum in omnibus rebus optando. In rebus quoq; multis non illicitis subijciēdo æqualibus & inferioribus, vt monet S. PETRVS, *Subiecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, quod iamè est opus magnæ humilitatis & subiectionis. Mortificanda item est in multis rebus quas rogamur, in consilijs quoq; quæ audiris aliorum sententijs, agitatur in omnibus cōmodis nostris posthabitis, id tamē probabiles, quod ad maiorem Dei gloriam, proximorumq; spiritalem nostri & proximorum facere videatur. Mortificanda est & imaginatio vel phantasia, per quam hēdo eā ad rerum diuinarum cōsideratione, aliarumq; rerum salutarium. Ad retinendam autem caritatem & animorum vnionem mortificanda est natura, vt le in rebus licitis conformare oneturcum omnibus. Familiaritates & amicitiæ & cōsuetudines, quæ nō sunt necessariæ cōsunt, & seruiunt sāu vilescōlo actuncul as, omnino hoc est fugiendę sunt, quia animum maiore

1. Pet. 2.

in modum lædunt & distrahunt.

IMPRIMIS autè ijs qui in cõgregatione monachorũ viuunt cauendę sunt, nã si fiat, colloquia fiunt de rebꝰ vanis & inutilibꝰ, nõ autè de spiritualibꝰ & diuinis instituuntur, crebrę incidũt obmurmurationes cõtra superiores & alios, arcana multa, quę silentio premẽda erãt, nullo fructu pãdũtur. & alia non parua damna animis inferuntur. Hoc documentũ reliquit & BASILIVS. Qui, inquit, viuunt in cõmuni virorum vel fœminarum cœtu, nõ plus vnum quã alterum diligãt, non cum hoc potius, quã cum illo cõuersentur: cum enim æqualem omnibus debeamus charitatem, quãdo peculiares illę familiaritates incũrunt, violatur iustitia. qui enim maiori amore prosequitur vnũ, quã aliũ, declarat se aliosuõ amare perfectè. Deinde multę ex priuatis illis amicitijs & congressibus nascuntur suspiciones & inuidiæ. Quare prorsus extermi nandę sunt. Negi inde consequetur, quòd æqualiter omnes amãdi sint, aliquid detractum iri honori maiorum & superiorum: nam, sicut in membris corporis accidit, licet æqualiter omnibus *serm. 2. de instit. mon.*

bus compatiamur, totumq; corpus ad quodus curandum inclinemus, tamen nõ ideò honorem suum primarijs, magisque necessarijs detrahimus, sic in societate multorum, licet æqualiter omnibus amoris officia deferamus, non ideircò suum honorem & venerationem negamus maioribus & dignioribus. Hæc omnia D. Basilius, qui magna verborũ exaggeratione hanc doctrinam vrget, pro monastica & cœnobiticæ vitæ institutione, ac conseruatione.

Denique seruo Dei incumbit cohibere eandem voluntatem suam in rebus quis omnibus rebus similibus: ita prorsus, vt paratus sit suo solatio & voluptate priuari, vt consoletur & roboret alios: vt commodis suis aliquid detrahat, quo possit prouidere aliorum inopiæ, vt liberalis sit in largiendo, & non importunus in petendo, vt aliorum lapsus & imperfectiones moderatè ferat, sicut vellet ferri suas: ac denique non antè aliquid tentet aut aggrediatur, quàm in trutina iudicij expenderit, quid facere conueniat, ac tandem faciat, non quod propriæ voluntati quæ

ducit ad perditionem, sed quod voluntati diuinæ, quę sanctificat & saluat animas nostras, respondent.

CAPVT. V.

Quam vtile, magnique momenti sit exercitium mortificandi propriam voluntatem.

QVAMVIS omnis mortificatio admodum vtilis sit & salutaris: vt qua nobis conciliamus Deum, imitamur CHRISTVM dominum, animamque variis virtutum ornamentis, vt diximus, expolimus; tamen propriæ voluntatis mortificationi nihil est anteferendum, siue fructū spiritualem, siue necessitatem spectemus. Nam licet prauæ carnis inclinationes, tentationesque dæmonis & mundi sint fons & radix peccatorum, tamen nisi consensus proprię voluntatis accesserit, veri peccati rationem non habēt. Quare primaria & propria peccati radix, cui resecandæ mortificationis cultellus applicandus est, est voluntas propria. Sic probârunt & docuerunt Patres. CASSIANVS enim ita loquitur. *Multis experimentis edocti Patres* *lib. 4. de instit. c. 8.*

tres tradunt monachum & maximè in
nicres ne voluptatem quidem concupis-
centiæ suæ refrenare posse, nisi prius mor-
tificare per obedientiam suas didicerit
voluntates. Ideoq; pronunciant nullius
nus prævalere vel iram, vel tristitiam,
vel spiritum fornicationis extinguere,
sed nec humilitatem cordis veramque
cum fratribus vnitatem perpetuam,
nec firmam diuturnamq; posse retinere
concordiam: sed nec in cœnobio quidem
diutius permanere eum, qui prius vitia
tates suas didicerit superare. Hæc scrip-
sit Cassianus, de ijs, qui sunt sub aliorum obedientia. Qui verò non sunt sub
obedientia aliorũ, & tamẽ ynceptè desi-
derãt seruire Deo, cordisq; puritatem
tueri, illi sibi imperare debẽt, & propo-
siones animi sui ad examen reuocare,
& cõtraria cõtrarijs pellere. Vt exempli
causa: Venit cuip ã desiderũ honoris
cũ officiũ suscipiẽdi, pallium elegãs re-
surpãdi, adeũdi publicũ spectaculũ, o-
uiuiũ nobile fœquẽtãdi: illico ꝛecum
expendit, sitné corpori vel animę sa-
tare, desiderio parere, si non sit, decer-
nit satius esse desiderio non satisface-
re. In meatem incidit commemorare

co-

corā alijs res cū laude gestas vel à se, vel à maiorib⁹, loqui: rudi; è de rebus sublimibus & reconditis, vt nomen & famam aliquam apud alios colligat, & aduertens non esse necessarium, tacet. Capitur cupiditate cognoscendarum rerum nouarū ex variis regionibus, & videns rem esse magis curiosam, quam vtilem, repudiat. Sentit difficultatem, si primus salutare debeat conditione inferiorem, vel à quo læsus est; si inuisendus sit homo abiectus & inops, si ægri cura habenda, si cibus sumendus cum quibusdam, qui nauseam moturi videantur, & tamen vbi collegerit se, vincens seipsum, facit. Hoc modo, qui nulli subiectus est, mortificare potest voluntatem propriam, participesque fit omnium meritorum ac fructuum spiritaliū, quos gignit mortificatio, nec non paulatim radicitus euellit omnium peccatorum fontem & pertingit ad perfectionem abnegationis sui tā ope rē à Christo in Euāgelio laudatę, vt obseruauit S. VINCENTIVS, dū scribit. Abnegare seipsū, & Christū sequi, esse in omnibus rebus mortificare & subijcere propriā voluntatē.

In vita Spirit. c. 2.

Est

EST quidem difficile, licet salutare, mortificare carnem ieiunijs, disciplinis, alijsque asperioribus pœnitentijs, verùm longè difficilius, atque etiam vtilius est mortificare, etiamsi nulla corporis afflictio accedat, propriam voluntatem, vt S. GREGORIVS animaduertit. *Quid*, inquit, *est humana mens, quàm voluntates proprias angustius, quàm voluntates proprias frangere? de qua fractione veritas dicit. Intrate per angustam portam.* Etc.

Lib. 32 mor. c. 23.

Lib. 6. in Reg libros c. 15.

libi tradit esse sublimioris meriti propriam voluntatem submittere alienam, quàm corpus magnis ieiunijs affligere. Confirmat hanc doctrinam S. DOROTHEVS, dum scribit discipulis suis Dosithei hanc præcipuam exercitationem fuisse, vt crebrius frangeret propriam voluntatem, nam cum aliquid illis adferrent ad vsum quotidianum necessarium, diligenterque & nitidè confectum, imperabat, vt alij potius, quibi traderent. Si aduertebat superuacuum affici ad librum, vel cultellum quo vtebatur in curandis ægris, mandabat non amplius eo vteretur. Si quid scitu dignum, sine serio rogatus cognitione dignum, sine serio rogatus ponso cum dimittebat. In his omnibus

Doroth. serm. 1.

bus Dositheus promptè obediebat, patienterque cum silentio omnia perferebat, ac intra quinquennium ad tantam virtutis perfectionem peruenit, vt post mortem conspectus sit interreligionis illius sanctos ad magnam euectus gloriam. Mirabantur alij monachi, Dositheum tam breui tempore ad tantum virtutis fastigium conscendisse, cum tamen ob corporis debilitatem, in sustinendis ieiunijs, vigilijs alijsque asperitatibus longè inferior esset reliquis. verùm rogatus de ea re, respondit, se omnem operam & studium posuisse in mortificanda iugiter propria voluntate, eaque voluntati superiorum conformanda.

O quàm ingentes opes animæ in hoc mortificationis proprijæ voluntatis scrinio delitescunt? ò quàm præsens & efficax antidotum est breui tempore magnos faciendi progressus, pacemque & tranquillitatem animi perpetuam comparandi, ac imprimis cõcordiam & vnionem cum omnibus? Quod idem Dorotheus in hanc sententiam exponere pergit. Si volumus, inquiens, frui perfecta libertate spiritus,

tus, exerceamus nos in cohibendis pr
prijs cupiditatibus, auxilioq; diuino
nixi in veræ pietatis studio cousq; proc
ciemus, vt rerum omnium terren
rum amorem facilè exuamus, veram
serenãq; conscientiæ quietem acquir
mus, tantamq; in aduersis tolerandis
animi fortitudinem, vt sine vlla perm
batione, libenterq; de manu dei om
nia quæ euenire possunt, accipiamus
eò quod nulla res æquè homini cõdu
cat, ac mortificatio propriæ voluntat
tis. Hucusq; ille sanctus, qui vtiã Dei
eximiè illustratus, experientiaq; ipse
edoctus probè intelligebat efficacem
huius exercitationis.

ILLVD verò, quod beneficio mort
ficatæ propriæ voluntatis præcipuè ac
quiritur, est cõformitas nostræ volun
tatis cum diuina, nihil enim impedi
nos ab explenda dei voluntate, nisi pr
luntas propria, quare hac per mortifica
tionem subacta, anima ab omnibus
impuris affectibus, quibus res caduc
sectabatur, & suis cõmodis inhiabat
expurgatur, atq; directò & purè in om
nibus quærit Deum, sãctissimãq; eius
voluntatem. In quem sensum dixit A

AVGVSTINVS. *Nutrimẽtũ caritatis est imminutio cupiditatis*, id est, inordinatus affectus erga res temporales. *Perfectio verò caritatis, nulla cupiditas.* Hęc enim imminutio fit per mortificationẽ propriæ voluntatis. O dulcissimos fructus, ô præmia admiranda, eorum qui suæ voluntati dominantur. Hæc sunt cælestia promissa à Christo per D ioannem data, dum ait. *Vincẽti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Fructus ligni vitę qui est Christus in medio Ecclesię existens, est diuinus amor, quo animæ sustẽtatur & delectãtur. Et rursũ dicit, *Vincẽti dabo mãna absc̃ditũ* Hoc mãna est beata pax & tranquillitas cõscientię, qua fruuntur omnes, qui strenuè mortificationi studẽt. Lib. 23. q. 36. Apoc. 2.

CAPVT VI.

De inordinatione propriæ voluntatis circa honores et laudes humanas et quæ magno beneficio à Deo afficiãtur qui huic vitio medentur.

INTER omnes affectus propriæ voluntatis, pernicioſissimus est honoris & humanæ gloriæ, atq; idcircò singulæ. Bonau. lib. de remed. vit. c. 5.

gulari ſtudio per mortificationē cōpa
mēdus eſt Quoniā enim anima huma
na tātæ dignitatis eſt & nobilitatis, cō
ditaq; ad perfruēdū ſuma æternæ fel
citatis gloria, idcircò vt naturali ſuæ cu
piditati quadātenus faciat ſatis, ſæpe
in omnibus rebus aucupatur hōnoē
ampliorem, & locum excelſiorem. Va
de quando ſecundum doctrinæ cæ
leſtis inſtitutionem non deſigit affe
ctum omnem in gloria cæleſti, quam
poſt hanc vitam expectamus, totum ſe
conuertit ad venandos honores hu
ius mundi caducos & fluxos; & inde
de cauſa hæc honoris terreni cupidi
tas ſic intimè inhæret mortalium pe
ctoribus, vt quotquot eam vel ſolā
Chriſtianæ vel gratiæ diuinæ operā
mortificârunt, aliud non videantur
quærere & inſectari, niſi honores. Vn
de Ethnicus Pœta quidam cecinit
Omnes mortales ſeſe laudari exoptant.

Ennius. Aug l. 13. De Trinit. c. 1.

quæ verba conſiderans B. Augu
nus, notat illum ita locutum, quia
in ſe & alijs expertus fuerat. Tanta
nim cupiditate honorum & ambi
ne erant gentiles accenſi, vt nullos la
bores, nulla vitæ diſcrimina ad eos cō

ſequē

sequendos refugerent. Id idem Augustinus testatur alibi. *Propter amorẽ laudis humanæ multa magna fecerũt qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumq; laudati in ciuitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc, velut prudenter, fortiter, temperanter, iustèq; viuentes, ad quam peruenientes perceperunt mercedẽ suã, vanã vanam.* Agens verò sigillatim alibi de Romanis, qui in virtutum studio cæteras gentes superauerunt. *Veteres*, inquit, *primiq; Romani gloriã ardentissimè dilexerũt, propter hãc viuere voluerũt, pro hac et mori nõ dubitauerũt cæteras cupiditates huius vniuersi gẽtis cupiditate præsserũt.* Tãq; hac honorũ ambitione excæcati erãt, vt tãquã virtutem Reipublicæ necessariam & fructuosam reputarent: quare & opera tali fine facta inter virtutum opera recensebant. ita enim testatur idem B. Augustinus. *Non solùm, inquiens, huic vitio non resistebant, verumetiam id excitandum & accendendum esse censebant, putantes hoc vtile esse Reipub.* Putabant ergò vtilem esse factum & super-

In Psal. 118 conc. 12.

Lib. 5. de ciuit. c. 12.

Ibid. c. 13.

sup rbiā, omnium criminum fō
& virtutum omnium hostem rapa
lem. Vnde sequebatur vt quæ doctri
na Christi loco antidoti liberad
tirpādam superbiā, vt fugā honoru
laudumq; humanarum, contēmtu
rum & illusionum cum gaudio reb
rātiā, eaillī loco magnæ stultitiæ h
berent, & Euangelium, in quo vesc
& exemplo hæc prædicantū, rem
dicarent dementissimam.

CAETERVM, si, quibus diuina lu
ce Deus oculos illustrārat, inde cla
simum testimonium profidei Chr
stianæ veritate sum pseudo, dū vid
licet cernerēt pestilentissimum vitio
perbiæ, (quod nō modo virtutes o
nes excindebat, sed etiā mortales in
lia horrēda flagitia pertrahebat) fa
tatem, eiusq; radi em, insatiabilem
norū appetitū, splēdore fidei Christ
næ discuti & condemnari, atq; ne
ficacissimis congruentissimisq; re
dijs sanari, efficiendo homines
bis humillimos, omniumq; laud
humanarum contemptores, & so
gloriæ diuinæ zelatores, id infir
S. Paulus, cum ait. Verbū crucis

perditionis existimatā stultitiā ijs verò qui salui fiūt virtutē Dei ac sapiētiam. Gloriæ siquidem humanæ amatoribus opprobriū crucis, & quod Deo hoc medio mundū voluerit ab exitio æterno vindicare, ingens quædam stultitia visa est. Ijs verò, quibus cælestis gratia illuxit, iniuriæ & contumeliæ crucis visæ sunt infinitæ Dei sapientiæ ac potentiæ indices, eò quod illæ solæ valerent ad reprimendam mundi superbiam, vanumque honorum temporalium amorem. 1. Cor. 1. 1 Tim. 3.

AFFECTIONES inordinatæ ex honorum cupiditate profluentes, sunt ambire dignitates, optare imperare & dominari alijs, aucupari nomen, famam & existimationē magnam apud omnes, res suas verbis efferre immodicè, per ostentationē, alijsq; inculcare quibus naturæ & gratiæ donis reliquis præluceat mortalib⁹, iactare eloquentiā in publicis hominum cōcentib⁹, vt cum acclamatione applaudatur, exitare opera æterna in terris, vt laudes celebrentur in secula, errata lapsusque suos vel defendere, vel certè, quoad fieri potest, obtegere; & si contingat ea pate-

patefieri, laborare vt homines intelli-
gant non necessitate coactum, sed ipso
tè ex humilitate se ea detexisse: optare
vt dum honoribus cupidè inhiat, ali
tamen existiment eum nec optare ne
aucupari illos. Velle impensè dilig
maioribus, & timeri à minoribus: ex
istimare omnes actiones suas esse la
de dignas, & ab omni querela ac rep
hensione immunes. expetere vt om
nes credant eum progeniem duxis
nobilissimis maioribus, abundan
natis & amicis generis & virtutis spl
dore clarissimis, se multum eorũ au
lio fultum posse, illosque sui respect
magnifica multa agere. Hi, aliique h
miles sunt affectus inordinati, qui
cuntur ex propria hominis volun
te, & magnoperè mortificationis b
neficio indigent.

CAPVT VII.

*Qua ratione mortificandi sint affe
propriæ voluntatis, dum quis au
cupatur honorem & laudes
humanas.*

ETsi nonnunquam vsuueniat, vt licitè homo possit & exoptare & acceptare honores laudesque humanas, nõ sui solandi, vel comparandæ apud homines existimationis causa, sed quia ita expedire videtur ad ipsius aliorumque profectum & salutem; quo fine & cauterium ferro candenti corpori inuritimus, vel medicinam aliam vsurpamus ad recuperandam sanitatem: nihilominus, sicut ad reprimendas alias pravas inclinationes, & inordinatas appetitiones, non modò abstinemus ab illicitis & vetitis, sed etiam licitis (quod sacræ scripturæ sanctorumque Patrum testimonijs probauimus) sic etiam mortificare debemus inordinatam cupiditatem honorum, eoque magis, quò occultius in intimis animi recessibus hæret, ac difficilius expugnari potest.

AD mortificandum exscindendũque igitur hunc appetitum, primum necesse est vt apud animum nostrum certò constituamus, deinceps nolle inhiare dignitatibus, prælaturis, alijsqs offijs, quæ onus alijs imperandi habent coniunctum, & si ab alijs obtru-

dantur, tergiuersemur, nec acceptemus, nisi vel autoritas Maiorum, quibus obsecundare fas sit, intercederet, vel si ex Sapientum iudicio lege cautatis ad id obstringamur. Sed & decernamus non conscendere ad aliũ quemuis sublimiorem statum, etiamsi gubernandi alios curã annexam nõ habeat, nisi secus consulant Patres spirituales, qui perspectam habent conscientiam nostram, existimentque sine periculo salutis nostræ ad maiorẽ gloriam Dei cessurum, si talem dignitatem non renuamus. Immò in omnibus alijs rebus cum fama & celebritate nominis coniunctis, ianuam cordis nostri occludere debemus, ne eas concupiscamus, vel nobis procuremus, si vera necessitas, aut vberior animarum nostrę aliorũq; profectus, & diuinę gloriæ amplificatio ad id obligare videtur: cũ autẽ ea de causa amplexi fuerimus, toto pectore optemus, quod ad nos attinet, nullũ honorẽ suscepto muneri cõgruentẽ nobis deferri. Ita monet S. AVGVSTINVS. *vbi fuerint, inquit, carnaliũ voluptatũ illecebræ superandæ, cauẽdum est, ne surrepat, aut succedat*

Lib. 83. q. 36.

cupiditas placẽdi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem cõmẽtiã, siue patientiã, aut per aliquã largitionem, aut nomine sciẽtiæ vel eloquẽtiæ; In eo genere est & cupiditas honoris, cõtra quæ omnia doceatur, quã sit pudendũ eis placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni nõ sũt, & nihil magnũ est à malis laudari: aut boni sunt, & oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sũt, virtus autẽ nõ appetit quod in aliorũ hominũ potestate est. Qui ergò imitatur bonos, nullius hominis appetit laudẽ. Si autẽ placere hominibus ideò vis, vt eis prosis, ad diligendũ Deũ, nõ iã hoc, sed aliud cupis. Et alio in loco scribit. Tãdò quisq; est Deo similior, quãtò ab hac immũditia mũdior, id est, cupiditate honoris. Quæ in hac vita, etsi nõ fũditus eradicatur ex corde, quia etiã benè proficientes animos tẽtare non cessat, saltẽ cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ. Hęc omnia Augustinus quibus verbis indicat, hominem Christianũ cõuenienter legi diuinę esse obligatũ omnẽ inordinatũ amorem gloriæ, laudũq; humanarũ mortificare. S. BASILIVS quæstione posita,

Lib. 5. de ciu. c. 14.

In reg. breu. q. 10.

possit ne homo Christianus aspirare ad honores? respondet, mandatum Domini esse, vt honoremus alios: vetitum autem esse, ne honorari ipsi velimus, eò quòd idem Dominus ea de causa reprehenderit pharisæos. Quomodo, inquiens, *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Ex quibus verbis colligitur, si tam noxium est oblatos honores libenter suscipere, quàm periculosum sit eos oblatos quærere. Et alibi dicit. Qui in cælo cupit bonorum operum mercedem recipere, non solùm non debet inhiare honoribus humanis, verùm etiam oblatos repudiare, ne gloria pusilla in terris, imminuat vel tollat veram gloriam in cælis. Quocirca, quisquis virtutis amore tenetur, sedulò cauere nimis cupidè gloriam huius sæculi sectetur, & alijs velit anteferri.

Ioan. 5.

In cor sit. monast. c. 25.

MORTIFICARI adhæc debet ille in modicus honorum appetitus, eligendo & acceptando ea, quæ opinionem minus sunt honorifica, & pudorē aliquem injicere possunt, si modo licitè, & sine iactura salutis fieri

at, vti esset, assumere nomen vel officium in speciem vilius, honorifica officia deriuare in alios, virtutes bonaq; opera sua, cum scandalum abest, occulere, & apud familiares dissimulare, omnibus in rebus concursum, applausumque hominum defugere, quando fieri potest sine cultus diuini iactura: potius operam suam & opes conferre in adiuuandis operibus bonis, quæ vendicant autores alienos, quàm aliquid facere nomine suo; non purgare se de lapsibus suis, optareq; ab alijs corrigi & humiliari. Quando ab ipso, vel ipsius consilio præclarum aliquod opus designatum fuerit, nulli, nisi necessitas ita postulet, commemorare. Si in aliorum comitatu munus aliquod sustinendum sit, eligere, quod minus videtur honorificum. si quæ amplio-rem conciliant laudem & nomen apud homines, ea commendare alijs, contentum esse labore & vtilitate negotij quod gestum est, ad maiorem Dei gloriam, etiamsi de ipso nulla mentio fiat. Hæc mortificatio, si diuina gratia adsit, est antidotum procul dubio præstantissimum contra immodi-

S. Bonau. ep. 25. Isaias Abbat. in bibl. sacra. orat. 27.

cam honorum laudumq; humanarū cupiditatē. Hoc inculcant vulgatæ & notæ Sanctorum sententiæ, vt illa: *Desideriū alijs imperandi tāquā pestē ma-* *ne sciri, & pro nihilo reputari.* Deside- mæ fuge. Cui conuenit, quod S. Ber- centius scripsit; desiderū ascendēdi ad altiora, quocunq; colore caritatis pra- texatur, cauterio mortificationis, tan- quā draconis infernalis caput, in prin- cipio esse resecandum.

RATIONES verò, quę mouere nos debeāt ad vsurpādū hoc mortificatio- nis exercitiū, nō desūt, Vnaest. Quēm hominē Christianū, debere cōgruēter rationi & prudētiæ in cultu pietatis ligere quod melius & securius est, ma- niaq; obstacula & quę discrimen ad- quod saluti afferre possūt, defugere. Si verò indubitatū, est in omnibus dig- tatibus, Prælaturis, alijsq; officijs cum magno honore hominūq; applausu c iūctis, ingētia esse errorū lapsuūq; pe- cula, tētationēq; vindicandi honoris laudūque humanarū captādarum ef- vehemētissimā. Hāc rationē affert

Pastor. p. l. 03. GREGORIVS, cū ait *Christus idcirco carne apparuit, vt nō solū nos pa-*

nem redimeret, verũetiam per cõuersa tionẽ doceret, exemplũ se sequẽtibus prabens, rex fieri noluit: ad crucis verò patibulũ sponte peruenit, oblatã gloriã culminis fugit, pœnã probrosa mortis appetijt, vt membra eius videlicet discerent fauores mũdi fugere, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidãdo declinare: quia & ista sæpe per tumorẽ cor inquinãt, et illa per dolorẽ purgant. In istis sæpe & anteacta bona depereũt: in illis autẽ longi quoq; tẽporis admissa terguntur. Nam plerunq; aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quod si ad regiminis culmẽ eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius considerans, fugerat, mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit: honorari namq; coram populo cupiens, dum reprehendi publicè noluit, ipsum, qui in regem se vnxerat, abscondit: sic Dauid autoris sui iudicio penè in tunctis actibus placens; mox vt pressura pondere caruit, in tumorem vulneris erupit factusq; est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu famina, fuit eneruiter fluxus. Hucusque

Ioan. 6.

cap. 6. Gregorius. Vnde concludit non mul-
tò pòst, seruum dei licet donis conue-
nientibus ad alios regendos instru-
ctus sit, tamen eò vsque debere ex con-
de hoc culmen fugere, donec à supe-
riore imperetur: coq; imperante non
debere amplius esse pertinacē. Et ad-
67. dit: Dum B. Paulus ait, Qui Episco-
patum desiderat, bonum opus desid-
rat, nomine boni operis, non honore
Episcopalē, sed labores eius & sudo-
res intelligi; & quia id temporis offer-
re se ad Episcopatum, erat offerre se ad
ad martyrium. Quod autem ad prædi-
cationis officium attinet, in quo ordi-
nariè non est tantum honoris aut pe-
riculi, ac in prælatura, ait: cum Isaias
Domino offerret ad prædicandum,
non antè aggressum iter, quàm vilio-
ne diuina manu Seraphin purgatus
esset, hoc est, habilis ad tale munus ge-
rendum redditus. Quia verò difficile
est cognoscere, quis sit purgatus, sece-
rius quoq; est prædicationis officium
refugere, donec superioris iussu ad
vocemur. Hæc omnia Gregorius.

ALTERA ratio, quæ hanc doctri-
persuadeat, est experientia propriæ im-
becillita-

becillitatis. Videt enim homo, se etiã in statu infimo ab omnibus negotijs & honorum periculis libero, non facere satis omnibus legibus diuinis & humanis, sæpeque per infirmitatem in varias culpas relabi, siue apertas, siue occultas: quare necesse temitarius sit qui hæc agnoscẽs in se, offerat se ad statũ vitę sublimioręm, in quo crebriores sũt occasiones errãdi, & maiora ob maiorẽ obligationem pericula, atque imprimis ad dignitatem cum cura alios gubernandi coniunctã. De qua Conc. Tridentinum pronunciat, eam onus esse etiam cælestibus virtutibus, angelicisq; humeris formidandum; quippe cuius muneratã arduum sit explere, vt opus sit pectus omni virtutum præstantissimarum genere esse obarmatum. Vnde B. BERNARDVS lumine diuino & experientia quotidiana edoctus scribit. Verè paucos esse, qui alios regant cum profectu, & paucores, qui cum humilitate. Eandem rationem tradit B. GREGORIVS. Si, inquiens, homines sancti, licet Dei manda to essent vocati, tamen reformidârunt gubernationem aliorum suscipere,

Serm. 2. in Cant.

In 1. lib. reg. c. 10.

quantæ culpæ erit offerre se sponte ad
illam? & nouis obligationibus se ma
tare ad curandam aliorum salutem,
qui vix sufficit ad curandam suam?
Et alibi dicit. Esto, gubernationis o
nus graue sit, maius tamen esse hono
ris, eò quod accipere honorem & no
se efferre, sed illud aspernari, res tam
ardua sit & exotica, vt facilius intelli
gi, quàm verbis exprimi queat: cum
imbecillis & imperfectis videtur im
possibile dare locum honori pro fu
ditorum fructu, & non animo exto
Et quia homines à Deo electi timen
ne ei displiceant, idcirco fugiunt, quo
ad fas est, officium Prælati. Hæc GRE
GORIVS, qui vocat impossibile,
quod erat admodum difficile & rar
apud homines.

Ob has, aliasque rationes grauis
mas cõmonefaciũt nos S Patres, ma
no studio in nobis coercendum ess
honorum & dignitatum appetitum
licet inter honores varij existant gra
dus, & in vno quàm in alio maior
delinquendi occasio. *Sermo*, inquit A
AVGVSTINVS, *ore procedens, & fa*
qua innotescũt hominib', habẽt tẽta

Lib 10. cõ fess c. 38.

nem periculosissimam ab amore laudis, qui ad primatam quandam excellentiã contrahere emendicata suffragia tẽtat, cum à me in me arguitur, eo ipso quo arguitur. Et sæpe homo de ipsovana gloria contemptu gloriatur, ideoq; non tam de ipso gloriæ contemptu gloriatur.

CAPVT VIII.

Sanctorum exemplis confirmatur mortificandam esse honorum cupiditatem fugiendaque ex parte suâ officia honorifica, & oneri gubernãdi obnoxia.

QVOD Sancti verbis docuerunt, hoc, vt fidelissimi Christi ministri, confirmârunt operibus: & sicut in eo genere cõsenserunt in doctrina, sic & in vita: & idcircò omnes dignitatum & Prælaturarum, aliorũq; officiorum honorificorum culmen defugerunt: nec antè amplecti voluerunt, quàm ex maiorum mãdato, vel populorum importunitate, vel maxima necessitate coniecturã fecissent cã esse Dei voluntatẽ. Vnde B. Gregorius *In lib. reg.* in, homines electos, quoad possunt, *c. 10.*

fugere officium Prælaturæ, quando autem à Deo ordinati sunt non posse se abscondere. Et quamuis penè innumeris exemplis res hæc explicari possit, nos tamen paucis, ijsque selectis contenti erimus, è quibus facilè & reliorum spiritus dignoscatur.

in eius vita.

AC primum quidem sit ipsius GREGORII Papæ iam nominati, vt liqueat factis ab eo demonstratum, quod docuerat verbo. Nam, teste Ioanne Diacono, electus in summum Pontificem à Romano clero efficaces ad imperatorem Mauritium litteras dedit, obtestans eum enixè, ne electioni consentiret: ementitoque habitu vrbe egressus in syluis & cauernis terræ, ne reperiri posset se abdidit; sed columnæ ignæe indicio proditus dignitatem acceptare coactus est. S. AMBROSIVS Mediolanensium iudex communi cleri & populi approbatione electus in Episcopum, vt eos ab hac voluntate deduceret, è tribunali diram detorquendis reis sententiam tulit, vt æquo crudelior haberetur, deinde nocte intempesta ex vrbe elapsus, licet Ticinum versus iter intendisset, tamen mutato

S. Paulinus in eius vita.

discussis tenebris deprehendit miracu
lo se e esse ante portam, qua Mediola-
no effugerat. S. MARTINVS, auctore Sul
pitio, tantoperè ab Episcopatu abhor *In eius vi-*
rebat, vt ne quidē S. Hilarij persuasio- *ta.*
ne Diaconatum suscipere voluerit. cō-
tra suam deinde voluntatem euectus
ad Episcopatum, cum Episcopi qui-
dam, qui ad eum consecrandum con-
uenerant, vilitate personæ & habitus
offensi, eius electionem improbarent,
& indignum tam sublimi loco iudi-
carent, ille vehementer gauisus est, il-
losq; Episcopos maiori amore prose-
cutus.

S. IOANNES Chrysostomus tanto stu- *Metaphr. in*
dio fugiebat honores & laudes, vt fla- *vita.*
gitiosus homo nullus tantoperè labo-
ret in cælandis suis sceleribus, quātū
ille laborabat in occultandis suis vir-
tutibus, & rebus cum laude & gloria
gestis. Cum autem animaduerteret, si-
bi, quādiu inter homines viueret, ob
virtutis & doctrinæ præstātiam mag-
nos deferri honores, cōfugit in solitu-
dinem, in qua rerum diuinarum con
templationi vacans tamdiu perman
sit, donec graui morbo coactus est re-

dite in vrbem. Deinde renuit gradum
Sacerdotij, donec Flauianus Episco-
pus diuina reuelatione edoctus de se
lunca, in quã se abdiderat, extractum
in sacerdotem conseerauit. Antiochus
quoque arte doloque pio euocatum
Cõstãtinopolim pertractus est &
chiepiscop⁹ eiusdem vrbis cõstitutus

Ep. 148. ad Valer. S. AVGVSTINVS item tanta sollicitu-
dine & cura honores respuit, maxim
sacerdotij & Episcopatus, vt cogni
morte Episcopi fugeret ex vrbe illa,
eligeretur: cum autem degeret in
copatu Hipponensi sub Episcopo
lerio, vi pertractus est ad sacerdotium
licet ipse, cum fugæ locus nõ reli
postulante scilicet populo, & Valer
antistite vrgente, tãdem cõsenserit,
cum tanto animi dolore, vt cum
narretur totus perfunderetur lacrym

Epiph. ep. ad Ioan. Episc. Marian. in eius vita. Vega in histor. S. Hieron. S. HIERONYMVS, tã diligenter &
omnibus honoribus, eorumq; capa
dorum occasionibus restitit, vt licet
cerdos, tamen ministeria sacerdotal
suo monasterio exercere reformid
Sic vt S. Epiphanius, cum monachi
rerentur de penuria sacerdotum,
Hieronymum qui ex humilitate

ctione sacerdotij abstinebat, Paulinia-
rum minorem S Hieronymi fratrem
decreuerit sacerdotio initiare. Et quia
ille quoque hanc dignitatem deprecabatur, opus fuit vi illum ordinare, &
ne tempore ordinationis diuini nomi
nis reuerentiam inuocaret, os illi obturare, donec ordinatio perfecta esset.

S. NICOLAVS ad effugiendū ho- *Leon Iustinian. in vita eius*
nores de se etis Patris, vbi notus erat,
Myræam abijt, vt ibi ignotus delitescere posset & inglorius. Sed Deus diui
nitus antistitibus ibidem pro eligendo Episcopo congregatis patefecit, vt
eligerent qui summo diluculo primus
Ecclesiam ingrederetur, nomine Nicolaus: qui vt vidit diuina voluntate
se electam, acquieuit.

S. FVLGENTIVS contra voluntatem *Surius in Ianuario.*
suam in Aphrica præfectus cuidam
monasterio, intelligens securius esse
parere, quam imperare alijs, fuga elapsus est, & clam omnibus secessit in cœnobium pauperrimum, quod in me-
dio mari in insula quadā extabat, omni solatio humano destitutum: sed inde, ostra magna vi extractus est & ad
Episcopatum Rupensem promotus.

S. AMMO-

Pallad. in hist. Lausiaca.

S. AMMONIVS Eremita, cùm animaduerteret se per vim capiendum ad gubernacula Ecclesiasticæ gubernationis in vrbe quadam, diuino, vt creditur, instinctu motus, aurem sibi præscidit, & sic manus eorum euasit.

Cypr. in vita.

S. CAESARIVS magna sapientia & pietate vir ad Episcopalē dignitatē postulatur, aufugit, & in certis monumentis, ne inueniri posset, tamdiu delituit, donec diuina reuelatione prodi tus inde extraheretur, & ad Aretalensem Ecclesiam, licet inuitus, promoueretur.

Surius in Nouemb.

S. EDMVNDVS, licet ab omnibus in Anglia, ipsoque Pontifice Romano Gregorio nono dignissimus Archiepiscopatu Cantuariensi iudicatus, nō prius consensit, quàm autoritate Pontificis summi sub pœna lethalis peccati imperatum esset, vt susciperet, cui susceptō palàm protestatus est, se non fuisse susceptūrum, nisi obligatus fuisset sub pœna Deum offendendi.

In eius vita.

S. ANTONINVS litteris diuinis humanisque excultus Archiepiscopatum Florētinum ab EVGENIO IIII. oblatum repudiauit, omniaque media adhibuit

adhibuit vt Papam ab hac voluntate abduceret. Verum Papa omnibus rationibus eius neglectis sub pæna excõmunicationis illi imperauit, vt susciperet, sed nec tunc, nisi quæstione discussa ab omnibus litteratis, quòd teneretur consentire, in sententiam Papæ concessit, tot lacrymis profusis, vt & circunstantes ad lacrymas prouocârit.

S. MALACHIAS Archiepiscopatum non prius acceptauit, quàm Episcopi congregati ei cõminarentur anathema, ni pareret. Omnem enim locum excelsum & sublimem velut animæ præcipitium fugiebat, teste S. Bernardo. *S. Bern. in eius vita.*

S. BERNARDVS in Remorum & Lingonensium antistitem, atque etiam in Mediolanensium Archiepiscopũ nominatus, omni studio & conatu se purgauit, & onus excussit: impetrârat enim à Deo, ne mãdato aliquo sub peccato mortali obligante ad id adigi posset. *Surius in Augusto.*

S. THOMAS Aquinas, cum Clemens IV. Papa Archiepiscopatum Neapolitanum ei detulisset, tot rationibus *Sur. in Mart.*

bus suam Sanctitatem ab hac voluntate reuocauit, vt nec illum, nec alium illi deinceps offerret.

Sur. in Iulio.

S. Goar bonorum operũ meritis, miraculorumq; gloria clarus à Frãcorum rege Sigiberto vrgebatur, vt Archiepiscopatũ Treuirensẽ susciperet, ille rò cum se purgasset, videretq; regis animum flecti nõ posse, multis sacris inducias petijt orãdi, diuinam voluntatẽ ea de re consulendi. Rex triginti dies indulsit, ille verò à Deo petuit liberari à dignitate, & impetrauit ac in decimum vsq; annum deinceps lecto affixus vsq; ad mortẽ decubuit potius eligens infirmitatem, quã dignitatem. Quam animi submissionẽ multis miraculis Deus illustrauit.

Vega in hist. S. Hieron.

Beatus Ferdinãdus de Talauera Granatensis Archiepiscopus multa sanctitate & eruditione cõspicu', à Rege adscitus ad Salmãticẽsis Episcopatus fastigiũ, multis vijs & rationib' sese cusauit. Scripsere Reges ad sũmũ ficẽ & capta vrbe Granatẽsi eũ Archiepiscopatu Granatẽsi ornare voluerunt, sed, quo adpotuit diu tergiuersatus est, verũcũ obinstãtiã regũ nõ posset [illegible]

Episcopatus oblatos excutere, maluit Granatensem, vtpote pluribus laboribus & ærumnis obnoxium, amplecti. Et quamuis antè sēper plurimum abhorruisset à Prælaturis, tamen quāprimum experientia quotidiana edoctus clarius cognouit earum difficultates & discrimina: cōsuêrat dicere, se capere nō posse, quo modo homo ratione & prudentia præditus tantum onus, quod tantā vitæ perfectionē postulet, spōtè optare & acceptare possit. Hæc ergò vota, hęc studia fuêre sanctorum hominum, fugere omnibus modis honores & dignitates.

Iam verò nō solùm hunc zelum demōstrārunt in declinādis magnis dignitatibus Episcopatuum, in quibus labor, periculumq; maius est, sed etiam in monasteriorum præfecturis. Vbi, licet nō appareret tā grande periculum, tamē quia illæ quoq; cu honore & cura animarū cōiunctę erant, iustissimas causas prætexere poterāt, cur se inidoneos faterētur, atque etiā, quibus modis fas esset defugerent & renuerent.

Pinvsivs sanctissimus & venerabilis Abbas, ne suo præficeretur monaste- *Cassian. l. 4. c. 30.*

nasterio, cõfugit ad Tabennosiatarum
cœnobium longè illo districtius, ibiq;
maluit esse hortulani famulus, quam
in suo Prælatus.

Surius in Decemb.

S. MARCELLVS diuina iuxta ac hu-
mana sapientia instructus, tanto fu-
dio fugit monasticam Præfecturam
totque vijs ac rationibus à serepu-
vt tandem voto sit potitus; tantoq;
gaudio officium omnium in cœ-
bio vilissimum recepit, vt petiuer
eo per omnem vitam perdurare. H
quilibet prudens æstimare potest, q
recte faciant, qui suæ infirmitatis g
ri, non aspirant ad gubernatione
liorum; postquam sancti tanto lu
ne à Deo illustrati tantoque spir
robore ad vincendas tentationes m
niti, hoc onus refugerunt. Si cæc
vel alius exigua videndi facultate p
ditus, post initam cum fido & pe
duce viam admodum strictam, sed
peditam & præcipitijs plenam, ta
ducem suum deserat, nonne in ap
tum vitæ deserimen se conijcit? N
omnes viam cæli inuenimus, an
stam & strictam, multis oculisq;
Matth. 7. tationum periculis horrentem? an

tedunt nos duces viæ Sancti, qui, vt sunt lumine diuino illustrati, pericula viæ ostendant. Cum ergò hi tam periti duces declinẽt à via cupiditatis honorum & dignitatum, nos verò illis desertis in eam vltrò nos ingeramus, quid aliud agimus, quàm quod sapiẽtiores videri volumus sanctis, & manifestum salutis periculum adire?

CAPVT. IX.

Sanctorum exemplis declarantur media, quibus mortificanda est propria voluntas quoad honores temporales, qui ob donum prædicandi & eruditionem alicui deferuntur.

QVAMVIS ferè omnium maximum periculum & damnum animæ nostræ sit in nimia dignitatum, officiorumque, quibus alijs imperandum est, cupiditate; tamẽ in alijs quoque honoribus expetendis nec damnum, nec periculum omne abest. Quare operę pretium faciemus, & expendamus, quibus medijs sancti affe-

affectionem illā mortificârint. Officium in Ecclesia Dei valdè honorificum est, Verbum Dei prædicare, quod si fiat cum magno hominum cōcursu & applausu, magnum cōcionatori impendet periculum lapsus, ne dum aliorum salutem quærit dicendo, suā perdat applausu illo gaudendo. de quo periculo S. GREGORIVS in moralibus scribit, nos sæpè assumere munus prædicandi alijs, & dum auditoribus prodesse volumus, propriæ laudis amore nos defædare: sicut enim latro per diuerticula irruens, sæpe occidit viatorem rectâ via progredientem: ita honoris proprij illecebra sæpè insultat cōcionatori alioquin rectâ tendenti, hoc est, salutem aliorum quærenti: vnde fit vt in vno eodemq; opere initium à virtute sumatur, finis verò reddatur vitiosus. Quod etiam crebrò accidere concionatoribus, nempe vt prædicationis initium quidem videatur laudabile, quatenus voluntate quadam imperfecta conantur prodesse hominibus, sed re ipsa intentio & scopus prædicantium aliò feratur. Nonnunquā etiam, licet nō aucupentur lauho

E.9.mor. c.13.

hominum & famam, imò cõtemnãt: tamen id nõ faciunt ex vera animi submissione, qua seipsos despiciãt, indignosque honore æstiment, sed ex arcana quadam elatione, qua plus æquo sibi fidere solent, aliosq; cõtemnere. Hæc ferè B GREGORIVS, qui vti optimus vitæ spiritualis magister, accuratè detegit vulnera, quæ in hoc officio esse solẽt, vt curationẽ eorũ addiscam⁹.

MEDIVM verò, quod sancti vsurpârunt ad mortificandum honorem in hoc officio, erat, data opera sæpè in ijs locis concionari, vbi parum essent gra ti, aut vbi exiguus erat populi concur sus. Sãctus OTTO Bambergensis Episcopus, quamuis apud suos in magna hominum existimatione esset, sic vt totus clerus populusq; illum aliundè venientẽ cum canticis & hymnis sollemniter in vrbem receperit: tamen deserta diœcesi sua contulit se in Pomeraniam ad annunciandũ Euangeliũ infidelibus, à quibus licet deterrimè haberetur, & luto aliquãdò sordidaretur, summisq; oneraretur iniurijs, illetamen à prædicatione nõ cessauit, humilitatisq; & patientiæ exẽplo præ-

Sarius in Iulio.

dura.

dura pectora gentis tandem ad fidem traduxit.

Sur. in Iunio. B. NORTBERTVS, Coloniensis & Xanctensis quondam canonicus, postea verò Ordinis Præmonstratensis institutor, cum cõcionator esset celeberrimus (quem S. Bernardus vocat fistulam caleſtem) tamen neglectis vrbibus malebat verba facere in vicis & pagis, nec minus paucis, quàm multis, pauperibus quàm diuitibus, rusticis quàm nobilibus, operam suã præstabat.

Bern. ep. 56.

Theodor. in eius vita lib. 4. c. 10. S. DOMINICVS, sanctitate & sapientia clarus, ac propter admirabilem fructum, quem concionibus in lucidis animabus colligebat, admodum carus in Tolosano Episcopatu; tamen maluit aliò se conferre, nempe Carcassonã, vbi non solùm nõ afficiebantur homines ad eius conciones, verùm etiam eum persequebantur & irridebant. Acrogatus aliquandò, cur id faceret, respondit. Quia Tolosæ me honorant, Carcassonæ verò mihi contradicunt.

Beda in eius vita. S. CVTBERTVS, sanctitatis, miraculorumque fama celebris in vi-

mon-

montanis, locisque solitarijs & horridis, quò nulli prorsus concionatores vocitabant, multos dies libentissimè verbum Dei annunciabat.

S. FRANCISCVS pro sapientia & gratia quam à Deo ad prædicandum acceperat, cum à multis libentissimè, nec sine ingenti fructu adiretur in oppidis, tamen crebrò conferebat se ad loca vilia, vbi à paucis audiebatur. Atque hoc est vnum medium, quo Sancti vsi sunt in mortificando appetitu honoris, qui decerpi potest ex officio prædicationis. *In eius vita.*

AD mortificandum verò honorem, quem poterant consequi ex opinione sapientiæ, nonnulli conati sunt eam cælare, donec Deus patefaceret.

S. THOMAS Aquinas, sublimi præditus ingenio, & diuina æquè ac humana instructus sapientia, tantum stu dium in ea occultranda posuit, vt propter iuge silentium tardissimi ingenij haberetur, & per conuitium à sodalibus suis bos mutus appellaretur, nec antè sapientiam suam, disputando in Scholis prælegendoq; prodidit quàm id à Superioribus exactum fuisset. *Surius in Martio.*

S S. AN

Sur. in Iunio.

S. ANTONIVS de Padua, cùm esset eloquentissimus, doctissimusq; ac singulari prædicādi dono ornatus, existens in S. Francisci ordine sic thesaurū hunc celauit, vt pro vili & indocto fratre haberetur, atq; ad infima culinæ, vestēdorumq; cubitulorum ministeria detraderetur. Multoq; tempore in hac functione tam abiecta perduranit, donec Deus cuidā superiori inspirauit, vt imponeret illi munus prædicandi in tricinio: tunc enim, vt obedientiæ faceret satis, prædicauit, & donum, quo præditus erat, patefecit. Non formidabant sancti illi, ne proximo fructum aliquē spiritualem detraherent, si aut sapientiam suam occultarent, aut æquè paucis ac multis verbum vitæ annunciarēt. Probè siquidem nō āt, caritatē perfectā, in ijs quæ ad animā attinēt, incipere à seipsis, atq; idcircò existimabāt Deo gratius esse honoris cupiditatem mortificare dādo operā humiliari, & cōtēptui sui, quā iuuando alios humanis spiritalis fructus iacturā facere. Quāquā & hoc ipso studio plus cōmodare poterāt proximo: quò enim ipsi maiores in virtute progressus fecerāt; hoc & hos quoq; poterāt sibi reddere sum-

liores. Et res ipsa docuit tales cõcionatores & pluribus à Deo beneficijs fuisse diuinitùs instructos, ac potẽtiores fuisse in Ecclesia ad cõuertẽdos peccatores.

ALIVD quoq; mediũ vsurpârũt sancti ad mortificandã honorũ appetitionẽ, nẽpè, vt exercerẽt se in officijs humilibus & abiectis, vilibusque personis ministrarent.

S. MALACHIAS post susceptum Archiepiscopatum, vilia monasterij officia repetere nõ dubitauit, vt coco ministrãdo, & mẽsę inseruiendo, & tẽpore mẽsę in triclinio legẽdo, aliaq; id genus. *S. Bern. eius vit.*

S. BONAVENTVRA itẽ, licet opinione hominũ doctissimus, tamẽ nõ refugiebat abiectissima quæque monasterij officia siue culinę siue mensæ, siue extrẽdæ domus obire, sic vt opus fuerit illi in hoc genere ardorẽ tẽperare. *Octauian. vita.*

S. ANTONIVS iam factus Archiepiscopus suis famulis inseruiebat, alias officia domestica subibat. *Vinc. Marnardus in vita.*

EST & aliud medium efficacius, quo sancti vsi fuêre, amplecti scilicet, quærere contemptum sui, aut ea libenter obire, ob quæ homines ab

hoc mundo rideri & cõtemni solent.

an. Pariar. in ius vita.

S. IOANNES Damascenus eruditione præstans, etsi in vrbe Damascena à consilijs fuisset Principi, tamen monastica vita susceptа non dubitauit Damascum, sportis oneratus, quas monachi texuerant, ingredi, easque publicè vænum exponere, ac ad maiorem sui confusionem caruus pretium exigere, vt plurium se ludibrio in loco, vbi antè fuerat honoratissimus, exponeret.

Theod. in eius vita.

S. PLATO Bizantinus, qui in sæculo magna nobilitate & auctoritate præditus fuerat, religionem ingressus ad mortificãdum appetitum honorum, non contentus ab alijs reprehendi & contemni, citra tamen vllam culpam suã: à Superiore verberari exoptabat: qui vt desiderio eius faceret satis, consensit: quod loco magni beneficij illa ducebat.

In eius vita.

S. FRANCISCVS non semel se cõtigit à fratribus suis publicè coargui, & ludibrio affici, appellariq; rusticum, indoctum: nulla virtute præditum, & eos suum pede cõculcari: In oppidi cuiusdam ingressu animaduertens homines

mines honoris causa sibi obuios fieri vt ludibrio exponeretur, se vna cum socio applicuit ad collem terreum viæ re proximum, magnaque celeritate puerorum more in eum incurrit, atq; ita obtinuit, vt opinionem sanctitatis, quam de eo obuij conceperant, deponerent. His alijsque, ac etiam maioribus opprobrijs toleratis (quæ tamen magna moderatione susciptēda sunt, vt infra dicemus) Sancti ad perfectæ mortificationis culmen, absolutamque omnibus numeris humilitatem peruenêre, experientiaque ipsa didicere, hoc medio tantam sc à diuina maiestate consecutos gratiam, vt prorsus liberos se senserint passionum cum aliarū, tum huius, de qua agimus, tyrānide, ac in omnibus actionibus suis non nisi honorem gloriamque Dei ante oculos propositam habuerint. Pace quoque & tranquillitate animi tanta, & viua in Deum fiducia fruiti fuerint, vt se tantùm non beatos arbitrarētur. Hæc experientia quendam S. FRANCISCI discipulum fecit erumpere in hæc verba: Beatus est, qui contemnitur ab hominibus, modò amet & optet

Tract. huius p. 3. c. 1. l. 2.

Chron. minorum p. 1 l. 5. c. 47. & 48.

tet contemptum, aut certè patien
toleret: hoc enim præcipuum certa
q; fundamentum est itineris ad ce
lum. Quibus verbis significare volu
hoc esse medium, quo honoris temp
ralis, cõtẽptus veraq; humilitas, m
niũ virtutũ fundamẽtum, acquirit

CAPVT. X.

Quam necessaria sit intellectus, p prijq; iudicij mortificatio, & qu modo exerceri de- beat.

POST propriæ voluntatis mor
cationem principem locum o
net, vtpotè cum maxime
to coniunctum, mortificatio int
ctus, quoad iudicium proprium: h
enim est facultas animi omnium
bilissima, & dux voluntatis. Pro
autem iudicium vocamus, quo
mo iudicat de rebus, non quia D
ita statuit, aut sancti & sapientes do
re, sed quia ita ei videtur. Hoc iu
cium proprium est pernicios
& grauissimorum criminum rad
omnium errorum & hæresum
narium. De quo optimè tractat S.
BARDVS. *In corde*, inquit, *duplex*

pra, propria voluntas, & proprium consilium. Lepra vtraq; nimis pessima, eoq; perniciosior, quò magis interior, Voluntatem inquam, propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatē fratrū, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propijs motibus animorū. Huic contraria est recta a fronte caritas. Hæc ille. Hoc iudicium mortificandum est, non inordinatè illi fidendo, sed aliorum iudicio & opinioni in omnibus, quæ rationi sunt consentanea, subijciendo. *Serm. 3 de resurrec.*

Quædam homo credit certitudine infallibili, vt quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita tanquam fide Catholica tenenda. Alia sunt, quæ homo certa esse iudicat, quia rationi naturali & sapientum dictis sunt conformia. Alia rursus, quæ nec reuelatione diuina, nec ratione naturali, sed quia communi Sanctorum, Doctorumq; Catholicorū consensu asseruntur, nobis certa sunt. in his omnibus locum nō habet mortificatio proprij iudicij,

neque enim homo in ijs nititur pro-
prio iudicio, ſed magno conſilio &
prudentia adhæret luci, quam Deus
in hac vita communicauit, vt illam
quamur. Sunt ergò alia, ad quæ
denda homo huiuſmodi motus
ducitur, ſed quia ſibi videntur eſſe
denda, vel ſequenda, & in his mor
catio proprij iudicij locũ habet. Qua
do alicui videtur aliquid verum &
tum, vel probabile & veriſimile, &
uertit multos doctrina, experientia
virtute ſibi pares nõ idem videre, m
tificare debet ſuum iudicium, & alio
rum anteferre, nam cum vtrinque
paritas, iuſtè ceditur, cum multorum
vnius iudicio præſtet. Hinc S. BASI-
LIVS. Non eſt rationi conſonum,
quis in omnibus ſuo ſtare velit iud
cio, nec periculo aut contumaciæ ſe
picione caret, in congregatione mul
rum nolle maioris partis ſententiæ
quieſcere: nec dubium eſt arroganti
argumentum eſſe in hoc genere, ſe
potius, quàm aliorum iudicio adhæ
rescere. Nam, vt ſcribit S. BERNARD
quæ maior ſuperbia eſſe poteſt, qua
ſi vnus ſuum iudicium præferat

In reg. breu. q. 123.

Serm. 2. de reſurrect.

uersæ congregationis iudicio, quasi solus haberet spiritum Dei? Similiter in cæteris omnibus rebus, in quibus neque rei euidentia, neque maiorum auctoritas conciliat certitudinem, nullumque impendet vel salutis vel virtutis deserendæ periculum, consultius est iudicio suo cedere, & alieno parere, maximè eorum qui auctoritate, vt sunt superiores, aut doctrina, vel ætate & experientia superant.

Ex rationibus, quæ ad hoc permouere nos debeant, vna est, consideratio humanæ ignorantiæ, hoc est, quàm pauca sint, quæ certò & clarè cognoscamus: quàm multa item, quæ certissima verissimaque nobis quondam visa sunt, & tamen post accuratius examen deprehensa sunt vel falsa, vel admodum dubia, & crebrò talia, vt pudeat nos in ea sententia fuisse. Deinde quanta sit in vna aliqua quæstione, vel consilio opinionum varietas, vt frequenter dici possit, tot esse sententias, quot auctores, tot placita, quot capita. Hinc fit vt quæ iuuenes nimia ingenij & iudicij celeritate & immaturitate leuiter effutiuimus, augescente ætate

tate & iudicio tandem corrigamus.

Lib 3. c. 14. in 1. Reg. Et l. 11. mor. c. 21. De qua ignorantia, in quam pe[r] dæ peccatũ in[cu]rimus, loquens B. Gre[g]ORIVS dicit. *Magnum pelagus est ig[no]rantiæ humanæ.* Et alibi. In pecca[to] inquit, pœna in hac mundi pere[gri]tione & exilio tanta cæcitate pec[ca]si iumus, vt nobisipsis ignotiss[imi] Nam luce veritatis semel ab anima [no]stra depulsa, nihil in ea præter ig[no]tiæ tenebras remanet: quæ causa [est] vt frequenter in fossam peccati [ca]tur, & tamen ignoret. Et hæc est ig[no]rantia, in quam per peccatum inc[ur]mus: licet enim lumine naturali no[n] nulla nobis patefacit, tam pauca tam sunt, quæ certò & perspicuè innot[es]cant, vt remoto fidei lumine, fateri [vo]vult B. Gregorius, ingenuè debeam[us] nos plenos esse tenebris ignorantiæ. Hæc ergò tanta ignorantia tot gen[e]ri humano communis meritò co[m]mouere nos debet, ne facilè nostro [iu]dicio fidamus, sed aliorum sente[nti]is subscribamus.

IGNORANTIAM deinde & cæcitat[em] animi nõ parum augent passiones quæ facilè impellunt hominem in [er]rorem

tentiam veritati contrariam. sicut enim ardentissima siti laboranti nihil melius dulciusue videtur aquâ, quia secundum dispositionem suam iudicat; sic qui cupiditate aliqua inordinata, vel perturbatione concitatur, longè aliter iudicat de rebus, quàm reuera se habent. Cum ergò quilibet homo sciat se non esse immunem à passionibus & affectionibus prauis, non debet proprio iudicio admodum fidere, sed tanquam domesticum hostem habere suspectũ, abnegareq; illud, vbi ratio suaserit. Vnde S. DOROTHEVS *Serm. 19.* Cum subiecti, inquit, simus multis passionibus, prauisq; affectibus, nostro iudicio no debemus omninò fidere; quâ-do enim norma vel regula curua est & inflexa, nunquam quod secũdum eam dirigitur rectum efficitur, sed distortum.

IAM & alia, eaq; principalior mortificandi iudicij proprij ratio est, quod opus sit magnæ humilitatis, Deoq; gratissimum. Sicut enim homo ob naturæ corruptelã proclivis est ad fouendã propriã voluntatẽ, sic etiã ad sequendũ proprium iudicium. vnde si vincat se, &

iudicium intellectus, qui principatum
inter animi facultates obtinet, ab-
rius iudicio submittat, exercet actum
virtutis maximæ: & quia ob amorem
Dei facit, magnum meritum aqu
Deum colligit in hac vita, in futura
rò singulatem gloriam. Vnde illud
num incomparabile nascitur, vt ho
mo à Deo tra luce illustretur, torq
peculiaribus armetur præsidijs, vt
grè hallucinari in re aliqua, vel in fra
dem ab inimico induci possit. Nam
hanc lucem fauoremque suum pro
misit Deus ijs, qui propter Deum
humiliant in re tam graui & difficil
vt est, proprij iudicij mortificatio. Hi
Serm. 8. rationem idem S. DOROTHEVS sede
lò ponderat, dum ait. Quando fuit o
pinioni & iudicio homo adhærescit
tunc capitalis humani generis hos
mox nectit illi laqueos, quo præcip
tem agat in errores & peccata. Atque
hæc est causa ordinaria, & radix, cu
qui fundamentum cultus diuini ieie
rant, excidant è gratia, & pereant. L
sus quidem causas, alij alias referun
at ego primam causam & radicem ha
tuo, quod suo iudicio nimiam fi

sit, sui ipsius magister factus, quo nihil est perniciosius. sicut contrà nihil ad præcauendum lapsum, auertendas que omnes Satanæ insidias & fraudes, est salubrius, quàm superiorum Patrumque spirituali um consilio & iudicio sese regendum tradere. Confirmat idem Dorotheus hanc doctrinam appositione vnius exempli. Magnus, inquit, Macarius Abbas, cum aliquandò conspexisset dæmonem oneratum ollis, quibus varia esculenta cõtinebantur, percunctatus eum est, in quem vsum tot ollæ seruirent. Ille verò diuina virtute constrictus celare veritatem non potuit, dixitque se variis illecebris monachos, vti non vnum idem est palatum, tanquam escis à cultu virtutis, ad vitium allicere. addebat vnum inter cæteros magnum suum amicum esse, quem illicò, quotiescunque vellet, posset in suam sententiam trahere, eiusque nomen prodebat. Macarius mox monachum adijt, & deprehendit eum deceptum, quòd nimium suo iudicio præfidens tentationes nõ patefecisset Patri spirituali: monuitq; illũ si immunis à lapsu esse velit, in

posterum suo iudicio non temerè
dat, quod & fecit. Vnde S. Macarius
cùm postea iterum se videndum da
mon obtulisset, rogauit, num mona
chus dictus adhuc esset eius amicus
ille verò magno furore respondit, non
esse amplius amicũ, sed hostem. Om
nes S. Macarij monachos tentabat dæ
mon, sed maximam eorum partem
idcircò vincere non poterat, quòd pro
prio suo iudicio non niterentur, sed
totos se Patrum spiritualium arbitrio
consilioque regendos dedidissent.

CAPVT XI.

De mediis, quibus proprij iudicij mortificatio exercenda est, ne in temerarium iudicium incidatur.

EX mediis, quæ Sancti Patres ad
mortificandum proprium iu
dicium docuêre & vsurparunt,
illud, sicut diximus, vnum est, deligere
re sibi Patrem spiritualem, cui tota
scientia nostra perspecta sit & explora
ta, cui omnes perturbationes ani
mæ

tentationesq; ingenuè patefaciamus, cuiusque consilio & prudentia nos duci regique sinamus; confisi, hanc tutissimam esse viam rationemque vitæ piè sanctèq; traducendæ & procurandæ salutis æternæ Quod medium seruire potest, nõ solùm religiosis, qui subaliorum obedientia viuunt, sed etiam secularibus, si optãt securam inire rationem seruiendi & placendi Deo: omnes enim expositi sunt & proprij iudicij & passionum suarum, & variarum dæmonis tentationum periculis, eoque magis, quò in seculo maiores, quàm in religione, se offerunt occasiones. De S. Malachia commemorat S. BERNARDVS, eum cùm esset in seculo, optaretque seruire Deo, diuino instinctu edoctum, vt quæreret Patrem spiritualem, & inuenisse quendam Dei seruum nomine Imarium, cui omnia animi sui sensa detegebat, cuiusque consilio totam vitam instituebat. Hic ab infantia à Deo singulariter institutus, à diuina eius maiestate documẽtũ accepit, vt loco Dei alicui homini in omnib⁹ obediret Quo medio, licet esset in seculo, breui ad mag-

In eius vita.

magnam vitæ sanctitatem pertinit.

ALIVD medium ad mortificandum proprium iudicium salubernimum est, assuefacere se ad exquirenda aliorum consilia, non solùm in rebus grauibus, magnique momenti, (quia ad cauendos errores id omninò necessarium est) sed etiam nonnunquam in leuioribus, & quæ nullo negotio comprehendi queunt. Nam quo in hoc genere rerum magis alienis consilijs nitimur, hoc plus, & maiori cum merito exercetur proprij iudicij mortificatio. Sed ad hunc fructum, proculdubio maximum, carpendum, curandum est, vt qui alienum implorat cõsilium, non ita suæ opinioni adhæreat, vt secum decernat ab ea non recedere: tunc enim ficte & frustrà confugeret ad alienum: sed vt paratus sit in eam sententiam inflectere mentem, quam iudicabit præstantissimam: sic enim verè homo humiliat se, & proprium iudicium mortificat, diuinisque donis locum præbet. Vnde sapiens dixit: Ibi esse salutem, vbi multa vigent consilia, quod præcipuè intelligitur de re-

PROV. 11.

ra animæ salute. Atque hoc medium petendi consilium ab alijs in rebus etiam leuioris momenti vsurpârunt multi sancti.

S. ARSENIVS vir sanctissimus, diuinaque & humana sapiẽtia instructus, quin sæculo Imperatorum Honorij & Arcadij magister fuerat, cum in eremũ secessisset, non modò à monahis doctrina & scientia magna præditis, sed etiam ab indoctis & rudibus salutaria ad progressum in virtute faciendum consilia sciscitabatur, idque ingenti animi submissione, persuasus Deum per hoc medium subministraturum, quæ magis accomodata essent ad suam salutem. *Metaph. in vita.*

B. RAIMVNDVS, à doctrina celeberrimus, qui cum facultate summi Pontificis Episcopatu se abdicârat, S. Dominici religionem complexus, ad coercendum iudicium proprium submittebat se religiosi cuiusdam fratris non admodum eruditi voluntati & arbitrio, atque hac submissione tantum sanctitatis nomen breui sibi conciliauit, vt in Generalem Ordinis sui præpositum electus sit, multisque miraculis *Leander in eius vit.*

culis claruerit.

ALIVD quoq; medium mortifica-
di iudicij ergò vsurpârunt sancti, vi
in dictis factisue suis, vel moneren
vel carperentur ab alijs, non repug
rent, sed facilè aliorum sententiæ
do inde nullum timebatur perica
subscriberent; idq; faciebāt, non
quando alij solidioribus, quā ipsi,
onibus niterentur, sed etiā quādo
gè infirmioribus: diebāt enim hac
maiorē occasionē dari exercendæ
ræ humilitatis.

Metaph. in eius vita. Surius in Maio.

S PACHOMIO legenti in monaste
& opera manuum cum alijs fratrib
exercenti texendis è iunco sport
cum discipulus eius, quem alijs præ
cerat, diceret, cum non rectè texere
tinuò surrexit, dicēs. Fili doce me q
sit optima texendi ratio, quem docē
tem humiliter secutus est, posthabi
pristino suo more. Qua humilitate
quit Methaphrastes, arrogantiæ spir
tum, carnisq; prudentiam repressit.

In Chron. Francisc. p. 1. l. 1. c. 69.

Hoc medio crebrò vtebatur S. FRA
CISCVS, vt fructum aliquem spiritu
lē in se colligeret, fratresq; suos ad
hortabatur. Nā cū diuturna fam

ritate cũ Deo, diuinisque illustrationi bus, ac experientia ipsa edoctus, probè sciret, quid, quo loco, & tempore agendum esset, tamen malebat in maximis rebus aliorum etiam simplicium ac imperitorum iudicio & sententiæ arquiescere, quàm suo. Et idcircò omnes fratres, quos ad ordinem recipiebat, sedulò commonefaciebat, vt hoc exercitium faciendi ea quæ proprio iudicio contraria forent, auidè complecterentur.

CVM quadam vice ab eo postulassent sanctum ordinis habitum adolescentes duo, deduxit eos in hortum, monuitq; , sibi vt adiumento essent inplantandis caulibus, & eandem secum plantandi rationem tenerent. cum verò ille præposterum plantandi modum datâ operâ tenuisset, vt frõdes deorsum premerentur, radix sursum exstaret, alter iuuenum conticuit & paruit. alter verò, iudicium suum non subijciens, contendit perperàm plantari. Vnde factum, vt illi, nõ huic habitum ordinis concesserit: sciebat enim sanctus ille sine proprij iudicij cõ *ibip. c. 70.*

temptu

temptu parum profici in cæteris
tutibus.

ATQ. hæc sunt media, quæ
Dei exercere debet ad mortificand
proprium iudicium, cum in omni
rebus, tum maximè in proprijs ad
mæ & conscientiæ suæ pacem &
ritatem attinentibus: siquidem in
homo ad errorem & lapsum, pro
amorem proprium, innatasque a
passiones, procliuior est. O admi
dam pugnam, quæ est inter mor
cationem & proprium iudicium
victoriam gloriosam in proprij
cij abnegatione? hac enim tanqua
pugione omnes confodiuntur d
nes, hac resecantur, velut radice fo
sa, omnia vitiorum germina, qua
proprio iudicio pullulare solent. O
opima & præclara spolia in hac vi
ria colliguntur, nempe, humilitas,
tientia, caritas, pax, gaudium spiri
& diuinæ voluntatis perfecta cons
matio. Denique necesse habet h
speciatim mortificare proprium
cium in aliorum dictis & factis d
candis, ne facilè fidem accomm
suspicionibus, nisi firmis ration

& argumentis confirmentur: Sic enim à culpa & pœna immunis erit, qua Deus animaduertere solet in eos qui temerè alios iudicant & condemnant, hoc est, vt in eosdem, vel etiam grauiores defectus, quos in alijs notârunt, labantur. *Cassian. l. 5. c 30. S. Vinc. in vita Spirit.*

CAPVT XII.

De mortificatione passionum in sensitiua hominis parte existentium, & de earum natura.

SICVT homini inest appetitus intellectiuus, nempe volũtas animæ soli inhęrẽs, (vnde & dicitur esse in parte animæ superiori) sic inest & sensitiuus inhærens toti cõposito ex anima & corpore: vnde & dicitur esse in parte animæ inferiori, quia est in illa, quatenus forma est corporis, vitam corpori præbens. Huius appetitus duæ sunt potentiæ, concupiscibilis & irascibilis. Motus vel operationes eius appellantur passiones, eò quod per illas potentia corporali quadam immutatione alteretur, & quasi patiatur. dicun-

cuntur & perturbationes animi, quæ rectam rationem soleant turbare & re nebras offundere. Sunt autem numero vndecim, sex in potentia concupiscibili, vt amor, desiderium vel concupiscentia, odium, fuga mali vel abominatio, delectatio, quæ dicitur & gaudium, Dolor vel tristitia. Quinque reliquæ sunt in irascibili, quæ iunt, spes & desperatio, audacia & timor, & ira, quæ dicitur & indignatio, ac zelus. Hæ passiones oriuntur ex bono vel malo per imaginationem animæ repræsentato. Nam bonum repræsentatum, tanquam principium actiuum primò efficit in animo inclinationem quandam ad bonum, & hoc est, amor, ac dum bonum nondum obtinetur mouet appetitum ad illud procurandum, & hoc est desiderium. Post obtentum verò bonum, bonum ipsum efficit in anima quietem & pacem, quæ dicitur delectatio & gaudium.

Aug. 9 de ciuit. c. 4. S. Thom. 12. q. 22. & 1. 2. 5.

MALVM verò eidem appetitui repræsentatum efficit cõtrarium. ac primò quidẽ auersionem, qua conatur illud à se repellere, & dicitur odium, deinde studiũ remouẽdi, & dicitur Fuga vel abomi-

abominatio mali. Si verò malū à se re-
mouere non possit, sequitur Dolor &
tristitia. Quòd si bonū appetitui obie-
ctū sit arduū, sed ita cōceptū vt obtine-
ri queat, efficit in potētia irascibili spē
cōsequēdi, cōtrà verò, desperationē, si
cōcipiatur, qua sic obtineri nequeat. Rur-
sūs si appetitui malū obijciatur, quod ę
gre depelli possit, & tamē homo cōfi-
dat se depulsurum, nascitur audacia in
appetitu: sin minus, timor. Si verò
malum sit re ipsa vel imaginatione
præsens surrigit se ira contra illud e-
ius que auctores.

HÆ passiones, si naturā spectes, hoc
est, vt sūt partis sentientis operationes,
moraliter nec bonę, nec malę sūt, nec
virtutes, nec vitia, quia volūtarię non
sunt, nec à ratione libera ortę. Si verò
eas cōsideres, quatenus à ratione inci-
tatur, vel mādātur, aut quādo oportet
fieri, nō coercētur & cōprimūtur, quod
fit, tacitè illis consentire, tum morali-
ter bonæ vel malæ, virtutes vel vitia
fieri queunt, quia sic sunt voluntarię,
cum ratione participant. Bonæ
quidem, quando rationis dictamen
sequuntur, malæ, quando secus.

hoc

hoc est, cum potius sequantur naturæ corruptæ inclinationem, amando quod amandum non est; & timendo quod timendum non est.

His appetitus sensitiui passionibus in voluntate respondent, vt suprà diximus, similes actiones & motus, ijsdē nominibus amoris, desiderij, gaudij & cæteris appellati. In voluntate siquidem propriè non sunt passiones, quia eius motus non sunt cum mutatione corporali coniuncti, sed dicuntur affectus, qui naturâ suâ liberi sunt, & immediatè nati. Vnde si benè ordinati sint, verarum germanarumque virtutum actus sunt, quibus refrenantur partis sensitiuæ passiones. Si non sint, & cum ratione pugnent, culpæ rationem obtinent, & excitant animi perturbationes.

Hæc cum ita sint, restat vt diligenter consideremus, quanta nobis incumbat necessitas passiones illas mortificandi. Certè, si homo non nisi vt bruta animantia, anima sentiente constaret, non esset ad refrenandas passiones obligatus, quia conuenienter naturæ suæ principali operaretur, at quoniam ra-

ratione, vt principali parte præterea præditus est, à qua & homo dicitur, tenetur, quibuscunque modis potest partem sentientem, tanquam ancillam dominæ, & instrumentum opifici, sibi subijcere. Hoc Deus in diuinis litteris per Ecclesiasticum docet, dum moner, ne post concupiscentias nostras eamus, hoc est, post passiones; alioquin ab hostibus vincendi, id est, dæmonibus, qui irridebunt & subsannabunt nos. Et Apostolus Paulus Dei auctoritate, *Fratres*, inquit, *sumus debitores carnis*, vt nempè secundum eius inclinationem vitam instituamus: quia *si secundum illam vixerimus, morimur*, nempe morte culpæ & pænæ æternæ: *si autem spiritu facta carnis mortificauerimus*, hoc est, passiones & concupiscentias, *viuemus*, nempè vita gratiæ & gloriæ æternæ. *Eccl. 8.* *Rom. 8.*

RATIO, cur harum passionum mortificatio tam necessaria sit, est, quia sicut in parte superiori animæ, quæ intellectiua dicitur, voluntas propria, iudiciumque proprium sunt omnium vitiorum radix, sic in eiusdem animæ parte sensitiua & inferiori passiones

T sunt:

sunt omnium peccatorum malorũq
fõs & radix. Ab his passionibus adpo
tem intellectiuam ascendunt tetri vo
pores & fumi, iudicium exæcantes
& obscurantes. Vnde Apostolus
Rom.7. hominis peccatoris persona. *Video*, in
quit, *aliam legem in membris meis re
pugnantem legi mentis meæ, & deti*
tem sub lege peccati. Appellat Beatus
Paulus membrorum legem, partis
sentientis passiones: quia si non cohi
beantur, animam in omne genus vi
tiorum præcipitem agunt.

EST & alia ratio, quæ mortificatio
nem passionum suadet: nam cum ea
sint parti sentienti, organisque corpo
reis, non animæ modò, verùm etiam
corpori quoad sanitatem noxiæ sunt.
Videmus enim vno immodico timo
re homines quosdam ilicò incanuisse,
alios iræ intemperantia, tristitiæ, vel
gaudij concidisse mortuos. Cuius
rei multa exstant in veterũ monimen
tis exempla. Publius Rutilius Ser
Consularis, quem Romæ ambi
bat dejectus, tanto mœrore obrutus
est, vt subitò animam efflârit. Dantis
lib.22. poëta clarissimus, teste Volaterra
no,

no, ad Venetos missus pro pace cum Guidone de Palenta componenda, simulatque cognouit sibi audientiam negatam, vitam cum morte commutauit. Idem facit nimia lętitia. Ælianus enim commemorat athletam Crotoniatam post partam Olympico certamine victoriam, cum corona laurea offerretur, tanta lætitia effusum, vt continuò spiritum reddiderit. Et de Sophocle scribit Plinius, eum, cum tragœdia sua alteri publicè antelata fuisset, tanto exilijsse gaudio, vt subitò mortuus conciderit. Idem efficit in hominibus nimius terror. Refert siquidem Fulgosus de Ostrogothorum rege Theodorico, cum in cæna ingens caput piscis propositum fuisset, illeque existimaret esse ipsum caput Symmachi, quem trucidârat, eum tanto terrore concussum, vt paulò post expirârit. Idem de alijs passionibus dici potest, quando non mortificantur.

lib. 7. c. 53.

lib. 9. c. 2.

Nonnvlli tamẽ in ea sententia sunt, vt arbitrentur, se in ægritudinem lapsuros, si obortam iram, tristitiamue refrenare conentur; vnde passioni-

cedentes animæ suæ perniciem ass
runt, & male ædificant proximum
Deum grauiter offendunt, imò &
poris sanitatem, si sinant passione
augescere, lædunt, vt liquet experi
tia. Quare concludo sedulam passio
num mortificationem, plurimum
lere ad conseruandam animæ corpo
risque incolumitatem, ad extirpan
dam tyrannicam vitiorum seruitu
tem, ac denique ad veram & solidam
pacem internam externamque obti
nendam.

CAPVT XIII.

Qua ratione mortificandæ sint passiones existentes in parte hominis sensitiua.

EX iis quæ superius dicta sunt
de modo mortificandi amo
rem proprium & voluntatem
propriam facilè liquet, quemadmo
dum sint mortificandæ passiones. Li
cet enim aliquandò fieri possit, vt sine
vllo respectu ad passiones peccetur
propria voluntate, vt cum peccatur ex
mera malitia, tamen omnes ferè prauæ
volun

volũtatis nostræ actiones originè habent ab aliqua passione non mortificata in ijs qui seruire Deo cæperunt. Quare breuiter de mortificatione passionum agemus. Passio amoris, quæ prima omnium est, & desiderij, quæ secunda est, inordinatæ sunt. Primò, quãdo homo amat vel desiderat, quę natura sua cum diuina lege pugnant. vt est iniustè detinere rem alienam, alterius coniuge abuti, &c. In quo genere non opus est diu dispicere quid agendum sit: constat enim pœnitentiã talia esse corrigenda. ab ijs qui non dum adiuuante diuina gratia viam pulcherrimam obseruationis mandatorum Dei inire cæperunt. Secundò inordinatæ sunt, quando homo amat vel expetit, non quidem res suapte natura malas, sed superuacaneas, & ideirco culpę obnoxias, vt opes, domos, hortos, vestium mollitiem, victus delitias, aliaque quæ non conueniunt homini humilitatis aliarumque virtutum Christianarum studioso. Tertiò inordinatæ sunt, quando homo amat & desiderat necessaria, non ob necessitatem, sed voluptatem, aut si ob

Passio amoris

Desiderij

Aug. de ve- necessitatem quidem, amet ta*ra religion.* immodico affectu. Hoc autem, *c.48.* ste S. Augustino, & Beato Gregorio
Greg. l. 31. argumentum est aliquem affectu in-
mor. c. 8. ordinato amoris vel desiderij in res ne-
cessarias ferri, quando ijs destitutus magnoperè afflig itur: si enim illa propter Deum amasset, cum à manu eiusdem Dei profectum sit, quod illis spoliatus, voluntatem suam cum diuina conformasset. Has inordinationes mortificare debet homo, ea ratione qua diximus mortificandũ amorem proprium, non desiderãdo nisi ea quibus ægrè carere possumus, idq; non ad nos solandos, sed ad tatil faciẽdi necessitati, & diuinæ ordinationi, quæ ita voluit, ac ex parte nostra optanda viuere sine vlla delectatione corporali, si eam Deus non concessisset. Itaque quando Deo sic visum fuerit, etiam morem parentum, filiorum, vxoris, amicorum, & aliorũ non secus, quã aliarũ rerũ temporaliũ, exuere, & paratum esse, quando casus ita tulerit, illos omnes pro Christo deserere.

De delectationis. Passio delectationis & gaudij inordinata est, quando homo oblectatur &

& gaudet in rerum temporalium vsu & successu, non quia vsus ille necessarius, vel animæ proficuus est ad caritatem promouendam, aliumue virtutis finem obtinendum, sed quia voluptatem quandam affert naturæ conuenientem: vt si quis oblectetur spectandis ludis, & comœdijs, non ob commodum, quod inde prouenit, sed ob voluptatem solam, quam spectando capit. Item, si quoniam magnum fecit quæstum in negotiatione, aut hæreditas obuenit copiosa, vel munus publicum valdè fructuosum nactus est, de ijs gaudet, non quòd commodare queant saluti animæ suæ, vel aliorum, aut quòd necessitati multorum possit eorũ ope succurrere, sed tãtum quia magnã ex eo cuẽtu capit cõsolationẽ. Idẽ est in alijs rebus ordinarijs, vt si quis lætetur ob victũ vel vestitum, ob donum egregiũ acceptũ, ob laudes ab alijs auditas, & alia similia carni placentia, tantùm quia voluptatẽ aliquã ista afferunt, nullo alio fine proposito virtuti cõsẽtaneo. hęc enim ęgritia inordinata est, rationeq; ac spiritu mortificãda, vt scilicet ea nõ expe

tat, nisi necessitatis vel vtilitatis non
ne, quæ in animã ipsius vel proxim
dũdet. Quæ doctrina liquidò colli
tur ex eo, quod alibi dictũ est, actio
bus adiaphoris, quæ per se nec bona,
nec malæ sunt, bonum finem esse p
stituendum, vt virtutum lauden
obtineant.

Tristitia. QVÆ dicta sunt de passione gau
dij, similiter intelligenda sunt de pas
sione tristitiæ. Videamus ergò quid
sit tristitia inordinata à nobis morti
ficanda. Quando ob iacturam rerum
temporalium factam, aliáue incom
moda accepta in victu, vestitu, habita
tione, parentibus, amicis animo dej
cimur, non quĩa inde grauiter offen
sus sit Deus, aut quia detrimentum
aliquod nostræ proximorumúe salu
ti & profectui accesserit, sed quod con
solatio aliqua nobis adempta sit, ruri
tristitia inordinata laboramus, quę de
stituta est fine veræ virtutis. Quare ta
tione mortificare & corrigere hanc pas
sionem tenemur, quod fiet, si eam ta
quam de manu Dei pro expiatione
peccatorum nostrorum susci
mus.

Ti-

TIMOR quoque vanus & inordinatus est, quando homo reformidat aut corporis & fortunæ damna, aut excidere è gratia & beneuolentia hominum, non quòd timeat Deum offendere, aut alio nocumento spirituali suam vel aliorum animam afficere, sed tantùm, quia horret damni temporalis grauitatem. Qui timor sic mortificandus est, vt se homo prõptum offerat ad omnia damna fortiter perferenda, quę Deus immiserit & permiserit. Sunt & alij timores inordinati, quibus homo plus æquo terretur rebus alterius vitæ, vt spectris, vmbris, apparitionibus spirituum, & idcircò non audet solus degere in domo aliqua, aut solus in tenebris iter carpere. Hi timores mortificandi sunt actionibus contrarijs, vt transeundo per locum spectris obnoxium, & orationibus pijsq; meditationibus vacando. *Timor.*

IRÆ passio non solùm inordinata in nobis est, quando exposcimus vindictam, aut verbis contumelioſis alios inuadimus, sed etiam quando nulla voce emissa, aut signo dato in nobis ipsis turbamur, aut in proximũ *Ira.*

commouemur ob defectus in illo
maduersos, atq; ita animo ab eo
abalienamur, & in corde illum
mus, ac vilipendimus. Hæc ira
tificanda est eleuandó corad Deum
& à misericordi eius manu recipiendo
pænam, quā ira nobis attulit, auxilio
que implorādo quo fūditus com
matur, vt diximus alibi de remed
ad acquirēdā patientiā cōmemorata

Indignationis.

INDIGNATIO in proximum, orta ex
cōsideratione defectuū eius, mortifi
canda est, compatiendo illi, & lapsus
excusādo, quoad fieri potest: cogitādo
itē & in conspectu Dei agnoscendo
nos multò deteriora perpetratum fu
isse, nisi diuina manu conseruati fuis
semus. VERVM hic aduertendum est
has passionum inordinationes non
semper esse peccata in voluntate, nisi
voluntas illas optet, acceptet, vel nō re
frænet & mortificet, sicut oportet: sin
verò aduigilans statim repudiet & ra
tioni subijciat, tum licet earum com
motionem sentiat in parte sensitiua,
vt loquitur Apostolus, rea nō fit dam
nationis, imò virtutes earumq; meri
tum sibi cumulat, & gloriam auget in

Rom. 7. etc.

cælo.

cælo. Quare seruo Dei non debet videri superuacanea hæc subtilior de passionibus tractatio, quoniam progressus magnos in amore Dei, omnique virtutum laude facere potest, qui in mortificandis animi perturbationibus egregiè se exercitârit. Quod si cuiquam non admodũ arridet hoc mortificandarum passionum studium, non est tamen infructuosum hãc doctrinam habere perspectam, vt cum Deus menti desiderium tale iniecerit, facilius & prõptius amplectatur. Nec verò modus mortificandæ, verbi causa, iræ, quod aliquis suspicari posset, impedit superiores, quo minus sibi subiectos: cùm opus est, corrigere vel castigare possint, sed iuuat, vt moderatè, ac debito fine, atque etiam merito corrigentis & correcti fiat. Nec item mortificatio indignationis contra proximum, ve tat, ne indignemur contra crimina & noxas peccantium, sed temperat cor nostrum vt sic indignemur in defectus, vt tamen non dimoueamur ab amore personæ peccãtis. *Vera enim hom. 34 in*
iustitia, inquit Beatus GREGORIVS, *Euang.*

compassionem habet, non indignationem.

CAPVT XIV.

De mortificatione sensuum exteriorum.

POST mortificationem propriæ voluntatis, quæ inest parti animæ spirituali, & passionum inhærentium parti sensitiuę interiori, congruens est, vt deinceps tractemus de mortificatione sensuum exteriorum, quæ non perutilis solùm, sed etiam necessaria est homini veræ virtutis studioso. Propria siquidem voluntas, passionesque per ipsos sensus externos videndi, audiendi, odorandi, gustandi & tangendi prauas suas inclinationes & motus exercent: vnde fit, vt mortificatis sensibus, mortificetur quoque propria voluntas, quæ illos regit: passiones item interiores quæ sensuum actione producuntur, & complentur. Deinde sensus sunt quasi ianuæ & fenestræ, per quas in animam aditum habent cogitationes & imaginationes vanæ & peruersæ, quæ accendunt & excitant

tant in ea motus inordinatos ac vitiosos. Itaque sicut ad tuendã & propugnandam domum vel arcem, ne eam inuadãt fures & prædones, necesse est portas omnes, fenestrasque diligenter obseruare, sic ad tuendum animæ nostræ domicilium, quæ est sedes Dei, diuinorumque thesaurorum, hoc est, gratiæ & virtutum propugnaculum, opus est sensuum externorum portas fenestrasque sedulò tenere clausas, ne ab infestis nostris hostibus dæmonibus inuadatur & spolietur dictis thesauris spiritualibus. Adhæc æquũ rationiq; consentaneum est, vt facultatibus alienis secundum Domini voluntatem vtamur: si enim secus fiat, iniustitiæ, & quasi furti nota incurretur. cùm ergò sensus nostri sint bona Dei, è cuius manu habemus & esse, & viuere, & omnes ad operandum vires, imò bona omnia, meritò eis vti debemus, non secundum nostram cupiditatem, sed secundum voluntatem & beneplacitum eiusdem Domini. Itaq; generatim loquendo in eo consistit vera sensuum mortificatio, vt quoties aliquid oculis spectandum, auribus au-

diendum, naribus odorandum, lingua gustandum vel loquendum, manibus denique tractandum est (quod idem de alijs membris corporis sentiendum) homo secum perpendat, quo fine & scopo ad videndum, aliasve actiones moueatur; si enim deprehendat se solo voluptatis, non autem necessitatis vel vtilitatis spiritualis sensu adductum, mox abstineat ab ijs prosequendis; si secus, oret Deum vt cum sua benedictione ad ipsius gloriam, suæque animæ aliorumue salutem liberè illis vtatur.

HANC sensuum mortificationem sæpe à nobis spiritus sanctus in diuinis litteris exigit. In prouerbijs enim dicit, *Prouerb. 23.* *Præbe fili cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant.* Loquitur autem de oculis mentis primum, deinde corporis, quatenus menti obsequuntur, vtrique enim secundum vias, hoc est, secundum Domini voluntatem dirigi debent. Et in libro Numerorum, Deus mandauit in fimbrijs vestium poni vittas hyacinthinas. & causam eius addit, *vt recordentur omnium mandatorum Domini, ac* *Num. 15.*

sequa-

quantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes Ac in Ecclesiastico commendat custodiam aurium & linguæ, dicens. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* His similibusque sententijs inculcat Deus nobis in lege sua mortificationem sensuum. Vt verò practicè melius eam exerceamus, de cuiusque sensus inordinatione, mortificationeq; porrò disseremus. *Eccl. 28.*

CAPVT XV.

De mortificando visu, maximè in spectandis ludis, tripudijs, & alijs rebus ad malum prouocantibus.

NATVRA nostra per peccatū vitiata in omnibus rebus suā aucupatur voluptatem per ministerium sensuum, maximè autem oculorū, tū quia prōptius illis obiecta spectabilia se offerunt, tū quia minore labore atq; infamia vsurpātur. Si in spectāclis rebꝰ nō aliud quęritur quā oculorū pastus, noxa nō caret animus. Ob *Lib. de virginit.* lectationis, inquit B. Basilius, appeti-

titus è carne velut ex fonte manat, &
per omnes sensus, tanquam per quo-
que flumina diffunditur, oculis veri
velut manibus incorporeis omnia
quæ vult attingit, etiam ea quæ corpo-
reis manibus non tractantur; nã cõ-
spectis eorum figuris & formis, con-
di mox eorum speciem infigit, & cor-
pus ad voluptatem inflammat, atque
ita omnes sensus actiones suas dirigit
ad eandem voluptatem, tanquam ad
suam reginam, contaminantes ani-
mam, & carnalibus desiderijs obnoxi-
am facientes. Vnde cõcludit sanctus
ille doctor, seruum Dei, qui veræ vir-
tuti operam dare contendit, debere in
uigilare sedulò custodiendis sensuum
fenestris, ne liberè nimium vagetur
animamque in vitiorum voraginem
precipitem agant. Ac sigillatim, ocu-
los non debere conuerti quòcunque
collibuerit, sed eò tantum quò neces-
sitas aut vtilitas spiritualis impellet.
sic enim animus semper inquit, pron-
ptus erit ad contemplandam rerum
spiritualium pulchritudinem. Qua o-
ratione S. Basilius non obscurè insinu-
at, quæ sit inordinatio in aspectu

quod-

quodque eius remedium. Sed iam magis particularia subijciamus.

Ex hoc inordinato appetitu captandi voluptatem ex vago oculorum in quasuis res cõiectu, nascitur cura desiderium que cernendi spectacula iucunda, vt ludos, saltus, laruas, comœdias, taurorum certamina, & alia id genus vana & noxia exercitia. Hoc desiderium etiam atque etiam coercendum est, nam vt in huiusmodi spectaculis, nihil nisi sensuum oblectamentum quæritur, & procliuis eorum occasionem vitia lapsus est, magnũ animæ conciliant damnum, deducendo eam à rerum diuinarum consideratione, & multis inanibus cogitationibus superbiæ, iræ, gulæ, odij, inuidiæ, libidinis, detractionum, eam complendo; à multis quoque operibus bonis abstrahendo, & tempus pretiosum perperàm consumendo. Ac esto, nullum aliud incommodum inde sequatur, quàm quod sua præsentia approbare videantur huiusmodi nugas, id magnum satis incõmodum videri debet. Vnde ait S. Cyprianvs. Etsi spectacula, non sint similia gentilitijs, quæ in honor-

Lib. de spectac.

honorem falsorum Deorum institu-
bātur, tamen à Christianis esse vitiā
Cum enim natura hominis corrup
per se ad malum prona sit, quid fac
si oculis obijciantur quæ ad malu
prouocēt? qui per se ad lapsum pro
uis est, quantò potius labetur int
Psal. 119. tantas occasiones? Et S. Augustin
inter peccata, & occasiones eorum n
merat spectaculorum frequentatio
Nec Sācti solū, verū etiam gentili
sapientum nonnulli agnouerunt, qui
ta bonorum morū iactura sit in alp
Raph. Vola terr. l. 29. ctu rerum vanarum & futilium. Ro
mæ, cum Cornelius Natica theatrum
ad exercendos ludos excitasset, Sena
tores improbârunt, & euerti mandā
runt, existimantes res vanissimas no
dignas esse perpetuo ædificio. Id fa
ctum est, cum morum apud Roma
nos inuiolata constaret integritas: u
postquā violari ea cæpit, multa ampl
Volat. ibid. theatra exstructa sunt. De Catone cer
tè apud Ethnicos quondam prude
tissimo legimus cùm detestatum fu
isse theatra, nec vnquā voluisse ludi
interesse, arbitrabatur enim homi
prudenti indignum esse, præsentia

sua ludicra spectacula approbare. Cicero quoque testatur in persona Scipionis Romanos iudicij laude claros pro re vili & abiecta habuisse Comœdiarũ actiones, ipsosque actores decreto Censorio declaratos infames.

QVANTO magis Christiani homines, quos Christus monuit, de omni verbo otioso aliquandò in die iudicij reddendam rationem, ac omnes peccandi occasiones, etiamsi oculis, manibusque & pedibus nobis essent cariores, summa vigilantia abscindendas, cauere debent huiusmodi spectacula, in quibus & multi temporis fit iactura, & plurima oculis vsurpantur vana & lasciua, bonisq; moribus aduersa, vt quotidiana docet experiẽtia. Nã vt quidã Poëta loquitur. *Segnius irritant animum demissa per aures, Quã quæ sunt oculis subiecta fidelibus.* Et cũ D. Paulus dicat, corrũpere bonos mores colloquia praua, quæ auditu percipiuntur; quantò magis inquinabũt animam fœda spectacula quæ in oculos incurrunt?

Matth. 12.

Matt. 5.

Horat. de arte poët.

1. Cor. 15.

Accidit alĩ horũ tẽporũ abus⁹, quod fœminæ quoq; ad Comœdias ad hi-

Eccl.9. hibeantur, Scriptura sacra non sen-
Prou.5. monet mulieris speciosæ conspectu
occidere corda multorum, sermo
eius placidos esse instar ignis ad fæ-
tatem omnem inflammantis, nou-
sima autem illius esse amara quasi ab-
synthium, & acuta quasi gladium bi-
cipitem, hoc est, qui animam puni
morte culpæ & pœnæ æternæ. Vnde
Aug. de singul. cleris. scribit S. Augustinus, Basiliscí affla
tolerabiliorem esse cantu fœmine
eò quod Basiliscus suo aspectu corpo
cātus verò lasciuæ fœminæ animā
rimat. Nā si accedat gestus & motus
poris nil aliud spirans quā lenitatem
& turpitudinem, quid fiet in imbecil-
libus mentibus auditorum? id nim-
Iud.16. rum, quod euenit Holoferni cons
cienti oculos in Iudith, vt à pulchri
dine, sicut loquitur Scriptura, *captiua*
1.Cor.12. *facta sit eius anima*, morteque tempo
rali & æterna percussus. Non permit
tit Apostolus Paulus mulieri quā
tumuis sapientia magna præditæ sub
ctionem publicè alios docendi: cuius
rationem reddit B. Anselmus, quia
sermo eius prouocet auditorem ad
morem parum honestum. Quod si
rum

rum est, quid efficiet mulier compte vestita, & in publico theatro verbis factisq; gerens personam leuem & indecoram? non dubium, quin dęmon per eam, tanquam per aptissimum suorũ maleficiorum instrumentum plurimum mali perfecturus sit, vt quotidianis constat exemplis.

CAETERVM hic animaduertendũ est, etiamsi laudabile sit quędam religiosa dramata, à quibus omnes leues narrationes actorę ue absunt, spectãda proponere, tamen si ab eiusmodi actoribus exhibeantur, qui alioquin vana & lasciua miscere consueuerunt, non conuenire illa à Dei seruis frequẽtari. Hoc enim satanę artificium est, comędijs pia quędam & sancta inserere, vt hoc prętextu etiam pij & religiosi homines ad eas audiendas allician-tur. Neque idonea excusatio est eorũ, qui promiscuè omnibus interesse volunt spectaculis, quòd Principes & Magistratus illa permittant: multa enim mala licitè ab illis permitti queunt, vt caueantur deteriora, vel certè permittuntur, quia non satis exploratum habent, quanta mala inde cõsequantur.

quę;

quæ si perinde scirent, ac cognoscunt multi qui in conscientiæ foro quotidie versantur, proculdubio non facilè permissuri essent.

C. *Rhodigin. l. 5. c. 3. Alex. ab Alex. l. 2. c. 25.*

SED & choreas ac saltationes multi è gentilium sapientioribus tanquam rem vanam & inutilem condemnarũt. vt PLATO, qui à Rege Sculo, qui fortè inuiserat, ad choreas cum aliis ducendas inuitatus, respondit, mulierum id esse, non virorum. Et Imperatores Tiberius ac Domitianus, licet veræ fidei expertes, illas lege vetuerũt, asserentes, hominibus honestis esse indignas. Idem ratio naturalis dictat ac multò magis Christi religio, quippe quæ tantam exigit ab homine honestatem, modestiam, honestatem, vanitatumque & leuitatum despicientiam, vt et terno habitu & gestu corporis ad gloreficandum Patrem cælestem prouocare teneatur. Vnde Psalmista. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in- vanitates & insanias falsas.*

Psal. 39.

ALIA inordinatio visus nostri est facilè oculos conijcere in res spectatu iucundissimas, nõ quòd necessitas vel vti-

uilitas aliqua id postulet. sed quia sola voluptas inuitet, quod vitiũ notauit alicubi B. BASILIVS. Quod tũc maximè mortificandum est, quando ex earum rerũ aspectu oriuntur prauę cogitationes, vt fit ex aspectu venustarũ mulierũ, aut nudarũ iconũ. Vnde magna exaggeratione idē auctor monet, nõ esse cohibendos modò oculos à fęminarum, sed etiam speciosorũ adolescẽtũ intuitu: rationemq; huius monitis subijcit hanc. nempe quod experientia quotidiana cõstet multa hactenus mala in mũdo exvago & libero in quosuis oculorũ coniectu esse secuta; atq; callidũ humani generis hostẽ hoc medio quãplurimos in fraudẽ induxisse, ac in tartareas flammas præcipitasse; nec eos solũ, qui vltrò flagitijs, & mũdi huius illecebris immersi erãt, sed etiã optimos, qui lõge à vitiorũ castris recesserãt. Vnde cõcludit seruo dei nõ debere intercedere cõsuetudinẽ cũ talibus personis agendi, & si quãdo iustis de causis subterfugere nequeat, oculos nõ in illos, sed in terrã defigẽdos. Quæ doctrina sic prorsus rationi cõsẽtanea est, vt etiã Ethnici iudicârint idẽ faci-

lib. de vera virgin.

Serm. de abdicat.

Lib. 4. c. 3. faciēdū homini pudico & casto Valerius siquidē Maximus, *Pericles, inquit Athenienſium princeps, cum tragicarum Scriptorem in Prætura collegam haberet: ac is publico officio vnà discessit, eius pueri ingenui prætereuntis formam impensioribus verbis laudasset, intemperantiam eius increpitans dixit. Puerum non solùm manus à pecunia alienas, sed etiam oculos à libidinoso aspectu continentes esse debere.* Hanc doctrinam ab Ethnicis agnitam, sed non seruatam sancti Dei in Ecclesia Christi gratia diuina adiuti, & agnouerunt & seruauerunt.

Guido Carthus. in eius vita.

B. HVGO Episcopus Gratianopolitanus, licet esset castissimus, & ab omnibus tentationibus carnis ita immunis, vt sensu omni videretur destitutus, tamē quoties iā existēs episcopus vel in Cōfessione, vel extra illā necessitatem habuit alloqui fœminas, nunquam per totos quinquaginta annos oculos in earum vultum coniecit: asserens id necessariò faciendum, si mentem velimus ab impuris cogitationibus liberam conseruari.

Surius in Martio.

S. THOMAS quoque Aquinas quā-

sumuis dono castitatis diuinitus ornatus, nec tentationibus vllis obnoxius, & cui angeli spoponderant nunquam eum castitatis iacturam facturum, tamen summum studium adhibuit, ne in mulieres, aliasue res noxias oculos conijceret: nec secus quàm serpentes & scorpiones eas declinabat.

S. FRANCISCVS, qui continenti mortificatione carnem prorsus edomuerat, tam sedulus fuit in cauendis collo quijs non necessarijs cum muliebri sexu, & refrenando earum aspectu, vt ne vnius quidem ex vultu notitiã haberet ipseque omnes commonefacere solitus erat, nisi cura & vigilantia illa ab omnibus vsurpetur, fieri nõ posse, quin detrimentum aliquod ab earum conuersatione capiatur, sicut ignem nemo ingredi possit, quin comburatur. Atque hoc studium omnium Sanctorum commune fuit, à noxijs rebus oculos auertere; probè enim nôrat, quàm ingens damnum incurrerent, quotquot iacturam facerent thesauri gratiæ & castitatis, dein quantæ fraudes, doli & stratagemata in hoc coacta à dæmone fingerentur, quan-

taque hominis in tentationibus
nis superandis imbecillitas & fra
tas. cõtrà verò, quàm insigne pri
à castitate nobis esset ad omnes
virtutes conseruandas & retine

CAPVT XVI.

De Mortificando affectu videndi rerum curiosarum, ac imaginum inutilium, aliarumq; rerum similium.

VERÆ virtutis studiosõ
est mortificare videndi
tem in contuendis rebus
periculo amittendæ gratiæ diuin
iunctis, vt sunt, de quibus hactenus
gimus, sed etiam in alijs, in quibus
ignorantiam vel negligentiam
leuior lapsus est, vt hoc amplius
tutibus proficiamus, & meritum
augeamus in cælis. Nam limites
datæ visionis transgredimur, si
ctationis solius causa spectare vo
magnifica & præclara ædificia,
vasa aurea & argentea, hortos, a
tia, imò si videre optemus

res curiosas, quæ pœnam potius afferant, quàm voluptatem, vt duos inter se grauiter corrixãtes, & mutuis se cõcidentes vulneribus, vt maleficos diris exructiari tormentis, idque nullo alio fine, quàm vt sciamus quid agatur noui. Vnde B. AVGVSTINVS reprehendit artifices, qui ad illecebras oculorum innumerabilia variis artibus addunt in vestibus, calceamentis, vasis, picturis etiam, diuersisque figmentis, vsum necessarium atque moderatum & piam significationem longè transgredientibus. Ego autem, inquit *resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tu è euellas de laqueo pedes meos.* Et infra figillatim accusat se quòd curiositate victus, licet non in circo, tamen in agro cum voluptate viderit canem insequentem leporem, vel araneam retibus suis inuentes muscas implicantem; & tandem exclamat. *Quã multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas quotidiè nostra tentatur, & quàm sæpe labamur, quis enumerat?* Hæc

Lib. 10. confes. cap. 34.

cap. 35.

Augustini doctrina vera est, ea
ties nulla necessitate vtilitateúe corp
ris vel animi proposita, voluptatu
capimus ex rerum dictarum consid
ratione. Quòd si autem homo ille co
lectamento se pasceret, aut ad leuan
dũ animi mœrorem, aut ad mitiga
dos labores toleratos, aut ad capiend
dum aliquod documentum anim
fructuosum, tum illa aspectio om
culpæ expers foret. Vnde idem Aug
stinus fatetur, si quando eum propo
sio naturalis, aut curiositas ad talia
ctanda perpulisset, atq; id aduertiss
alterutrum è duobus fecisse: aut
conspecta aliquam vtilitatem spiri
lem decerpsisse, aut à visione cessa
se, Itaque quoties videmus nos ad
intuendas ferri sola cernendi volup
te. eam præcisam Domino Deo offe
mus: sin feramur, aut necessitate a
proposito iustę recreationis scopo, c
attollamus ad Deum, rogemusq; v
actionem nostram ad suam glori
dirigat, efficiatque vt è re spectata fr
ctũ spiritalem impensius Deum am
di colligamus. Hoc totum paucis re
bis docuit S. BASILIVS cum ait, Ca

Serm. de ab dicat.

DE

ne sis curiosus, sed oculorum aspectū
æquè ac auditum ac sermonem exæ-
qua, cum profectu inde consecuturo.

Hinc sequitur, quantoperè conue-
niat tolli abusum hoc seculo renoua-
ti exprimēdi ad viuū effigies hominū
qui neq; sānctitate, neq; dignitate illu-
stres extitêre. Pontificum & Re-
gum possunt, vtrorumq; enim recor-
datio, & reuerentia ad ædificationem
animorum proficua est, cæterorum,
siue sint parentum, siue cognatorum,
siue absentium, siue præsentiū, haud
scio, quæ coram Deo spiritualis possit
esse vtilitas, in quorum vita, neque sin
gularis sanctitas aliqua, quam imitari
possimus, eluxit, neque aliæ heroicæ
virtutes quæ publicè laudari queant.
Verùm quia non omnes tanto lumi-
ne de cælo donati sunt, vt in hoc gene
re vanitatem aliquam agnoscant, ope-
æpretium erit declarare, quanta dam
na pietatis veræ studiosis ex hoc abu-
su nasci queant. Scriptura sacra idolo-
latriæ initia inde sumpta commemo-
rat. *Acerbo*, inquiens, *luctu pater do-* Sap. 14
lens citò sibi rapti filij fecit imaginem,
& illum, qui tunc quasi homo mortuus

fueras nunc tanquam Deum colerit
pit, & co stituit inter seruos suos sacr
& sacrificiu. Deinde interueniente tra
pore conualescente iniqua consuetud
ne, hic error tanquam lex custodia
est, & tyrannorum imperio celebrat
figmenta. Multitudo autem hominu
abducta per speciem operis eum, qu
te tempus tanquam homo honorat
fuerat tunc Deũ æstimauerunt. Qu
ergò Ethnicis fuit initium & rad
dololatrię, id dæmon nunc perfi
fidelibus, hoc est, vt sui & aliorum
sentium morte defunctorum imag
næs faciant: cuius abusus extirpa
meritò sufficiens causa esse debe
quòd inde tantorum malorum fili
sit initium. Quamuis verò nunc d
mon, vt olim, non possit fideles p
traherè ad colendas tales imagines
men ad alia incommoda perducere
tuti Christianæ contraria.

ETENIM quorum effigies fingun
illi valdè honorificum id sibi arbi
tur. neque enim ignorant apud
manos tum maximum honorem
licui dela um, si statuam publicè
vel alio loco ob res præclarè ge

meruisset. Qui verò vident effigiē suā in aula vel alio loco publico dom' cō stitutā, vbi ab omnibus spectari possit, quid aliud pro fragilitate sua facere possunt, quàm animo efferri, quòd in tanta sint veneratione? sepè vno verbo laudati extollimur, nōnūquā, pretiosa veste insolescimus, quidni & expressione illa honorifica proprij vultus? Dā cū ferè elegātiori specie exprimātur, vinacioriq; colore, habitu, & gestu, quā reuera ipsi sint, quid aliud inde luciātur, quā vt magis sibi placeāt, & amore sui inardescāt? Adhęc cū totius vitæ Christianę fundamētū cōsista in cōtemptu rerū temporalium, & crucę quam Christus nobis portāda imposuit, dubiū non est, cū magno animæ damno honorē & laudē quæri in fingēdis iconibus nostris vel alienis, maximè si eorum sint, quos carnaliter dilexerimus, quid enim aspectus talium iuuat nisi ad renouandā vel augendā flammam inordinatæ affectionis? Præterea non exigua videtur hoc abusu iniuria fieri sanctis, quorum imagines hactenus in ædibus visitatę sunt, tū vt in memoriā sanctissimam illo

rum vitam reuocaremus, tum vt eo
debito cultu veneraremur, & auxili
eorundem imploraremus: nunc au
tem cum hominum non Sanctorum
imagines exprimamus, & publicè ſpe
ctandas proponamus, quid aliud fa
cimus, quam quòd exæquamus eo
Sanctis? Etſi enim eas nõ colamus
ſanctorum, tamen eas æque auro, ar
gento, & coloribus expolimus, ac San
ctorum, æquè honorato & publico
co figimus, ac ſanctorum: ſic proc
vt multi domum ingreſſi ægrè dini
care poſſint, ſitné imago ſancti alic
ius, vel alterius, quam forte videri
& ſi putent eſſe ſancti, religioſum ho
norem illi per errorem deferant, illu
quoque non parũ animæ nocet, quo
æmpus conſumendum in contem
platione imaginis Sancti, vitæque
iuidem cecolendæ nullo fructu im
pendimus in conſideranda forma &
lineamentis hominis vulgaris & pro
phani. Hæc ſeruis Dei ſatis eſſe de
beat, vt huiuſmodi ritones à conſp
ctu ſuo, aliorumque remoueant.

Ex dictis conſequens eſt, ſeruum
Dei, cum in publicum procedit, non

debere in quosuis homines oculos conijcere, sed tantùm in viam, quam iniuit, dirigere: nam sine causa huc illucque respectare curiositas est & vanitas. Nec seruo Dei nimium videri debet, tali fræno coerceri, cùm potius animi oculos exsaturare debeat in contemplanda pulcritudine, infinitáque Dei gloria; corporis verò, aspectu dulcissimo glorioßissimi corporis Domini nostri, benedictæque eius matris, omniumque corporum pulcherrimorum aliquandò resuscitandorũ, & æterna immortalitatis corona donandorum. Quæ contemplatio iucundissima cum in omnem æternitatem duratura sit, meritò hic ad breue tempus oculos nostros ijs tantùm rebus spectandis occupare debemus, quæ ratio suggesserit; eoque prõptius, quòd vt S. CYPRIANVS annotauit, præter ea quæ spectatoribus noxia sunt & inutilia, multa esse vtilia, quæ etiam in hac vita cum magna animi voluptate spectari possint. Possumus enim sine noxa oculos conijcere in pulcherrimã totius mundi fabricam, in claritatem, ortum, cursumque Solis, in globum

Lib. de spectaculis.

Lunæ, variamq; eius ſpeciem & mo-
tum, in dierum noctiumque viciſſi-
dines, in incrementa decrementaq;
temporũ, in ſplendentium aſtrorum
chorũ, montibus collibusque, arbo-
bus, floribus, & animantibus orna-
in fontes & flumina, in maria toto o-
be ſparſa cum ſuis fluctibus, accel-
& receſſu, aërẽ cũ nubibus & ventis
denique volucrũ õnis generis & pul-
infinitum exercitum. His Deus op-
bus, in quibus diuina eius proui-
tia, potentia, ſapientia, bonitasq; m-
biliter elucet, ventemplaudis hom-
vt ſe ad maiorem Dei notitiam &
morẽ inflammet, vacare poteſt. Qu
ſi verò etiam oculis mentis, quod
oratione mentali, luſtrare velit De
pera, tum veras delitias & volupta
offender. Hæc omnia ille.

CAPVT XVII.

*Quemadmodum mortificandus ſit
ſus, quoad viſiones & apparitio
nes, ne facilè fides
eis præſte
tur.*

SECTI

SICVT mortificamus intellectum, qui animi oculus est, nō fidēdo illius multis, quę tamen veritati cōgruentia videntur, vt diximus de mortificatione proprij iudicij; sic mortificare debemus oculos corporis, ne semperillis fidamus. Nam, vt visus nō fallatur circa suum obiectum, & ratio dijudicet eum nō falli, nōnullæ requiruntur conditiones, cuiusmodi sunt, sanitas & bona dispositio organi, quies oculorum, medium clarum, vniforme, & non impeditum, distātia ab obiecto visui proportionata, ac deniq; tēpus exercendæ visioni accommodatum. Nam si aliqua harum conditionum desit, facilè errabit oculus, & cum eo, si consentiat, ratio. vt si organum visus humore aliquo infectum sit, omnia apparent humori similia, vt viridi viridia, rubeo rubea, nigro, omnia muscis plena; sicut si per vitrū varij coloris spectes, omnia vario colore tincta apparent, si bacillum per aquam, ob motum aquæ, apparet curuus vel fractus. sic si magnum intercedat interuallū res maximæ videtur paruę, & quę celerrimè mouentur, vi-

dētur fixæ & immobiles, vt liquet
cælestibus astris, quorum cum quæ
longissimè superent magnitudinem
terræ, & velocissimè agitentur, tamen
speciem præbent tantùm luminis
delę in cælo fixæ, nec motæ. Atq; hu
error visus, omnibus exploratus est
notus. Sunt autem & alij sapientibus
tantùm & exercitatis perspecti, quo
opus est detegere, vt visionum spiritu
lium errata facilius nobis innotes
cant.

ETENIM sunt homines nonnulli
qui aut morbi, aut complexionis na
turalis vitio valdè sunt melancholici,
& ob humores crassos ac pestilentes
in cerebrum subuectos tam vehemen
ter patiuntur imaginationes, vt quod
ipsus cogitant, fortis etiam externis o
culis sibi videre videantur, siue sint
res ad quas impensè afficiuntur, vt
sunt parentes, amici, sancti quoquo,
vel angeli vel homines quos in pre
bus inuocare solent, siue sint res quas
horrent vel detestantur, vt sunt hostes
infesti, dæmones, spectra. Sic vide
mus auaros pecuniį q; addictos ad
minimū nocturnum strepitum vere

rim ne fures domum inuaserint, impios & malè conscios ad cuiusuis hominis occursum, metuere ne à iustitiæ ministris rapiantur ad carceres. Hæc non solùm Philosophi, & artis medicæ gnari affirmant, sed experientia ipsa quoque & ratio confirmat. Videmus enim dormientes somniare quæ imaginantur; ac arbitrari se oculis cernere quæ somniant, tamen, cum iudicium sopore ligatum sit, apertè hallucinantur. Quod ergo facit somnus in omnibus, hoc vehemens imaginatio facit in quibusdam non dormientibus, vt nempe iudicium humorum densitate sic constringatur & obruatur, vt, sicut in somno, attendere non queat ad obiecta externa, & tamen cernere videantur, aut equâ videant, idq; accidit proclivius, in fœminis, & alijs ætate parũ prouectis, qui acriori imaginatione facilius in fraudem induci solent, quàm in viris prudentibus, in quibus rarò humores isti noxij dominantur.

Claud. Caleſtinus de his, quæ mirè eueniunt.

QVOTQVOT ergò deprehendun tur prauis istis humoribus obnoxij, vel debilioris cerebri, monẽdi sunt ne ratiõ ne facilè fidem præstent visis an-

gelorum, dæmonum, spirituum, d
sanctorum, sed cogitent perinde
obicere oculis, ac phreneticis, & ard
ti febre laborantibus se offerunt m
randa, quæ vbi reualuerint, aduert
nihil omninò fuisse. Si verò adhuc
bitent de visorum veritate, consol
Patres suos spirituales, vel alios in
materia exercitatos, eorumque
cio acquiescant. nam vt aliquando
ra sint, tamen approbanda non
& acceptanda, nisi antegresso exam
& sententia illorum.

CAPVT XVIII.

De mortificando sensu Auditus.

SENSVS Auditus amore propri
sus multas secum trahit inord
tiones, ac vt omittamus eas qu
grauia & manifesta crimina adiun
habēt vt cū audire volumus occu
& infames proximorum lapsus, &
tè aures præbemus cantibus las
& fœdis, scurrilibusq; colloquiis
pœnitētiæ & confessionis cu tello
scindēdę sunt; veniamus ad illas

vti graues non sunt, ita parui fiunt, ac mortificatione opus habent, ne progressū in virtute impendiant. Cuius generis sunt libenter audire, dicta factaq; sua ab alijs prædicari, gaudere item aliorū defectus propalentur, idq; nō alia de causa, quàm quia inde aliquā percipimus voluptatem. Quid verò noxæ & damni in ea re sit, alibi diximus, cum ageremus de humilitate.

INORDINATIO auditus est recreari narratione rerū vanarū & curiosarum, quæ nullum afferunt fructū; deinde ridicularū & superuacanearū, idq; nō alio fine, quàm quia aures oblectant. Inordinatio quoq; est colloquijs aliorū clanculum nulla ex causa se ingerere. Vnde BASILIVS. Noli aures, inquit, porrigere quorumlibet hominum colloquijs & nugis secularibus, sed fuge, quoad potes, ne animā tuā cōtamines. Sed ne carcanis aliorū sermonibus te temerè ingeras, audias autē libēter vtilia, quę te ad diuinorū mādatorū obseruationē promouere queāt. Et quāquā seruo Dei rerū diuinarū studio ad dicto, facilè sit cæleſtib⁹ his parēre documētis, tamē alijs nō ita prouectis p̄dif-

Serm. de abdicat. rerum.

difficile est. Nã præterquã quòd nr
ræ corruptę vitio in malũ procliu
simus, aduersarius noster Satanas n
ignorãs rerum bonarũ auditionẽ el
laudabilẽ & multorum bonorum
tem, omnem lapidem mouet, vt
loquia pia & sancta fastidium, v
verò & futilia voluptatem conci

Lib. 5. c. 31. HANC hominis miseriam mag
sensu confessus est sanctus qui
Abbas apud CASSIANVM dicens, *ea
rum fabularum diabolum esse fau
rem, ac spiritaliũ collationum impe
natorem.* idq́ue confirmat exem
quod sibi acciderat. *Nam cùm fra
bus quibusdam de rebus necessa
spiritalibus disputaret, eosq; videret
thæo quodam sopore demergi, nec
ab oculis suis pondus somni depel
otiosam repente fabulam introdu
Ad cuius oblectationem cum eo
læsse confestim, atq; erectas suas
habere vidisset, ingemiscens ait. Nu
vsq; de rebus cælestibus loquebamur
omnium vestrum oculi lethali dorm
tione deprimebantur at cum otiosa
bula intromissa est, omnes exper
facti torporem somni dominantis

cussimus Vel ex hoc ergò perpendite, quisnam collationis illius spiritalis fuerit impugnator. Hæc ille. Vt verò intelligatur è contrario, quam Deo gratũ sit præbere aures spiritalibus colloquijs, idem sanctus à Deo gratiã postulauit, ne vnquam vanis & inutilibus collationib⁹ interesset, ac impetrauit. nam quòcunque deinceps eum venire contigit, semper habiti sunt sermones de rebus pijs cum diuina voluntate congruentibus, si autem aliquandò de vanis haberentur, mox obrepebat ei somnus, vt audire non posset. Quocirca meritò hic diligentissimi esse debemus in repellendis diaboli conatibus, vana & infructuosa colloquia declinare, & à Deo toto pectore donum expostere tantùm loquendi de rebus necessarijs, & quæ proximum ædificent, & audiendi ea, quæ nobis commodo & adiumento esse possint. Neque ideò culpandi sunt, qui iusta aliqua de causa vaniora quædam audire coguntur, vel ab hominibus grauibus & magnæ dignitatis quos non queunt cohibere, vel ab alijs, quorum opera indigent ad res necessarias vtiles siue

lesúe procurãdas; nam si finis bonus propositus nobis sit in huiusmodi, ea quoq; omnis abesse potest,

LIA auditus inordinatio est, oblectari cantilenis vanis & leuibus, muli- caq; harmonia ob solã voluptatem au- rium, quæ res non modò otiosa, sed e- tiã noxia est, nisi suum locum haben mortificatio. Nam, teste S. Basil. vocis suauitas gignit in mente cogita tiones cupiditatesq; lasciuas: quod ve rissimum est, quãdo cantiones sunt h ues & seculares, actales, quæ & à fem nis haberi soleant. Quando autẽ sun piæ, & ad deuotionem prouocandã idoneæ, animosque sanctos compunc nis, & in Deum amoris motus, tun cum magna laude audiuntur. Quan uis maioris meriti sit, quando anim noster ad se excitandum tali adiumen to non eget, suauitate cantus propri Deum se priuare. Quod si in melodia musica, motetisque, vt vocant, licet sanctis & religiosis potius oblectatio quàm spiritualis profectus, qui ex p gumento decantato decerpi possit quæratur, aut ad audienda illa mo tionis iudicio, sed sola inclinatio

Lib. de ve- ra virgin.

naturali trahamur, tũ inordinatio est in auditu, quæ mortificãda est, aut aures obturando cõcentui, aut intentionem mutando, vt non iam solus suauitatis & voluptatis sensus, sed vtilitas aliqua præ oculis habeatur. Ita docuit S. AVGVSTINVS in Confessionum libris, vbi declarans quantam vtilitatem afferat in ecclesia institutum cantandi, & quod ad lacrymas sæpè commotus sit, confitetur se aliquandò suauitate concentus potius, quàm rebus cantatis, captum fuisse. *Cum, inquit, mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res quæ canitur moueat, penaliter me peccasse confiteor, & tunc mallem non audire cãtantem.* Ecce vbi sum: *Flete mecũ, & pro me flete qui aliquid boni vobiscum intus agitis, vnde facta procedunt. Tu autem Domine Deus meus exaudi, respice & vide, & miserere & re, sana me.* *Lib. 10. c. 32.*

CAPVT. XIX.

De mortificatione Odoratus.

IN

IN Odorat' sēsu nōnulla quoqui
ordinatio mortificanda occurrit.
Ac primò quidem si odor suauis
in diuinis officijs & veneratione San
ctorum excitetur, propterea quod sig
nificet sanctorum orationes & deo
tiones, quæ Deo sunt odor suauis
mus, deinde vitam sanctam, & exem
pla bona, vnde iusti & pij dicuntur bo
nus odor Christi, non opus est mor
ficare sensum odoratus, sed mentem
ettollere ad boni odoris significatum,
ardereque desiderio eas preces insti
endi, quæ odorem suauissimum fa
ministrent Deo, eamque viuendi ra
tionem tenere, vt bonus odor Chris
esse possimus coram hominibus. Ra
sum quando boni odores vsurpantur
in rebus necessarijs, nulla opus habe
seruus Dei mortificatione; modo ea
vtatur propter necessitatem. Atqui v
surpantur in vestibus, manibus, cubi
culis ad delitias & mera oblectamen
ta sensuum, illi mortificandi sunt,
remouendi, eò quod debito fine vsu
tis sint destituti. Accedit, quod qui
iusmodi odores procurant, aut secum
deferunt, vt ab astantibus eorum po
cipiatur

cipiantur fragrantia, declarant se animo valdè sensuales. experientiaq; docet homines lasciuos esse odoribus amœnis addictissimos. Atq; esto, sit aliquis opinione aliorum tanta virtute præditus, vt illi suspicioni locus non sit, tamen speciem notamque mali nõ effugit, nec paruum indiciũ dat, quòd longè absit ab imitatione crucis, & abnegatione Christi, quæ consistit in repudiandis omnibus commodis & illecebris corporis, amplectendisq; contrarijs quę pænã aliquã carni infligãt.

HANC inordinationem odoratus confitetur quoque Augustinus, *Deillecebra*, inquiens, *odorum non satagonimis. cum absunt, non requiro cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere.* Quantum autem displiceat Deo studium odorum suauium, quærendorum, aliarumque illecebrarum sensualium, narrat PETRVS Damianus Cardinalis horribile quoddã castigationis diuinæ exemplum. Vemetorum Ducis coniunx mirè dedita erat fouendo corpori omnis generis delicijs, ac singillatim cubiculum suum varijs, ijsque suauissimis cõplêrat odo-

Lib. 10. confes. c. 32.

Lib. de contemptu sæculi c. 9.

odoribus. Supremus verò iudex Deus
vt omnibus declararet, quantum
excessus diuinæ suæ maiestati
ceret, horribili morbo, qui omnes
depasceretur & putrefaceret
eam percussit. Vnde factum, vt
dos ac intolerabiles expiraret
vt eius conspectum amici, fam
ancillæque omnes defugerent: vt
ancillulæ tantum animæ fuit, vt
ret in conspectum eius prodire,
tamen, vt curriculo ad eam
ret, & apud eam deponeret, quod
adferendum, ac mox iterum
niam grauolentiam excederet.
illa cui prius tot supperebant
ab omnibus turpiter
bus teterrimus animam exhalauit.

CAPVT XX.

De mortificanda gustus quadam titiem edulium.

MVLTÆ, maximeq; inor
tiones sunt in esu gustus,
necesse est ope mortifica
ad cauēda varia peccata, virtute
seruādas & augēdas, in ordine
Inordinatio gustus est, inhiare

lautioribus palatum oblectantibus, hæc autem mortificanda est, non cupidè quærendo edulia opipara, magnaque cocorum arte & labore condita, sed communia, nullaque singulari arte parata, ac quæ ad vitam hominis sui sustentandam satis sint: infirmis enim lautiora ob necessitatem conueniunt. Debet homo, inquit B. BASILIVS, refrenare gustatum cibis lautioribus inhiantem, rationeq; ita moderari, vt, non nisi ad vitam necessaria ei subministret, cõdimenta autem omnia lautiora, quæ sunt vitiorum incentiua, subtrahat. Adiungit huic documento S. VINCENTIVS Ferrerius seruum dei ex ferculis mensæ appositis libentius vti debere minus lautis, & in quæ praua naturæ inclinatione minus fertur.

Lib. de vera virg.

De vita spirituali c. 3.

QVAERET aliquis, cum omnes cibi sint creaturæ Dei, & bonæ, ac in hominis ministerium ordinatæ, cur non omnes æquè expeti possint? Respondeo: Deũ ipsũ qui creauit pisces, aues, aliaq; amãtia in hominis vsum & victum, simul tulisse legem de temperãtia, vt nempe vnusquisq; conuenien-

ter suæ dispositionis his cibis vtitur, nempe sanus vt sanus, æger vt æger, imbecillis vt imbecillis, hoc est quisque quatenus necessitas postulauerit. Deinde, quia homo in peccatum lapsus est, & affectiones habet inordinatas, idem Deus aliam legem tulit Pœnitentiæ & Mortificationis, qua cautum est, vt quoniam homo peccando sectatus est oblectationem vetitam & illicitam, per satisfactionem quoque licitis quibusdam oblectamentis se priuet, & frenũ effrenatis passionibus injiciat. Itaq; licet omnes creaturæ sint bonæ, & in vsum hominis conditæ, tamen vsus earum potest esse peccatum vel minus bonus, eò quod non congruat cum dictis Dei legibus. Hanc esse opinionis est D. Augustini, dum ait: *Si homo fame moreretur omnia ad cibum Deus creauit: sed ne mensuram comedendi excederet, & abstinentiam impugnauit. Quapropter sicut eger ad medicinam, sic ad sumẽdas dapes debet quisque accedere, nequaquam videlicet ut illis voluptatem appetens, sed ne deficiat si succurrens.* Idem exemplo suo docuêre omnes sancti, Omitto illos qui

Tom. 9. de conflictu vitiorum c. 18.

in solitudine solis herbis victitârunt, fructibusque syluestribus. Taceo eos qui in cœnobijs pane, alijsque vilioribus escis & insipidis vitâ tolerârunt, qua in re non dubium est eos Deo placuisse, cum Dominus ipse, testibus Euangelistis, laudauerit Ioannem Baptistam ob hanc victus seueritatem, dũ vesceretur aridis locustis & melle syluestri: imò non sine magnis miraculis multis sanctis, cum nullo studio habere possent, huiusmodi cibos submiustrauit. Verùm prætermissis illis, quos non omnes imitari queunt, videamus quanta victus tenuitate vsi sint cæteri sancti, etiam Episcopi & Prælati aliorum.

S. AVGVSTINVS ferè abstinebat abesu carnium, alijsque ciborum lautitijs, & vescebatur herbis ac legumi nibus in quib⁹ exiguũ erat oblectamẽti gustus: conuiuia quoq; declinabat ne consuetam violaret abstinentiam. *Possid. in vita eius c. 22. et. 27.*

S. GODFRIDVS Ambianensis Episcopus, etsi pro immensa sua caritate qua flagrabat, nihil deesse suis subditis quoad victum necessarium sinebat, tamen ipse solo pane, paucisque *Nicol. monachus in eius vita.*

herbis & fructibus vitam tolerabat. Cumq; cocus nescio quid herbis mi cuisset, eum accersitum coarguit d cens. An ignoras tu miseram carn subigi non posse nisi tormento ig nij? cur mihi apposuisti cibum ma arte paratum? Vide, ne deinceps hoc genere delinquas, & me ad iracu diam prouoces.

Metaphr. in eius vita.

S. CHRYSOSTOMVS quoque post ceptum Archiepiscopatū carnium, rumq; eduliorū sapidorum esu abs nuit, solo contentus ad vitam sust tandam pulmento hordeaceo.

Ferr. Iustin. in eius vita.

B. LAVRENTIVS Iustinianus, ad adolescentia sua, vt erat præclaro tus prosapia, multis assueuisset di delitijs, tamen ad Venetum Pa archatum euectus, vulgari tantū sa, vsus est, edulijsque palato suo pidis. Vnde si errore aliquo quando esculenta poculentaue ad gustum cerbiora apposita essent, vt pro acetum, neminem arguebat, sed tio dissimulabat.

Surius in Decemb.

S. THOMAS Cantuariensis Archi piscopus & matyr Christi gloriosus quamuis, antequam diuinitus esset

lustratus, multis lautitijs à parentibus genere nobilibus & copiosis sustinuit nutritus, tamen postquam persecutio ne regia pro iustitiæ defensione exagitari cœpit, admirandam vitæ mutationem inijt. Nam, teste Eduardo præcipuo vitæ eius scriptore, qui antè vtebatur mensa opiparè instructa, magnosque Dominos, atque adeò ipsum quoq; Angliorum Regem, habebat cõuiuas, leguminibus alijsq; vilissimis cibis, pauperibus ad mensã adhibitis, vesci voluit. Hæc temperantia ab omnibus sanctis ad mortificandum gustum fuit exercitata: Licet enim præcipuum studium posuerint in colendis perfectionibus virtutibus, vt caritate, & religione in Deum, tamen dictam abstinentiæ non neglexêrit, quòd scirent eam quoque gratam Deo, & salutarem animæ suæ.

HÆC verò doctrina tam rationi consentanea est, vt ne Gentiles quidem, in quibus rationis lumen non omninò fuit obscuratum, ignorârint dictas temperantiæ leges esse observandas. Inter Græcos virtutum

Lib. in erm. 7.

cultu cæteris præluxêre Lacedæmonij, olim & filijs Israel arctissimo amicitiæ fœdere copulati. Cùm enim commemorat Maximus Tyrius Philosophus, aliquandò in eorum prouiam veniſſet rei culinariæ peritus, Mithecus Syracusanus, qui exquisitissimam apparandorum ciborum rationem magnum nomen cæteris Græciæ partibus voluptatis delitijs plus æquo addictis collegerat, Lacedæmonij gnari lautitiem illam capitalem bonorum morum esse pestem, auctoritate publica Magistratus solum vertere eum iusserunt, ratibiliore potius & exercitatione assidua corporis, quàm suauibus esculentorum condimentis, esse acuendum appetitum. Quod nonnulli gentiles agnoscere & exercere natura duce cæperunt, illud magni Dei serui in omnibus mundi partibus, opitulante Christi gratia, perfectè complérunt.

NEQ. ideò arcemus homines vere virtutis studiosos à mensis lautioribus omnibus, quando vel necessitas vel obedientia maioribus debita id exigit, vt ne cõuiuia omnia repudiemus

nam

nam & caritas sæpè persuadet vt de consueta seueritate aliquid remittamus, ad solandos & recreandos hospites, aliosque quorum conuersatio nobis proficua est. Id tantùm dico, dum respectus hi absunt, nos, quantum in nobis est, debere fugere istas lautitias ad mortificandum gustatum, imitandumque Christum crucifixum, qui propter nos felle & aceto potatus est.

CAPVT. XXI.

De mortificatione gustus in cibi quantitate.

ALIA inordinatio gustatus est, tantum cibi capere, quantum postulat appetitus, nec antè edendi finem facere, quàm ille sit exsaturatus: hoc enim vitium gulæ est. Vnde B. BASILIVS ait. Non satis esse debet seruo Dei abstinere se à cibis lautioribus & exquisitis, si alijs vilioribus nihilominus vult appetitum explere: nam & in his sumendis moderatio tenenda est, legibus temperantiæ præscripta, cæteroquin æquè læsurus animam, *Lib. de vera virginit.*

mam, ac si noxijs vsus fuisset. Sic Ba-
SILIVS. Quamquam in hacre certa
fixa mẽsura externa adsignari nequ-
at: quod enim vni parum, alteri sa-
est. & vbi vnus peccat vitio gulæ, ab-
ter nimia se macerat abstinentia: v-
men omnibus proponi potest ve-
mensura spiritalis, & regula ratio-
nimirum hæc, vt quisque tantum s-
mat cibi, quantum ad vitam conse-
uandam, viresque corporis, pro ratio-
ne status & officij, quod exercet, co-
firmandas, necessarium videtur. Hi-
verò necessitati, vt faciat satis, non d-
bet spectare quantum requirat appe-
titus, constat enim in hominibus
nis appetitum plus, quàm necess-
rium sit, desiderare, & experientia q-
tidiana docet, eos qui famem om-
explêrunt, remotis mensis, sentire st-
machum plus æquo oneratum, & a
consueta exercitia esse inhabiles. Co-
trà verò, qui cum aliqua fame, & ap-
petitu plus comedendi à mensa re-
dunt, deprehendunt se appetitum s-
cisse satis, nec vllam famem sentire:
quod argumentum est cupiditatem
illam priorem plus sumendi non fu-
se ra-

se necessitatis, sed vitij gulæ. Vnde S. Dorotheus agens de hac materia. Cibus, inquit, sine mensura sumptus multorum malorum fons est; quia vitium gulæ incurritur, non modò quãdo supra necessitatem aliquid lautiorũ ciborũ sumitur, sed etiã quãdo tantum sumitur, vt venter expleatur & saletur. *Serm. 18.*

VT verò certius cognoscatur quantum cibi cuique ad vires corporis sustẽtandas satis sit, hanc regulam sancti præscribunt. Vt quisque experientia magistra discat & obseruet, quanta cibi copia soleat grauari stomachus: ac deinde paulatim de illa copia detrahat, donec nullã molestiã in digestione sẽtiat. Cõtrà quoq; notet, quãta cibi tenuitas & abstinẽtia eũ ita lãguidũ & imbecillẽ relinquat, vt officio suo, quod sustinet, pro ratione status quẽ profitetur, agrè perfungi queat: tunc tãpaulatim tantum de commeatu augeat, donec sentiat integras permanere vires ad omnes functiones consuetas exercendas. Quam ergò quis quantitatem cibi sufficere re ipsa cognôrit, eam ordinariè vsurpare pergat. *Idem serm. 9. S. Vinc. de vita spirit. c. 3.*

Si verò homo anceps hæreat, quæ
ta cibi copia necessaria sit, potius
nationi naturali repugnet, quàm
ueat, eò quod appetitus, vt dicitur,
nequam, & colore necessitatis de
at. Qua de re sic B. AVGVSTINVS:

Lib. 10 confess. c. 31.

*me docuisti, inquit, vt quemadmo
medicamēta, sic alimēta sumpturus
cedam. Sed dum ad quietem salutis
ex indigentiæ molestia transeo, in
transitu mihi insidiatur laqueus co
piscentiæ: ipse enim transitus volup
est, & non est alius quo transeatur,
quo transire cogit necessitas. Et cum
lus sit causa edendi & bibendi, adiung
se tanquam pedissequa periculosissima
ditas, & plerumque præire conatur, v
eius causa fiat, quod salutis causa
facere vel dico, vel volo: nec idem
tuo vtriusq; est. Nam quod salutis
est, delectationis parum est. Et sæpe
sum sit, vtrum adhuc necessaria pro
vis cura subsidium petat, an voluptas
via cupiditatis fallacia ministrum
suppetat.* Hæc ille.

CÆTERVM etiamsi quis non
hil excedat in alteram partem, m
tamen semper periculi est, quotie

que non est in cibis lautities: & idcircò S. Vincentius rectè monet, neminem reformidare debere tantum panis mã ducare, quantum satis est, & necessitas naturalis postulat, modò postea ad orandum vel legendum, cum opus est, non sit ineptus. SANCTI quoque hortantur ad vtramque corporis & animi sanitatem tuendam optimum cõsilium esse vniformem temperantię rationem, tum in cibo sumendo, tum in ieiunio exercendo tenere, & non nunc in seueritate abstinentiæ, nunc in explenda cibi cupiditate limites excedere. Ita docuit quidam vir sanctus apud Sozomenum. Abstinentia, inquiens, moderata & continuata, modum & limites rationis non excedēs, operibus caritatis coniuncta breui hominem prouehit ad perfectionem, & statum ab omni perturbatione affectionum immunem. Atque hæc communis fuit sanctorum sententia, ac valdè salutaris, vtpote qua multa incommoda, damnaque spiritalia cauentur, quæ solent ex nimia vitæ austeritate consequi, vt benè expendit CASSIANVS, dicens. *Melior est rationabilis* *Loco cit.* *Trip. l. 8. c. 1.* *Lib. 5. c. 9.*

cum moderatione quotidiana refectio, quàm per interualla arduum longumque ieiunium. Nonnisi immoderata sæpe dies non modo mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum vigorem reddere lassitudine corporis exortam.

Ac Deus tanto zeloardet, vt [illegible] sui moderationem certam sequamur in capessendo cibo, vt quoties [illegible] præuaricati fuerint, aliqua pœna corporali puniat, vt morbo, dolore capitis, vel alio defectu, quo minus officio suo rectè fungi possimus: nec enim omnes peccatorum pœnas in alterum diem reseruare voluit, sed aliquas hic permittere, & immittere, vt experientia mali nos ipsi prudentiores efficeremus. Certè in historijs legimus multorum miserabiles & calamitosos casus ex cibi incontinentia secutos. Attila Hunnorum rex, cum aliquando ad saturitatem cænasset, à cæna tantam vim sanguinis per nares effudit, vt subitò, nemine animaduertente, suffocatus fuerit. Similes casus quotidiani sunt, & [illegible] homines existiment esse fortuitos, [illegible] men potius credendum est, diuinæ [illegible] iustitiæ

Pulgosus lib. 9. c. 12.

stitię peccata nostra vindicantis esse effectus, vt temperantiæ leges deinceps sedulò custodiamus.

CAPVT XXII.

De mortificando gustatu, ratione finis in cibis sumendis propositi.

QVAMVIS arduum, magnæq; virtutis sit, gustandi sensum coercere circa ciborũ qualitatẽ, quãtitatemque, de qua hactenus egimus: tamen difficilius, laudabiliusq; est eũdem mortificare quoad finem, qui in sumẽdo cibo nobis debet esse propositus. Quidã nullũ alium finẽ sibi præstitutum habent, quàm molestiam famis depellere, qui virtutis finis nõ est. Alij ipsam ciborum delectationem, & hic finis vitiosus est. nam auctor naturæ Deus non comestionem direxit ad delectationem, sed cõtrà delectationem ciborum ad comestionem. Alij rursum dicto fine, volunt videri potẽtes & magnifici, & idcirco mensas variis, pretiosisque dapibus instruunt, qui finis omninò vanus est & perniciosus. Hic omnes appetitus inordinatio-

nes debet seruus Dei mortificare, proponendo finem aliquem honestum, vt quod Deus velit nos cibum sumere, vitæ conseruandæ, virium quæ nostrarum causa, quò rectius cultui uino, aliisque muneribus præstandis deinceps vacemus. Finis quoque vtuti affinis est, comedere ad succurendum necessitati naturali, in quam Dus nos immisit. S. BASILIVS scribit vitium gulæ non tam ie prodere induliorum copia, quàm in eorum, perpauca sint, lautitia & delitijs. Ac clarans, quis finis comedenti præfinesse debeat. In manducando vel manducando, inquit, non consi virtus, sed in intentione, quam in ciborum vsurpamus. nam exempla corporalia, cùm ex se adiaphora sint, nec bona, nec mala, appositione finis boni vel mali in virtutum ordinem transeunt vel vitiorum. Sicille S. AVGVSTINVS certè cæliùs se edoctum fatetur, ad alimenta accedendum, sicut ad medicamenta, quæ non ad voluptatem, sed ad remedium infirmitatis sumuntur.

Lib. de abdic. Et, de vera. virgin.

Lib. 10. confess. c. 13.

VERVM quia contingit, vt seruus de

dei quidem ad mensam accedat, tanquam ad medicinam sumendam, postea tamen ciborum suauitate pellectus in transuersum se rapi sinat, monet B. GREGORIVS. *Scendum*, inquiens, *est, quia sic voluptas sub necessitate se pallitat, vt vix eam perfectus quisque decernat. Nam solui de itum necessitas petit voluptas explere desiderium appetit, & tanto gula securius in praeceps rapit, quanto sub honesto nomine necessitatis explenda se contegit. Sape autem in ipsa edendi via furtiuè adiuncta voluptas subsequitur: nonnunquam impudenter libera etiam praire conatur. Facile autem est deprehendere cum voluptas eius necessitatem praenenit, sed valdè est difficile discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subiungit.* lib. 30. mor. c. 28.

Et S. Augustinus palàm fatetur, se postquam cultui diuino se dedidit, aliquoties hac tentatione in fraudem inductum. *Cum salus*, inquit, *sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumq; praire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere, vel dico, vel volo.* Loco cit.

HINC sequitur, ad mortificandum gustus appetitum, non satis esse, vt initio bonus finis seruò Dei mandatum sit propositus, sed opus habeatur vigilantia, ne ciborum illecebrâ in corpo suo distrahatur. Neque id eò dicimus, vt velimus nullam debere esse in cibo oblectationem, nam cum cibus semper coniuncta naturaliter habeat qua voluptas; sed id tantùm contendimus, non esse oblectationem in cibo quærendam tanquam finem, sed amplectendam tantùm quatenus seruit necessitati. Quanquam seruus Dei id datissimè faciet, si toto pectore desideret, si possibile foret, omnem delectationem abesse à cibo; quò enim seuerius id desiderauerit, hoc longiùs vitio gulæ recesserit.

ALIA inordinatio gustûs est, æque ac dius in hiate cibis, quę mortificãda ei vt superiores, adhibita moderatione huiusmodi: vt nemo, licet inedia vpeatur & fame, sinat sibi imperare abillo, alioquin magno desiderio & leritate inuolabit in edulia; sed fren sibi injiciat, & paulatim in sumẽdo bo pergat, ac si nulla fame magna

mul

mularetur. Dicit enim S. Augustinus: *in eo maxime hominis virtutem probari, quod dū oportet & cōuenit, potest animo sereno & trāquillo famē tolerare.* Quæst. Euang. lib. Diuina quoq; scriptura idē documētū tradit. *Noli auidus esse, inquit, in omni epulatione & nō te effūdas super omnē escā. Ex multis enim escis erit infirmitas, et auiditas appropinquabit vsq; ad cholerā. Propter crapulā multi obierūt, qui autē abstinēs est, adijcietvitā.* Eccl. 34.

HÆ sunt præcipuæ sensus gustus inordinationes à nobis mortificandę, ac sanè diligentissimi esse debemus in cohibēdo hoc appetitu, cum quotquot Deo seruire volunt, primum certamen inire debeant cum gula, ac temperantię freno eam rationi subijcere. In quo certamine si quis victoriā nō referat, ægrè referet in cæterorū vitiorum & perturbationum conflictu, quē admodum benè animaduertit CASSIANVS. *Impossibile est, inquiens, saturū & ventrē pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robustioribus attentari dignū est eū, qui potest deijci leuiore conflictu. Prima ergo nobis calcanda est gula cōcupiscentia, & eorum extenuanda mens* Lib. 5. c. 23. & 24.

non

non solùm ieiunijs, verùm etiam vig
lijs, lectione quoq; & crebra compu
ctione cordis, &c. donec ipsius cibi re
ctionem non tam iucunditati comede
quàm oneris vice sibi impositam re
noscat. Hęc Cassianus ex communi
Patrum sententia recitat. Vnde co
gimus, quàm necessaria sit mortifica
tio appetitus ciborum; nam si hunc
non compresserimus, haud facile fu
iugamus nobis alias affectiones &
tationes magis occultas, nec Castita
tis, patientiæ, puritatis cordis virtute
consequemur

CERTE qui ab hoc appetitu se
ci patitur, seruusque gulæ efficitur, fa
rè etiam seruituti luxuriæ, alteriusq
scelerum, quæ ex illa ceu fonte orit
tur, subijcitur. Necessarium est, inq
S. BASILIVS, vt ventre cibis oppleto
tera quoq; membra prauis concupis
tur humoribus luxuriæ famulanti
bus, hominemque ad fœdissimaque
que extimulantibus. quare primo pu
na in gustum facienda, vt eo per tem
perantiam expugnato, omnium p
uarum voluptatum fontes exarefi
Hæc autem necessitas contra gulam

De vera virgin.

dimicandi, hoc maior existit, vt, si sinat se ab eo turpiter superari, nulla spes reliqua sit alia vitia vel impugnandi vel expugnandi, aut certè difficillima, quemadmodum experientia ipsa idem Sanctus se didicisse alibi confirmat. Si gulæ, inquiens, vitium in corde tuo dominatum fuerit, sylvam quandam sordium in sensibus tuis disseminabit, animamque tuam in ferarum domicilium conuertet: experientia enim cognoui in multis, qui in alia peccata lapsi essent, resipuisse; nullum verò vidi ad saniorem mentem redisse, qui vitio gulæ se dedidisset, aut secretò, aut alieno tempore, aut locorum congruenti voluptatem ex sumptione cibi sumendo: imò quotquot tales noui, tandem à seruorum Dei cætu, in quo erant, turpiter se separarunt, & vinculo societatis tam sanctæ rupto in scelerum omnium voraginem præcipites egerunt. Quod si quidam remanserunt, tamen, licet inter seruos Dei abditi, mancipia diaboli facti sunt, obstinati, clamosi, curiosi, queruli, commodorum appetentes, vitæ honestæ inimici, ac denique ha- *De abdic.*

bitu quidem externo quasi serui De
sed verè filij perditionis. Hæc Basili

CAPVT. XXIII.

Quibus medijs mortificanda ſit inordinatio gustus.

MEDIA, quibus seruus Dei
debet ad mortificandum
sum gustus, hæc sunt. Vi
mensam adit cibum sumpturus,
ad Deum attollat, imbecillitatem
suam coram Domino fateatur, ex
mo dicens. Domine in me virtus
la est vincendi immoderationem
stus; largire mihi illam, vt sensu
lum vincere, tuæq; voluntati subi
re possim. Tum considerando se
habere cibo ad vitam sustentandam
& Deo seruiendum, illumque fini
cibo Deum præstituisse, voluntas
inclinet ad appetendum cibum
huc finē, vel aliū honestū, & sanctū,
non propter aliū. Deinde toto mē
pore mentē occupet in pia aliqua
templatione, semper imperando
& mentem crebrò ad Deū attolle

Aliud medium est, non sa

sequaquae appetitui, subministrā
do illi, quæcunque voluerit, sed relin-
quendo potius cum aliquātulā fame,
Regemq; tenēdo, quam dedimus de
cibo rum quantitate, ac discretione,
de qua dicemus. Hoc medio fatetur S.
Augustinus, se cupiditatem gulæ re-
frenasse, partem nēpè aliquam ei adi-
mendo, quam affectabat. PALLADIVS
scribit de S. Isidoro sacerdote, eum nū
quam saturū è mensa surrexisse, & ta-
men tantum cibi sumpsisse, quātum
ad vitam & sanitatem sartam tectam
tenendam sufficeret, nec singularem
aliquam abstinentiā in eo obseruatā.

Lib. 10. confess. c. 30. in hist. Laus.

AD VD medium mirabile ad expug-
nandū appetitum est, semper, vel certè
sæpenumerò propter Christum parte
aliqua cibi lautioris se priuare, etiāsi exi
gua sit: ac si liberè potest eam alteri e-
largiri, relinquere eā Christo in paupe
rib^us. S. Vincētius hoc documentū dū
tradit. Si, inquit, Dominus voluntatē
efficacē dederit abstinendi à parte ali-
qua cibo rū, qua maximè oblectabare,
mirabilē certè abstinētiam facies, Deo
pergratā, & hominib^us incognitā. Quo
eam abstinentia vel mortificatio no-

In vita Spir. c. 3.

stra

ſtra ab oculis hominũ remotior eſt, hoc præſtãtior eſt, nã & exercetur magis humilitas, & vanæ gloriæ periculum euitatur, ac meritum augetur. si enim alijs menſæ aſſidentibus non videatur ieiunare, tamen actum exercet maioris meriti, quàm ſi re vera ieiunaret, & ideò vocatur mirabilis abſtinentia. Hoc medium ſæpè à Sanctis vſurpatum eſt, eiusque beneficio perfectam victoriam contra gulæ vitium retulerunt. S. SABA Abbas, licet conuerſionis ſuæ initio magnum ſtudium ponneret in acquirendis virtutibus omnibus, mortificandisque inordinatis cupiditatibus, præcipuam tamen poſuit in refrænanda gula. Cùm aliquando hortum ingreſſus pulcherrimum pomum vidiſſet, manuque, cupiditate victus, apprehẽdiſſet, mox colligiſſe ſe, aduertit tentationem eſſe dæmonis ad edendum inſtigantis extremum & neceſſitatem: itaque in terram abiecit, & apud animum ſuum conſtituit nihil ex eo degustare. Qua mortificatione ſui, tantam à Deo naſtus eſt gratiam, vt deinceps ſummus ſuerit cultor abſtinentiæ.

S. Wol-

S. WOLSTANVS Episcopus die quodam post sacrum Missæ peractum detestens in loco abdito odorem carnis, quæ pro ipso assabatur, percepit: & quoniam cogitatio indementi oborta, ad eam comedendam appetitum illiciens, non sinebat eum oratio ni attentius vacare, proposuit nihil neque tunc, neque in posterum vitæ tēpus de carne delibare, sicut & fecit. Quo medio mirificè adiutus est, non solum ad sanctissimam vitam ducendā, sed etiam felicissimam mortem, multis miraculis illustrem, obeundā. Cernè Deus, vt animaret seruos suos ad hoc mortificationis genus amplectendum, voluit illud nōnūquam honorari miraculis. *Surius in Ianuar.*

S. RVBERTVS Abbas cum totam Quadragesimam solo pane & aqua cōuentus transegisset, sub Paschæ festum desiderio teneri cæpit vescendi pane aenaceo, sed cum eo ad mensam allato vir Dei animaduerteret se pauxillum concupiscentiæ indulsisse, vehementer expauit, & rigidus in seipsum vindex gustare inde noluit, sed pauperibus ad monasterij fores dari iussit. *Surius in Ian.*

Eras-

Erat ibi tum iuuenis quidam splen-
da facie, qui eum vna cum scutel-
cepit, & mox euanuit, ita tamen,
loquentibus illis de scutella ablata,
bitò ea in mensam desiderit. Enim
nim angelus Domini à cælo m
qui eleemosynam viri Dei acce-
rat.

Hoc medium tam gratum D
maximè vsurpandum est ab is
plus æquo, postquam seruitio di
se addixerunt, cupiditati come
satisfecerunt, vt hoc exercitio pau
tim ad mediocritatem temperātiæ
sentaneam reducantur: quod
fiet, si aliquot diebus pauxillum
de victu consueto subtrahant, &
sum postquam illud amplius
stum non fuerit, paulò plus adm
donec non plus sumatur, quàm
stentationem vitæ opus videatur.
S. Dorotheus fecit cum suo disci
lo, nomine Dositheo, qui fuerat
primarij filius, lautè educatus, &
les, ac ex seculi mitate factus
Christi & religionis. Huius in
curam susceperat Sanctus Doroth
& cum eum in omnium virtu

In eius vita.

frangendarumque animi cupiditatum campo exercere vellet, initium fecit à vitio gulæ. ac primùm quidem potestatem illi fecit, comedendi quantum vellet, deinde verò paululum illide cõsueta portione ademit, hoc est, duodecim partibus vnam, & rogabat, cum sentiret famem: numque ille respondisset se exiguam sentire, iussit eũ aliquot dies cum eadem portione continuare, donec fateretur nullam se amplius famem experiri. Dein cæpit ex duodecim partibus statæ portionis subtrahere binas, donec ad moderationem ventum est legibus temperantiæ consentientem. Ad hoc medium reuocandum est, & illud: vt qui semel cibum sumpserit iuxta temperantiæ leges, non repetat cibum extra tempus, licet exiguum; nam, vt monuit S. BASILIVS extra statа tempora comedere manifestę gulæ indiciũ est.

MONET quoq; S. Vincentius Ferrerius, dum mensæ accumbitur, cætera quoque corporis membra esse mortificanda, modestè ea cõponendo, nẽpè, vt non brachijs, sed manibus tãtũ mẽsæ incũbatur, ne pes alter alteri imponatur. *Loco cit.*

natur, ne oculi in comedentes curæ
conijciantur, ne æquò festinantius
bus sumatur, ne diu hæreatur in mo
sa, vt modestia denique ea vsurpetu
quæ animæ quieti & sanitati respo
deat.

ALIVD medium ad cohibendu
gustus appetitum est, ante cibi sump
tionem sedulò perpendere, quã mo
tis cibus necessarius desit, & primu
quàm multi nũc ardeant in flamm
inferni minoris noxæ rei, quàm ip
vt sunt innumeri infidelium libe
ætate tenera defuncti, qui fide
ne destituti ob pauca lethalia pecca
postquam ratione vti cæpêre, contr
legem naturalem commissa ignor
parabili famis & sitis cruciatu torqu
tur. Deinde expendat, quàm mul
sint mancipia in mundo, quot mo
dici & inopes, quibus ne quidem p
nis ad vescendum suppetit, & tam
fortè Deo sunt cariores, quã ipse. Hu
consideratio dici non potest quant
valeat ad refrenandum appetitu
Cum Dario Regi inimicos fugie
magnaque siti laboranti aqua
suppeteret, milites eius aliquantul
pur

putridæ aquæ & occisorum sanguine tinctæ obtu ere. tum ille, cui prius exquisitissima vina fastidiebant, confessus est nullum præstantiorem vnquã potum sibi perfectũ esse. Vt ergò inopia cibi vel potus facit, vt etiam vilissimus cibus videatur pretiosus, sic viua consideratio inopiæ alienæ facit, vt modicus cibus apparere possit sapidissimus.

HÆC media omnia, si diuina fauente gratia, seruus Dei vsurpare incipiat, & propter Deum, sensus illecebris vltrò se priuare; nihil dubitandum est, clementissimum Dominum tantum solatij gustusque spiritualis illi in precibus refusurum, aliisque bonorum operum exercitijs, vt magnã queque in hoc genere mortificationis experturus sit facilitatem, & portò in eodem sit studio magnos progressus facturus, ac denique omnes consolationes spirituales, vti verè præferendæ sunt, omnibus carnalibus oblectationibus antelaturus, donec ad ineffabilia vitæ æternæ gaudia perueniamus.

S. Vincent. Leir.

CAPVT. XXIV.

De mortificando gustu in potu, & maximè vini.

NON tantùm gustatus in cibo verùm etiam in potu sumendo moderandus & mortificandus est. Inordinatio siquidem gustus est in potu voluptatem quærere, vnde & sequitur in potu excessus: deinde inordinatio est superuacanea cura & curiositas, vt aqua v. c. quæ potanda est, sit optima & frigidula, & vinũ notæ optimæ. Seruus autem Dei mortificatus sui studiosus non plus debet bibere, quàm necessitas postulet: & liquido in sitim incidat, quæ tamen bibendi necessitatem non inducat, fit cum sitienti potus obest, debet quoque mortificare se, perferendo sitim, eamque offerendo in sacrificium Christo Domino nostro, iungendo eam acerbissimæ siti, quam ipse pro nobis in cruce sustinuit. Deinde in potu quæritet non debet voluptatem, sed tantùm necessitatem vitæ sustentandæ, & roborandarum corporis vi-

nium. Quem finem honestum, vel
talium, si animo infixum habuerit, de-
licatiora & pretiosiora vina facilè de-
clinabit. Enimverò res seruo Dei pro-
fessionem crucis Christi deportandæ
facienti, & crucifigenti carnem cum
suis concupiscentijs indigna est, in po
tu quærere oblectamentum: imò iu-
stum & sanctum est optare, si fieri
posset, sine vllo sensu gustus, ad fu-
gendum istas delitias, naturali neces-
sitati facere satis, vt hoc magis assimi-
lemur Christo ab omnibus voluptati-
bus terrenis alienissimo, & sanctis
omnibus, qui tam longè aberant à stu
dio venandæ alicuius voluptatis in
potu, vt data opera varios modos
excogitârint esculentis poculentis-
que adimendi omnem delectatio-
nem.

IN vsu certè vini sic mortificandæ,
vtà seruo Dei bibendi cupiditas, vt
bibat multa aqua temperatum, hoc
est, vt S. Vincentius loquitur, quod
vinum vigorē amiserit. Eius rei multa sa- In vita
lutaria documenta spiritus sanctus re- Spir. c. 3.
quirit in diuinis scripturis. *Exultatio*
cordis, inquit Ecclesiasticus, & *cordis* Eccl. c. 1.

vinum moderatè potatum, Sanitat
animæ & corpori sobrius potus. V
multum potatum irritationem, ir
& ruinas multas facit. Amaritud
nimæ vinum multum potatum. Q
uis verò licitus sit vsus vini n
tus, tamen si homo abstineret
set citra sanitatis & virium neces
rum iacturam, excellentissimam
tificationem, magniq; meriti, a
gratissimam exerceret, si in tot
Catech. 4. no abstineret, solaque aqua
contentus foret. Vnde S. Cr
Fideles, inquit, abstinent ab eu
um, potusque vini, non quòd
reant ab istis creaturis, sed qui
pter deum se illis priuando
se præmio afficiendos in cæl
contemptu vilium ciborum
ralium, celestibus & spiritualibus
rum æternorum lautitijs fru

ACCEDIT quòd abstinentiâ
speciatim iuuet ad conseruandam
gendamque castitatem & man
dinem, atque etiam vtà mul
& corporis periculis liberi &
nes simus. Ita affirmat sapiens
Eccl. 2. tu sancto illustriatus. *Cogitaui,*

ris, in corde meo abstrahere à vino carnem meã, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremq; stultitiam. Vbi sapiẽtiæ nomine intelligit, notitiam amoris in Deum plenam, quæ numeratur inter principalia spiritus sancti dona, & complectitur in se virtutes omnes, ac Dei amorem. Per stultitiam autem intelligit vitia, & peccata maximè carnalia. In quæ verba Robertus Holcot scribit, abstinentiam à vino, disponere ad sapientiam, quã Deus infundit.

VALET quoque plurimum hæc abstinentia ad domandum appetitum gustus, rationiq; subijciendum, vehemens enim eius est proclivitas ad haustum palato iucundum & suauẽ, singillatim exquisiti vini. itaque si illam quis expugnârit, sic debilitabit appetitus potentiam, vt facilè in alijs cupiditatibus oppugnandis reportet victoriam. Ita docet B. PROSPER Aquitanicus, *vino vti nullus, inquit, dixerit esse peccatum. Sed hoc ideò non debemus carni desideranti præstare ne cum illi licita concedere caperimus, poscat i licita, & obsequentes in minimis in fla-* *Lib. 2. de vita contemp. c. 25.*

gitia puniendæ compellat. Pro hac doctrina spiritus sanctus in sacris literis illustria reliquit testimonia & exempla, quibus declarat, quamuis temperatus vsus vini sit licitus, tamen esse, si bono fine & cum discretione fiat, ab eo abstinere: hoc Deo esse gratius, & ad animæ salutem vtilius. Vnde mandauit Deus in veteri lege sacerdotibus, vt quo tempore cultui diuino in tabernaculo vacarent, à vino, alioque simili potu abstinerent, vt aptiores essent ad audiendum & legem diuinam præscindam. Rechabitas quoque per Ieremiam laudat spiritus sanctus, quòd patris sui Ionadab præceptum patris sui Ionadab vinum bibere nollent; eoque exemplo populum facit Iudæos nolentes parere præcepto Dei. Laudat & Danielem cum tribus socios, quòd vino abstinuerint, epulisque lautioribus, contenti aquâ & legumine, vnde factum est, vt & Daniel Deo gratior esset, & visionum cælestium dono dignus redditus; socij verò eius illæsi ab igne in quem à Regis impio conjecti erant, permanserunt.

Leuit. 10.
Num. 6.
Ieremiæ 35.
Dan. 1. & 10.

GABRIEL archangelus dū annuntiat S. Ioannis Baptistæ ortum Zachariæ eius patri, inter signa admirandæ sanctitatis eius ponit, quòd à vino & sicera sit abstenturus. In quem locum EVSEBIVS Emisenus, scribens ait, Deum voluisse ea re indicare abstinentiæ meritum, arduumque militiæ spiritualis iter. S. Timotheus B. Pauli discipulus quamuis Episcopus, & laboribus gubernationis prædicationisque diuini verbi admodum districtus, cū sanus esset, vinum non bibebat, sed aquā. Qua in virtute, vt in cæteris omnibus, creditur Diui Pauli exemplum secutus. Nec licet infirmus, cōsuetudinem illam mutauit, donec à Paulo admonitus est, vt modicum saltem vini ob frequentes infirmitates biberet. Qua admonitione non obscurè indicat laudabilem esse à vino abstinentiam, nisi infirmitas cogat aliquid vini sumere loco medicinæ, nempè ad recuperandam valetudinem. Ita affirmat Beatus PROSPER, *Nihil*, inquiens, *contra abstinentiam faciunt, qui vinum tantùm pro corporis salute percipiunt: nec hoc offert*

Luc. 2.

1. Tim. 5.

Loco cit.

voluntas, sed permittit infirmitas. Quod si defuerit, à vino est abstinendum, ne vini perceptio qua infirmum sustentas, sanum corpus intendat. Sic ille. Quod Prosper dicit de infirmitate, hoc de quauis alia imbecillitate & defectu intelligi potest, quæ modera o vini usu emendari possit, ad præstanda officia & ministeria cuiusque statui congruentia; sed si nulla interueniat necessitas, laudabilior est abstinentia ab omni vino, quam Sanctorum vitæ & Ecclesiæ vsus confirmant.

ETENIM S. MARCVS Euangelistæ discipulus & Doctor fidelium in vrbe Alexandrina degentium, quos instituit secundum morem & doctrinam ab Apostolis traditam Hierosolymis, non cætera virtutum exercitia eis commendauit abstinentiam à vino, teste EVSEBIO in historia Ecclesiastica. Eandem abstinentia Seuerus Sulpitius laudat S. Martini Turonensis Episcopi discipulos, & addit, S. Martinū eis fuisse autorem. Et S. AVGVSTINVS in libro de moribus Ecclesiæ, commemorans virtutes sanctorum hominum suo tempore in Ecclesia Dei florentium, vt e-

Lib. 2. c. 7.

Sulp. in vita eius.

Aug. l. 1. c. 30.

remita-

remitarum, cœnobitarum, Episcoporum, sacerdotum & Diaconorum, inter cætera eos laudat, quòd à vino se continuerint, sola aqua contenti. S. HIERONYMVS in cælum ferens Palestinæ monachos, quorum vitam imitabatur, scribit ne ægros quidem sibi vinum indulsisse: quod intelligendũ est, quando huiusmodi erat infirmitas, vt possent æquè officijs consuetis fungi, ac dum essent sani. Certè olim in Ecclesia Catholica, cum in ea vigeret vitæ sanctitas ac Ecclesiastica disciplina, fideles omnes in ieiunijs non solùm à carnium, sed etiam vini vsu abstinebant, tum vt carnem magis affligerent, tum vt ieiunium maioris meritiapud Deum foret. Atque hæc consuetudo plus mille annis obtinuit in Ecclesia; nam inuenimus eam vsque ad S. BERNARDI tempora seruatam. TERTVLLIANVS vetustissimus scribit fideles abstinentia vini castigasse carnem suam, vt se in sacrificium Deo offerrent. Idemque fatetur S. BASILIVS, AVGVSTINVS, & alij veteres sancti, dũ agunt de suorum temporum ieiunijs. Quamuis verò hæc consuetudo ob

H. de virgin. ad Eustoch.

Tertul. in Psychic.

Aug. serm. 64. de tẽp.

Greg. Nyss. de amand. pauper.

Hieron. ep. ad Nepot.

hominum imbecillitatem labentibus annis antiquata sit, tamen æquum est, vt serui Dei, qui progressum faciunt in virtute cupiunt, & optimis quibusque operibus promereri Deum, eam reuocare conentur in suis senectutis, alijsque temporibus, quibus Deus sanitatem & vires id præstandi concesserit.

Deinde obseruandum est, quam hæc abstinẽtia cũ moderatione, quia vino dictâ ir, vsurpata generatim loquendo fructuosa sit & salutaris, tamen particulatim, vt notauit S. HIERONYMVS, commendanda est adolescentibus, & fœminis nondum ætate provectis, quia in illis & vini potandi adest necessitas, & adest grauium tentationum periculum, si mero incalescant. S. MARCVS eremita, adolescentia, inquit, ante omnia nõ est pascẽda nec ne duabus flammis cor accendatur, altera caloris naturalis, altera caloris vitiosi. S. BASILIVS quoque de hoc periculo commonuit, dicens. Corporibus quibus per ætatem suppetit robur & calor naturalis, non est porrigendũ vinũ ne ignis igni adiungatur, sed aqua

Lib. de vera virginit.

frigidior.

fontium, vt frigiditate aquæ calor naturalis mitigetur. Quibus verò per ętatem non supperunt amplius vires & calor, adiumentū cibi & potus subministrandū est, vt vires confirmentur. S. HIERONYMVS sermonē instituens ad virgines hac verborū auxesi eas alloquitur: *Si quid in me potest esse cō silij si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, vt Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.* *De virgin. seru ad Eustoch.*

NEQVE mirū videri debet sanctos Patres lumine diuinæ sapiētię illustratos tam crebrò suasisse abstinentiam à vino, cum & Gentiles, quibus exiguus fuit luminis naturalis igniculus, idem suaserint. Nā apud Romanos olim, cū tęperātiæ leges maximè vigerent, fœminis vsus vini erat incognitus: adolescētibus verò interdicebatur vlq; ad annū ætatis trigesimum. PETRONIVS item liberis suis ętate iuuenili vinum adimebant. Cū ergò videamus hunc vsū diuinis S. scripturę oraculis, Patrū testimonijs, Sanctorū exēplis, Ecclesiæ consuetudine perantiqua, & ratione ipsa confirmatum, æquum est, vt ad maiorem Dei gloriam, animęq; salu-

Valer. max. l. 2. c. 1.

Alex. ab. Alex l. 2. c. 5.

tem fructum aliquem spiritalem et hac doctrina decerpamus, & si in tui à vino abstinere nolimus, moderationem saltem magnam in eius vsu adhibeamus.

CAPVT XXV.

De mortificatione sensus tactus.

SENSVS tactus multos habet abusus & inordinationes necessario mortificandas, eò quòd totoque corpore hominis sit diffusus, & appetitus sensitiuo proximus, ac omnium corporeārū oblectationū seminarium nesq; sēsus, quorū ministerio ad animā das suas voluptates vtitur, quabrigenoinficii. Vnde B. BASILIVS, Tract. *De vera virgin.* inquit, omniū sensuum determinatus est, emittit enim legatos ad sensus, vt eorum opera suas voluptates perfequatur, placidè abblanditur, vt magnam in hominem exerceat tyrannidem, quæ ideò summa cura coercendus est & mortificandus, vt purus maneat.

ET quoniam ex ijs, quæ hactenus de aliorum sensuum mortificatione dicta-

dicta sunt, facilè colligi potest, quemadmodum & Tactus mortificandus sit, breuiter comprehendemus, quibus rebus id fieri debeat: prætermissis tamen flagitijs grauibus & manifestis peccati luxuriæ, quæ pœnitentia sub damnationis æternæ pœna expiãda sunt.

IMPRIMIS hic sensus tactus, ad obtegendum corpus postulat vestes molles & pretiosas, quæ tactu suo carnem oblectẽt. Hic abusus sic per mortificationem corrigendus est, vt nuditati corporis tegendæ vestis honesta pro cuiusque statu adhibeatur, quæ non voluptati, sed necessitati, hoc est, arcẽdis cœli iniurijs deseruiat. Quod si mollitie nimia vestium aliquandò Deum offenderimus, æquum est, vt asperiore quoque vestitu, cilicij, sacci, vel alio Deum nobis reconciliemus. Id ratio naturalis docuerat primum parentem nostrum Adamum, qui simulatque peccauit, nuditatem suam non lenibus arborum, sed asperis, carnemque pungẽtibus ficuum foliis contexit, vt S. IRENEVS obseruauit, in persona Adami ita loquens. *Quoniam eam quã* *Lib. 3. contra hær. c. 37.*

habui à spiritu sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam, & nunc cognosco quoniam sum dignus tali tegumento quod delectationem quidē nullam præstat, mordet autem & pungit carnem. Addit Ireneus. *Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humanam ipse sum, nisi dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficuneis induisset eos.*

DEINDE hic sensus adcapiendū sonū gaudet mollibus lectis & strag pernōmodis. Vnde fit, vt otiosus eo hæreat, quàm necessitas postulat ægrius manè surgat, occasionē quę præbeat sordidis multis cogitatio bus & insomnijs, grauioribusq; bus. otiū enim lecti aliud nō est, esca & fomes vitiorum, impedime orationis, & bonorū operū. Mortific ri autē debet in hoc genere tactus, m latiei ademptione, commutatione plumarum cum tomento laneo tra tractarum, & nonnunquam cum hu cubatione. Durities enim strati fa vt tempestiuè manè exurgat, tio tionē negligat, ac etiā vt noctè aliq dò ad imitandas sanctorū vigilias

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uinis laudibus celebrandis inuigilet.

Actvs huius sensus abusus est, affici tractãdis manu rebus leuibus & delicatis, vt manibus aliorũ, corporibus infantũ vel animãtiũ, vel etiã proprio, nõ ad necessitatẽ, sed tãtũ ad capiẽdã aliquã voluptatẽ. Hic abusus mortificationis operę rescindẽdus est, nã cõsuetudine tractãdarũ rerũ leniorũ, tãgẽdi sensus semper magis magisq; accenditur, vt facilè postea prorumpat in multò deteriora. multi enim in corpore humano motus excitantur, exurguntq; imaginationes variæ castitati contrariæ, sic prorsus, vt nisi homo ilicò ad auxiliũ diuinum confugerit, facilè in periculũ maiorũ lapsuum se cõijciat. Sic fecêre omnes homines Dei, qui etiã in leuissimis rebus occasiones omnes peccandi in tactu subterfugêre.

Narrat B. Gregorivs Turonẽsis Episcopus sanctum sacerdotem Nicetam tantæ puritatis cultorẽ fuisse, vt reformidaret etiam infantium mẽbra nudis manibus cõtingere, & si quãdo ratione officij tangere debebat, nõ nisi veste interiecta attigisse. Sciebat nimirum à quouis carnis tactu aliquantã capi

Surius in April.

capi voluptatem, licet non admodum illicitam, vt tantò longius abesset à tactu culpabili. Multi quoque sanctorum pria corpora veriti sunt immediate tingere, imò & intueri, nisi necessitas mera postulasset.

Trip. lib. 1. c. 11. SOZOMENVS scribit mirabilem S. Ammonium, vna cum socio suo Theodoro ad Lycum fluuium peruenisse, & cum nauis ad traijciendum abesset, suasisse socio, vt longiùs secederet, ne nudus, erat enim amnis vadosus, ab eo conspici posset. Eo verò digresso, ille suppudu isset & seipsum contueri, ope diuina manu in alteram ripam delatus est. Adeò Deo placebat tantum pudicitiæ studium. Certè gratũ esse Deo mortificationis studium in hoc genere inde perspicuum sumitur argumentum, quòd infestus omnium bonorum hostis dæmon nulla in re magis laboret, quàm in impediendis talium hominum conatibus.

S. ANSELMO pius monachus erat, qui ad mortificandum se animo decreuerat à contactu corporis proprij mulierum abstinere, etiam licito, & sedulò seruabat. Dæmon verò inuidens tam sancto

sancto proposito, pondere graui corpus eius afflixit, vt eum proliceret ad illud manu tangendum: verũ ille propositi tenax, attingere noluit. S. Anselmus verò certior redditus, corpus hominis inspexit, ac deprehendit non esse nisi impostturam dæmonis mortificationem illam molestè ferentis. Primùm itaque in quo consistit mortificatio sensus tactus, est, omnia quoad licitè & commodè fieri potest, oblectamenta illi adimere. Deinde illum affligere perferendis aliquibus rebus molestis, vt frigore, æstu, labore, nuditate, genuflexione disciplinis, alijsque asperitatibus, vti sancti Dei, vt iam dicemus, fecerunt.

CAPVT XXVI.

De variis mortificationum modis, quos sancti ad mortificandum sensum tactus vsurpârunt.

QVONIAM exempla plus mouẽt, quàm verba, piamque doctrinam probabiliorem reddunt, maximè si doctores ipsi factis testentur

tur, quod verbis docent, idcirco exh
hactenus ex sanctorum doctrina osti
derimus, quanta sint mortificationi
sensuum merita apud Deum, dein
ceps idem nonnullis corroboratum
exēplis, atq; ob oculos ponemus va
os mortificationū, quibus vsi sūt, m
dos, vt quisque cā rationē mortificā
sequatur, quam suis viribus, statuiq
suo, adhibita in consilium discretio
ne, magis conuenientem animaduer
terit: Et quanquam sanctis quibu
dam variæ mortificationes familiar
fuerint, nos tamen breuitatis caus
præcipuas tantùm quasdam in me
dium proferemus, ac summam tan
tùm narrationis, notato fonte vnd
cetera hauriri queant, perstringemus.

VSITATA sanctis fuit mortificatio
per vsum ciliciorum, exsetis vel pil
animalium contextorum, quę vel co
tinenter ad nudum corpus, vel certis
diebus, quantum voluntas vel fanitas
cuiusque postulabat, tulerunt.

Gaufrid. in vita. S. LVDOVICVS Francorum rex, cu
tenero corpore esset, tamen asperiu
nem domabat cilicio, vel cum valet
do non ferret, ex consilio Confeſſo
ri

rij cum alia pœnitentia commutabat.

S. ZENOBIVS Episcopus Florentius, licet à parentibus nobilibus delicatè enutritus esset, tamen postquam Deus ei oculos mentis aperuit, omnibus corporis commodis renunciauit, magnaque seueritate carnem afflixit, atqs imprimis cilicio; nec, cum ad Episcopatum, hoc est, ad grauiores labores esset euectus, quicquam de priori asperitate detraxit, sed potius adauxit. *Ioan. Aretin. in eius vita.*

S. PAVLINVS Episcopus Nolanus, qui ex ditissimo pauperrim' factº est propter Christum, cilicio ex pilis camelorum consuto carnem domuit: cuique Seuerus Sulpitius singularis eius amicus aliquandò cilicium illi misisset, magnas ei gratias egit, vsum eiusdem, cæterarumque asperitatum per epistolam valdè collaudans. *Paulin. ep. 10. ad Sulp.*

S. EDMVNDVS Cantuariensis Archiepiscopus à puero ex materna disciplina vsus est cilicio, & cum Parisios studiorum causa amandaretur, bina secũ detulit, ac quoties mater recẽtia ei mitteret indusia, cilicioluũ quoq; addebat, suadens

suadens vt quaque hebdomada bi-
duo triduóue eo vteretur.

ALII sancti non contenti cilicijs et
equinis crinibus, setis vel pilis contex-
tis, corpora sua castigârunt loricis ferreis, vt S. GVILIELMVS Aquitaniæ dux,
qui post conuersionem suam vsq; ad
obitum eam deportauit. Et B. Domi-
nicus, ab eadem dictus Loricatus. A-
lij vinculis ferreis colla, humeros, bra-
chia, lumbos onerârunt, vt Theodo-
sius, Eusebius, Iacobus, & alij, quorũ
meminit in historia religiosa B. Theo-
doretus.

Theobald. in eius vita.
B. Damian. in eius vita.

Quanquam verò hæc exempla nõ
omnibus imitanda sint, tamen nos
tò nobis quoque, sicut certamina Mar-
tyrum, spectanda proponuntur, vt de-
cernimus quàm atroces contumelias
& cruces, atque adeò mortem durissi-
mam, deuictis tyrannis, pro Christo
constanter perpessi sint, animemur ad
patienter libenterque tolerandas le-
uiores iniurias & cruces; ad expugnã-
das perturbationes iræ, gulæ, superbiæ, aliasque similes.

Vsurpatæ quoque crebrò fuêrũ à
sanctis disciplinæ, hoc est, flagella è vi-

gis vel funiculis nodosis confecta B. Surius in
ODO deserta seculari militia quotidiè vita.
ijs carnem spiritui subijciebat. S. NICO S. Godfr.
LAVS Tolentinas inter cæteras pœni- Idem in
tentias, quas frequentabat, duris dis- septento.
ciplinis corpus diuexabat. S. BRIGI- Idem in
DÆ parens Birgerus, licet nobilissi- Inl.
mus & è stirpe regia, quoque die Ve-
neris ad glorificandū in corpore suo
Christum acriter in illud sæuiebat; vn
de & sancta prole à Deo donatus est,
nempè S. Brigida. Fuêre & alij homi-
nes, Dei qui non ipsi modò se diuerbe
rârūt, sed etiam ex humilitate ab alijs
cædi voluerunt. Vt S. Laurentius Ar- Sur. in
chiepiscopus Dublitensis in Hiber- Nou.
nia, ex regia stirpe oriundus, qui à quo
dā familiari suo ter in dies singulos
actium ictus virgarum tergo excepit.
Quod idem legimus sponte S. Tho- Sur. in
mam Cantuariensem post initum E- Decemb.
piscopatum à suo diacono quotidie
perpessum. S. Dominicus ordinis Prę Sur in
dicatorum institutor, non contentus Aug.
qualibet nocte catena ferrea corpus su
um tribus ictibus ferire, semel pro se, i
terum pro peccatoribus huius mun-
di, tertiò pro animabus in Purgatorio

existē-

existentibus; ab alijs quoq; volebat eidem diuerberari. Hoc mortificationis exercitium ideò illi sancti & alij suscepere, quòd arbitrarentur maioris humiliatis esse, ab alijs, quàm à semetipsis flagellari; simulque nimiæ verecundiæ velamentum detrahebant illis, qui idcirco à sui diuerberatione abstinebant, ne si ad aliorum aures perueniret, irriderentur. Quæ tentatio dæmonis est, & ideò vincenda

Surius in Aug.

MORTIFICARVNT se quoque sanctæ rationes lecti. S. Audoenus Rothomagensis Archiepiscopus in asperis virgultis somnum capiebat. B. Andreas Fesulanus Episcopus in sarmentis. S. Iuo in nodosis virgis. S. Radegundis regina cilicium in cinere pro lecto vsurpabat, remota commoditate plumarum, & linteaminum. S. BRIGIDA inter alias pœnas voluntarias, quibus per annos triginta corpus suum afflixit nocturnis horis in simplicitate pete humi decubuit, vt ad precandum semper parata esset; nec lecto vtebatur, nisi vrgente nimio frigore.

Sur. in Iul.

AM & in habitatione occasionem

mortificandi se quæsiêre. Multi enim incluserose casulis perexiguis & angustis, in quibus magno æstu torrebantur, alijsque cæli iniurijs vexabantur, sed illi solis inferni cruciatibus mentiobiectis fatebantur, ista tolerata facilia, multò autem magis cum oculos erigerent ad immensa cælorum spatia, quæ in omnem æternitatem erant inculturi. S. OLYMPIVS Abbas in specu iuxta Iordanem se. dem delegerat, in quo & ardoribus so lis valdè vrebatur, & culicum aculeis miserabiliter configebatur. rogatus autem, quomodo æquo animo tam incommodum locum perferre posset, respondit, se æstum patienter ferre, vt liberari posset ab ardoribus inferni; cu licum verò morsum ad præcauendum vermen conscientiæ damnatos in perpetuum morsurum. BANADAvir magna sanctitate vir, teste B. Theodoreto, tugurium longè corpore suo brevius, & aliquot partibus perpusium, sic vt nec imbres, nec radios solares arceret, incoluit, & rerum cælestium contemplationi suauissimè vacauit.

Prat. Spir. c. 144.

In hist. religi. c. 27.

VERVM neque defuêre homines Dei, qui tetris odoribus percipiendis se mortificârunt: propterea quod eos dis suauibus odoribus plus nimio in sæculo oblectassent. S. ARSENIVS enim à suis rogatus, cur aquam in qua palmarum folia molliebat & macerabat, non subinde mutaret, cum grauem & tetrum admodum odorem pueris facta naribus aspirarent, respondit. Ego me olim nimia suauium odorum fragrantia in perniciē animæ meæ oblectaui, nūc autem damnum compensare conor odoribus contrarijs.

ALIA mortificatio. Sanctus quidam ita cibis rerū insipidarum insperſis vel mixtione adimere omnem gustum vti faciebat B. Richardus confessor, qui panem auenaceum, quo vescebatur, cinere cōspergebat. & Sanctus Episcopus, qui nunc cinere, nunc frigida aqua cibos perfundebat. Idem faciebant in potu. nam B. Gregorius Lingonensis Episcopus, vt abstinentiam suam alios cælaret, aquam quam bibebat solitus erat modico vino rubere & sic nec aquam nec vinum gustabat. Dominus Ferdinandus de T...

Macul. l. 4. c. 2.

S. Bonau. in eius vita.

Petr. Vega in eius vita.

uera Granatensis Archiepiscopus, vir sanctitate conspicuus idem faciebat. nam denis aquæ partibus vnam tantùm miscebat vini, vt sic & vino & aquæ saporem eriperet. S. Arnulphus Episcopus, vt gustatum falleret, turbidam aquam bibere voluit.

Aliud genus mortificationis olim sancti suscepêre, & nunc multi retinent, vt nudatis incederent pedibus, & frigus, aliaque incommoda amore Dei libenter perferrent. S. GVDVLA Comitis Vitgeri filia, virgo licet tenera sine calceis etiam hyeme incedebat: ad vegendam autem hanc mortificationem, quoties in conspectum aliorum ventura erat, calceos quidem pedibus inducebat, sed sine inferiore solea. Idē fecit S. HEDWIGIS ducissa Polonię. Nōnulli sancti totū vitæ tempus, vel magnam eius partem sine vllo corporis integumento, nulla cæli inclementia absterriti traduxêre, noctu diuque errantes in montibus & solitudinibus, sanctissimisque cōtēplationibus cælo inhærentes, vt fuêre sanctissimi quique eremitæ, Macedonius, Iacobus, Simeon, Daniel Stylita, S. Onuphrius,

Sur. in Aug.

Sur. in octob.

Onuphrius, S. Mariæ Ægyptiacæ, &c. lij multi eorum imitatores. Verùm hæc in commune imitanda non sunt, sed quatenus commouere nos queunt ad minora quædam nostræ imbecillitati congrua præstanda. B. Pater IGNATIVS Societatis Iesu auctor & parēs, admirificationes & asperitates quas vsurpabat, vt quod ter quotidie disciplinam faceret, quod tota hebdomade, Dominico die excepto, ieiunaret, & crebo solo pane & aqua cōtentus, quod humum caperet; hanc quoque addit, vt multo tempore nudis pedibus incederet, donec Compluti Episcopi Vicarius illi mandasset, vt induceret calceos, cui, vt verè humilis, parua

P. Ribadin. in eius vita.

Illa quoque mortificatio quibusdam placuit, vt licet natura ducente corporis nitorem & munditem amaret, tamē sui vincendi causa faceret contrarium. Scribit Beatus Athanasius de ANTONIVM eremitam nunquam corpus suum, licet cilicio tectum, lauisse, minus pedes', nisi quando opus erat flumen vadosum traijcere. S. Hieronymus quoque testatur B. Hilarionem in eius vita, saccum, quo semel

In eius Vita.

indutus, nunquam lauisse, ac putasse superfluum munditias in cilicio quærere. Diuus Gregorius Nazianzenus etiam inter laudes Beati Basilij & Sanctæ Gorgoniæ idem commemorat. De sanctissimo Abbate Aulentio refert Simeon Methaphrastes, in corpore eius nimia seueritate pœnitentiæ putrefacto enatos vermes, & tamen illum, si fortè in terram decidissent, in vetus vulnus reposuisse: qui vir ob crebra miracula tantum sanctitatis nomen obtinuit, vt Synodus œcumenica Chalcedonensis, quæ sexcentorum erat Patrum, vna cum Imperatore Martiano illum ad se euocârit, vt probatis S. Synodi decretis sua autoritate & præsentia hæreticos conuinceret. B. MARGARETA filia Hungarorum regis mortificandi corporis causa laneo tantùm vtebatur indusio, quod vix vnquam lauabat. cumque moneretur vt lauandum curaret, ne vermiculi nascerentur, respondit. Sinite quæso hoc corpus meum amore Christi à vermibus consumi. Idē alij multi sācti fecêre, quare notādū est, quod quāuis huius-

In eius vita.

Sur. in Iam.

modi facta politicæ munditiei adum-
ſa, ſi non ab ignauia, & ſocordia, ſed
mortificandi deſiderio orta ſint, laua
digna ſint, & Deo grata, vt docet
22.q.187. art.6. THOMAS, indiciuḿque dent animæ
vitijs & perturbationibus purgatæ, v
ſcribit S. Hieronymus ad Ruſticum
tamen qui ratione ſtatus & offic
quod gerunt, conuerſantur cum ho
minibus, remouere à ſe debent, qui
quid offendere poſſit proximum; n
ſancti eiuſmodi mortificationibus
ſi fuêre, niſi cum remoti ab homin
conſpectu in cœnobijs vel ſolitudi
bus degerent. Atque hæc ſufficiant de
varijs mortificationum modis, quo
bus quiſque deligere poterit, quos
ſtatui & conditioni, viribusque
corporalibus, quàm ſpiritalibus in
cârit magis conuenientes, & quos
cretio ipſa, & Patris ſpiritualis
lium magis probârit.

CAPVT. XXVII.

De mortificatione Linguæ.

GRAVISSIMA mala & dam
linguæ non refrenatæ, quæ dic

næ litteræ multis in locis patefaciunt, facilè ostendunt, quàm fructuosa necessariaque sit linguæ mortificatio. Ac primum, quamuis sacrarum litterarum stylus admodum sit moderatus, & ab nimia amplificatione alienus, tamen vehementer linguæ detrimēta passim exaggerat. *Lingua mala*, inquit, *multos commouit, & dispersit de gente in gentem, ciuitates moratas diuitum destruxit, & domos magnatum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit. Linguax mala mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam.* Hæc omnia Ecclesiasticus. S. IACOBVS quoque Apostolus graphicè malum linguæ exaggerat. *Ecce*, inquit, *quantus ignis*, id est quàm exiguus, *quàm magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, universitas iniquitatis*, hoc est, omnium malorum causa, quia ea comburuntur animæ. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus*, id est, omnia eius opera bona, & *inflammat rotam nativitatis nostræ in-*

Eccl. 28.

flammata à gehenna, id est, inflam-
mat totum vitæ humanæ cursum
prima ætate vsque ad obitũ flamma
culpæ & pœnæ æternæ. Pergit B. Ia-
cobus. *Linguam enim nullus homi-
domare potest, inquietum malum, ple-
na veneno mortifero*, quo anima &
corpus interimitur.

CVM ergò testimonio cælesti con-
stet, tot tantaque esse linguæ mala,
quidò apparet summam omnibus in-
cumbere necessitatem mortificandi
& coercendi illam, sicenim animam
suam ab omnibus incõmodis iam dic-
tis immunem reddet. vnde Dei per
sapientem dixit: *Qui custodit ia pro-*
Prou. 19. *custodit animam suam*. Et rursus
Prou. 21. *Qui custodit os suum, & linguã suã,*
custodit ab angustijs animam suam.
Bestiam feram & indomitã, vt leonẽ
vel tigrẽ, æquissimũ est diligenter cu-
eludi & custodiri: at lingua, teste B. Ia-
cobo, feritate superat omnes bestias:
nulla enim bestia est, quę industria h
mana domari non queat, at linguam
nullus hominum domare potest. Ne
fiię vinculis solutæ nõ aliud damnũ
faciunt, quã quod corpora aliquando

dilacerent,& sæpe dominis suis parcunt: at lingua habenis suis soluta invadit animas immortales,& licet eis non eripiat vitam naturalem, tamen eripit supernaturalem gratiæ,quod deterius est, quàm si eam in nihilum redigeret. minus enim malum est non esse,quàm esse in peccato & Dei optimi max. offensione. Nec solùm damnum infert alijs, verùm etiam sæuit in suum dominum, eumque per summam tyrannidem è medio tollit. Sæpe namque contingit linguam malè mortificatam vnico verbo temerè profuso,omnibus anteactæ vitæ meritis, fructuosisque laboribus animam miserabiliter spoliare,& in ignes detrudere sempiternos.

Quam ergò æquum est hanc efferatam bestiam arctissimæ includere custodiæ,ne facilè in publicum prodeat, stragesque dictas faciat. Quod sapientissimè ipse naturæ auctor non obscurè nos docuit. Vt enim homo belluam ferocem caueæ ferreæ, vel loco altis muris circùdato includere solet, & licet ianuam caueæ vel muro adiũ-

gat, tamen vigilem & peritum simul custodem adhibet, qui nunquam emittat, nisi quando nocere nō valet: sic Deus linguam, tanquam in cauea & specum inclusit oñ humano, duplici vallo dentium & labiorum bene communito, ac licet ianuam per quā egredi queat, non negârit, tamen tantorem illi adhibuit peruigilem, ipsam rectam rationem, qui non sinit eam foras prodire, nisi quando alijs prodesse possit.

NEQ. solùm ab his tantis mala mortificatæ linguæ beneficio liberari possumus, sed etiā locupletari omnib' spiritalibus & veris bonis gratiæ & gloriæ: nam cùm homo naturā tam pronus & procliuis sit, ad quiduis prolibito effutiendum, non potest non plurimum apud Deum mereri, si proprietatem illam naturalem compescat, & à sermonibus vanis & inutilibus prorsus abstineat. Accedit, quòd si fermones vanos in pios & spirituales deinde commutet, indies in singula pene verba meritum, ac proinde gratiæ, virtutes, ipsamque gloriam in cælo mirum in modum adaugeat. Vnde scriptura

scriptura diuina dicit. *Vena vitæ, os iu-* Prou. 10.
sti. ex eo enim procedunt verba conciliantia salutem, & vitam spiritalem ijs, qui audiunt. Si cui prædium sit fertile, experientiaque didicerit, accessione culturæ vberrimum reddere fructum, quanto studio & diligentia illud inuisere, omnibusque rebus necessarijs, vt maiorem semper fructum ferat, instruere solet? Lingua bona prædium est spirituale & diuinum, quod si seruus Dei sedulò excolat, nobilissimos virtutum meritorumque fructus refundet. Omni ergo cura illud custodiat, herbas prauorũ colloquiorum in eo exstirpet, bonorumque & spiritalium verborum semina in illud injiciat, miserationumque & consolationum cælestium participem animam suam reddet secundum illud sapientis: *De fructu oris homo satiabitur bo-* Prou. 13.
nis, hoc est, quæ bono linguæ vsu promerebitur.

CAPVT. XXVIII.

De mortificanda inordinatione linguæ indetractione.

QVONIAM deinceps agẽdum est de ratione mortificandi linguæ inordinationes vel abusus, hoc primò sciendũ est, nos nõ agere de inordinationibus, quę peccati moralis notã manifestã habẽt, vt sunt iniurię & testimonia falsa, ac detractationes de grauibus criminibus, quibus homines redduntur infames; nam præsens tractatus pro seruis Dei scriptus est, qui dudũ per pœnitentiã tales lapsus expiârũt. Agemus ergò tãtũ de leuioribus linguæ inordinationibus, in quas etiã pij per incuriã vel tepiditatem labi solẽt. Hę enim mortificationem maxime habent, tum quod ab ijs negligentibus procliuis est lapsus in vetera peccata lethalia, iã semel deserta & depulsa, tum quod progressum in vita spirituali plurimum retardent.

Detractio. EX his linguæ inordinationibus prima est, Detrahere alijs ob lapsus & defectus leuiores proximi, qui nec infamem illum reddunt, nec cum caritate pugnant. Vt autem homo teneatur modum cauendi hoc peccatum, diligenter attẽdat ad eius radicẽ. Vna est, quia nobis à prima naturæ corruptio-

ne

maligna procliuitas censendi aliorum mores, vitiaq; aliena notandi. De qua S. HIERONYMVS ita scribit: *Tanta huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Altera radix est interna inuidia, quæ hominem contristat & mæstum reddit ob prosperos proximi successus, & idcirco ad imminuendam tristitiam, vbicunque potest, famam illius denigrare conatur. Postrema est occulta quædã superbia, qua homo de se præsumit, & anteponi vel certè exæquari vult alijs, atque eam ob rem conatur eorum nomen deprimere. *Ep. ad Eustantiam.*

Cum igitur hę sint detractionis radices & fõtes, hominiq; necessitas ingẽs incũbat illas exscindẽdi ex intimis cordis sui viscerib⁹, quid aliud expectãdũ est, si à veteri obtestandi consuetudine nõ discedat, nisi vt in grauissima se precipitẽ agat peccata? & impleatur quod dixit sapiens: *Labia insipientis præcipitabunt eum. Initium verborũ eius stultitia, et nouissimũ oris illius error pessimus.* Eccl. 10. quasi dicat: initium facit ab effutiẽdis

rebus leuibus, & augescente passione ac incuria paulatim progreditur ad grauiora, quæ Deum & homines offendunt. Deinde etiamsi detractio proximi fiat de rebus leuioribus, tamen contra voluntatem Dei peccatur, qui in lege sua omnibus imperat, vt bonum in verbis & factis alijs præbeant exemplum, & nemini sint offendiculo. at qui alijs facilè detrahit, conatur bonam eorum famam, qua exemplo bono alijs erant, imminuere; & destruit, quod Christus ædificauit; maximè cum sæpè contingat vt ex leuium defectuum narratione, qui viris bonis imponuntur, magnum oriatur scandalum apud eos, qui suspicantur cum leuioribus vitijs non posse non esse coniuncta alia grauiora. Accedit, quod etiamsi detractiones magni momenti non sint, tamen iniuriam aliquam proximo, cui detrahitur, inferunt; nã etsi famam bonam illi non prorsus eripiant, tamen minuunt, & despicabiliorem alijs reddunt, amorem quoque fraternum aliquandò diffuunt, & caritatis ardorem tepefaciunt.

CERTE maiorem in modum ca-

uendum

uendum est, ne quis audeat etiam in rebus p aruis alteri detrahere: nam fere fit, vt qui se assuefacit leuioribus exprobrationibus, data occasione, vel orta magna animi perturbatione, non verecundetur etiam grauiores lapsus palàm patefacere. Ac nonnunquam contingit, vt licet obtrectatio sit de re modica, tamen quia contra virũ magna sanctitate conspicuum fit, aut contra Superiorem, grauissimè diuinam offendat maiestatem. MOYSES Æthiopissam quandam coniugio sibi copulârat. eam ob rem Maria eius soror vehementer succensuit, & questa est. At Deus molestè tulit hanc obmurmurationem Mariæ, & in pœnam lepra tam tetra eam, vt expendit B. Gregorius, contexit, vt breui tempore dimidiam partem carnium eius exederit. Cum sancto Proiecto Episcopo, ordinibus tantùm minoribus initiato, quidam amici genere nobiles aliquandò cænârant, inter quos tres viri pietatis studiosi, dum vel mortificandi sui causa, vel religionis ergò negant se velle carnibus vesci, alij verò conuiuæ ea de causa eos ludibrio habẽt. Proiectus irri-

Num. 12. l. 12. Regist. c. 13.

Surius in Ianuar.

uisores seriò commonuit, ne pio eorum instituto detraherẽt. verùm cum illi non æquis auribus admonitionem exciperent, Deus grauissima animaduersione obtrectatores puniuit. nam cænaculum, in quo mensæ accubuerant, quod erat in summa ædium parte, à fastigio ad imũ vsq; sectũ, diuisa in qua detractores illi consederãt, corruit, Proiecto cum alijs tribus socijs in columi & saluo in sua. Ex quo casu discimus, magnũ studium ponendũ esse in praua illa inclinatione de alijs male loquendi mortificanda, audiendamq; vocem spiritus sancti sic nos alloquẽtis. *Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* Præcipuè autem laborandũ est ne obloquamur Prælatis, superioribus, & Dominis, etiamsi recta culpa non careant, nam & grauiùs peccamus, & damnũ maius incurrimus. Vnde magna verborũ exaggeratione scribit B. GREGORIVS. *Admonẽdi sunt subditi vtriusq; ordinis viri, vt cũ magistrorũ facta conspiciunt, ad suum ne rodeant, & de eorum increpationibus*

Sup. 1.

Lib. 12. regist. c. 31.

nõ præsumãt, quia nõ est discipul' super magistrũ, nec seruus super Dominũ suũ. Matt. 10.

CAPVT XXIX.

De mortificando abusu detegendi arcana.

ALIVS linguę abusus est, patefacere arcana, vel quę in secreto audita sũt, vel certè silentiũ postulant, non quidẽ quãdo cũ zelo caritatis patefacta sũt ei, qui malo mederi potest, aut zelo iustitiæ ei, cui ratione iurisdictionis incũbit illa cognoscere, sed alijs quibus neutra conditio inest; idq; facere, nõ alia de causa, quã quia ita collibuit, aut vt gratia aliqua apud audientes inatur; hic enim abusus corrigendus est, & studio mortificationis tollẽdus.

ET sunt quidam in hoc genere tam leues, vt quoties in secreti alicuius notitiã venẽre, cõtinere se nequeãt, quin confestim illud prodant suis amicis, imò cupidi sunt talium rerũ expilcandarũ, tantũ vt alijs postea cõmemorẽt, ac deniq; faciunt cum magno auditorũ offẽdiculo, dũ sæpenumerò fit, vt præsentes adsint de quibus sermo instituitur. Hi sunt, inquit Scriptura sacra, similes mulieri parturiẽti, quę vbi Eccl. 19.

hora

hora partus aduenerit, non potest ri
parere: & infantibus, qui simulatq;
nati sunt no possunt se continere à la
crimis, ac denique cani sagittâ cõfixo,
qui quiescere nequit, nisi sagitta extra
cta. Sic illi non antè quietem capere
possunt, quàm arcanum suum in alie
num sinum effuderint. Et sæpè cupi
ditate multa effutiendi eò feruntur,
vt non solùm visa & audita narrent,
sed etiam quæ de alijs suspicantur &
imaginentur, licet reuera ignorent
facta esse. Atque hi sanè silentij ani
doto prorsus indigent, ad superandã
nimiam loquacitatem, & opus habet
audire illud Spiritus sancti dictum.
Eccli. 19. *Audisti verbum aduersus proximum
tuum, commoriatur in te, fidens quo
niam non te dirumpet.* Loquitur autẽ
de verbo arcano ex cuius diuulgatio
ne nullus sequitur fructus: nam si pa
tefiat ei, de quo dictum, non sequitur
de vera virgin. nisi contristatio, si autem alteri, sequi
tur infamatio. Vnde B. BASILIVS anno
tauit, naturam, hoc est, Deum naturæ
auctorem binas aures quidem, sed
linguam tantùm vnam dedisse, vt in
telligeremus non omnia quæ audiun
tur

tur, esse enuncianda, sed quædam, vt sunt arcana, tegenda silentio. *Qui de-* Eccl. 27.
nudat, inquit scriptura, *arcana amici, fidem perdit*, id est, fidelitatem, quam debet Deo & hominibus.

CAPVT XXX.

De alijs linguæ abusibus, vt mendaciorum & fictionum, corrigendis & mortificandis.

MVLTI eorum, qui Deo seruire cœperunt, operam quidem collocant in cauendis mendaciis proximo perniciosis, sed non in cauendis iocosis, minus autem in iis, quæ prosunt alicui, vel damnum tollunt, imò non desunt, qui arbitrentur se non peccare, si vtiliter mentiantur. Hęc praua affectio singulari cura mortificanda est, nullum præstando locũ mendacio siue iocoso, siue fructuoso. Certissimum enim est quodeunque uendacium veri nominis esse peccatum, quo Deus offendatur: ac proinde neque ad liberandum aliquem

à morte

à morte iniusta, neq; ad saluandam alicuius animam mẽdacium vllum dici potest, imò etiamsi totius mundi salus periclitaretur, illa per mẽdacium, aliudué illicitum medium procurari nõ posset. Et dogma Catholicum est, nullo in casu licitum esse mentiri, contrarium autẽ erroneum: nam diuina scriptura apertè damnat mẽdacia. *Perdes omnes*, inquit Psalmista, *qui loquuntur mendacium*. Sancti quoq; omnes ita docent. & Innocentius III. Papa in quadam epistola decretali diserè affirmat, secundum doctrinam scripturæ sacræ ne mentiendum quidem esse pro seruanda alicuius vita. atq; hic vt per in Ecclesia seruorum Dei spiritus fuit, potius iacturam facere rei temporalis, quàm mendacio Deum offendere, vt testãt' S. AVGVSTINVS, & S. GREGORIVS, dum aiunt homines perfectos ne quidem ad liberandum à morte proximum induci posse, vt mentiatur; quia non est vita animæ ponenda pro vita carnis. Deinde etsi incogitatè proferre mendacium sit leuioris culpæ, quàm proferrè considerate, tamen quia intimo pectore diligebat veritatem

c. Super eo de Vsuris.

Psal. 5.

22. q. 2. c. de quis.

Greg. l. 18. mor. c. 4.

veritatem, ab vtroque abstinuisse. Nar Surius
rat Simeon Metaphrastes Anthemi- Aprili.
um Nicomediensem Episcopum sa-
uiente persecutione Maximiani Impe
ratoris, satellites, à quibus ad necem
quærebatur, hospitio excepisse, cibiq;
& potus affatim apposuisse, cumque
illi percunctarentur ab eo, vbinam es-
set Anthemius, confessum se esse: tum
milites caritate illa obstupefactos sub-
iecisse, se confecto mendacio respō su-
ros tyranno, Anthemium quidem à
se quæsitum, sed non inuentum. An-
themium denique contrà obtendisse,
fas non esse pro vita cuiusquam men
tiri; itaque comitatum illos & marty-
rem factum. Quod si pro vita homi-
nis innoxij mentiendum non est, quā
tò minus pro rebus leuioribus vt pro
auertendo exiguo damno temporali,
vel mitiganda alicuius iracundia?

Etsi verò mendacia otiosa vel officio
sa, quæ nulli nocēt, sint peccata venia
lia, ac ratione culpæ, quā annexam ha-
bent, à seruis Dei, sedulò cauenda, ta-
men inter omnia venialia vel leuiora
mēdacia primas obtinet. nā prim⁹ mē
dacij auctor est diabol⁹, & ideò Christ⁹

apud

apud B. Ioannem eum vocat mẽdacem, & mendacij patrem. Quotquot ergo mẽtiuntur, sunt eius imitatores, & de eius factione. Deinde licet dicta mendacia non cedant in damnum alicuius particulare, tamen cedunt in damnum commune totius Reipub. Nam in republica ad negoitationes aliasque commercia tractanda imprimis necessaria est veritas & fidelitas; quæ duæ virtutes, sunt quasi vincula & nervi communicationis humanæ; nemo enim facilè contractum aliquem cum alio init, nisi existimet sincerè illum sic qui & agere, ac verè fidelem. Si ergo deprehendatur quis semel in rebus, licet leuioribus, mentiri & fidem fallere, mox suspicio oritur illum etiam statutum fortasse in grauioribus. Vnde diuina scriptura: *Opprobrium*, inquit, *nequam in homine mendacium, & mores hominum mendacium sine honore*. Hoc idcirco de mendacibus spiritus sanctus dicit, quia per consuetudinem mendacij reddũt se contemptibiles, & fide indignos. Sicut enim res naturales, quæ adulterinæ sunt & notheæ, vt aurum vel argentum adulterinum

Ioan. 8.

Eccli. 20.

rinũ, licet speciem auri argentiué mẽ
tiantur, exigui sunt pretij & repudian
tur; sic illi qui mentiẽdo alios fallunt,
aliud in ore, aliud in corde habentes,
facilè contemnuntur, & nihili fiunt.
Hæc ratio facilè nobis ob oculos po-
nit, quanta sit fœditas etiam in leui-
bus mendacijs, quamque indigna sint
homine Christiano, & multò magis
religioso & seruo Dei perfectionis stu
dioso: dubium siquidem non est, sine
comparatione longè deterius esse, ha-
beri aliquem mendacem in conspectu
Dei, ac haberi tantùm in opinione ho
minum: cum ergò tantoperè horrea-
mus mẽdaces haberi apud homines,
quantò potius horrere debemus, ne
habeamur apud Deum, licet homini-
bus nihil de eo constaret? illud enim
pœna tantùm est, hoc autem vera cul-
pa & vera infamia. Quocirca simus di
ligentes in fugiendo quocunque men
dacij genere, & in passione, quæ ad il-
lud inclinat, mortificanda, obsequen-
do S. Paulo Apostolo nos commonen
ti in hæc verba. *Renouamini spiritu mentis vestra, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in* Eph 4.

sanc-

ſanctitate veritatis. Propterquod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.

ALIA inordinatio ſuperiori connexa, eſt, ficto vel amphibologico ſermone, cui alia ſubiecta ſit ſententia apud audientem, quàm apud dicentem. qua quidem arte nonnulli conantur effugere mendacij noxam, ſed incidunt in foueam, quam alijs fodiunt; niſi iuſtis de cauſis id faciant. Quando enim verba geminum ſenſum habere queũt, ac iuſtitiæ vel charitatis tuendæ cauſa à dicente alio ſenſu enuntiantur, quàm ab audiente intelligantur, nulla fraus reprehenſione digna committitur. Exempli cauſa. Sumno diluculo quiſpiam domo pedem extulerit, & paulò poſt reuertenti occurrat ſicarius & percunctetur ab illo domus incola, ſitne ille domi. poteſt ille citra mendacium, ſeruandæ eius vitæ cauſa, reſpõdere, sũmo mane egreſſum. Licet enim mẽtiri nusquam fas ſit, attamen in caſu neceſſitatis

Aug. in Pſalm.

celare veritatem, teſte Auguſtino, ea-

ſa-

fas non est: idque declarant Scholæ Theologi verùm esse, quando verbis secundum vsum loquendi hominum duplex subest intelligentia, iustaque & grauis causa suppetit, cur alio sensu enuntientur, quàm forte ab auditoribus accipienda sint. At si nulla suppetat, hoc est, si nullum incommodum in nos vel alios ex responso nostro redundet, non est causa, cur amphibologia illa sincerè rogantem eludamus, imò pugnat cum puritate & simplicitate non solùm religiosa, sed etiam Christiana, & est nota hominum fictorum & duplicium; impeditque nõ raro, æquè ac vsus mendaciunculorum, fidem & cõcordiam hominum. Quis enim fidem præstet etiam seria affeueranti, à quo ambiguis crebrò sermonibus circumuentus est? vnde diuina scriptura de talibus dicit.

Qui sophisticè loquitur, odibilis est, nempè Deo, angelis, & hominibus.

S. Thom. 2.2. q. 89. a. 7. & ib. Caiet. Soto. l. 8. de iust. q. 2. a. 7.

Lanspergius hom. 18. de passio.

Eccl. 37.

CAPVT XXXI.

Quomodo mortificãda sit cupiditas ostendendi & vindicandi.

ALIA

ALIA inordinatio linguæ, in quam boni labi solent, cum ingenti animæ suæ damno, est, contendere cum alijs, sitne verum hoc vel illud? fuerit id factum necne? debuerit hoc fieri vel contrarium: & de alijs id genus. Radix huius vitij in quibusdam est nimia honoris humani cupiditas, & hinc fit, vt dum sapientiæ famam in suis dictis vel factis aucupantur, pro ea tuenda etiam sublato clamore pertinaciter contendant. In alijs verò radix est nimium desiderium cõgerendarum opum, aliarumque facultatum temporalium: vnde fit, ne iacturam aliquam earum sustinant, vt lites cum alijs inire non reformident, & omnia commoueant tribunalia. Alijs etiam hoc vitium inest, ex naturali quadam procliuitate, sed detterrima omnibus contradicendi, aliorumque dicta vel facta carpendi, vnde mox, dum alius molestè ferre temerariam censuram, succedit lis & bellum.

Hoc vitium seruo Dei omni studio mortificandum & radicitus exscindendum est. Et quamuis de eo aliquid dixerim

dixerimus in Tractatu de mortificatione propriæ voluntatis, cò quod ad caritatem concordiamque animorum inter proximos cõseruãdam hoc argumentum prorsus sit necessarium, tamen nonnulla hiç adiungemus. Quando contentio orta est, non in disputationibus scholasticis, quæ ad litterariam exercitationem pertinent, sed in congressibus quotidianis & familiaribus, idque non de re clara & euidenti, sed ancipiti; variisque hominũ opinionibus ventilata, tunc homo, etiamsi suam verissimam existimet sententiam, non tamen asseueranter eam vel pertinaciter tueatur contra aduersarios, sed quiescat, cogitetque se quoque falli posse, sicut multi sapientes ante ipsum in simili genere decepti fuère, ac ipsemet non semel deceptus est, atque ita caritatem & beneuolentiam, quam habet cum antagonistis suis, nõ dissoluet, & bonum exemplũ dabit auditoribus. Quod si res, quę cõtroueritur sit manifestè vera & indubitata, cò quod rationi naturali, vel diuinæ legi, vel Sanctorum & Doctorũ dictis sit consentanea, tunc homo cũ

debita humilitate & mansuetudine ad
seueranter veritatem tueri debet, &
suę sententiæ rationem reddere: quã
si alij sibi persuaderi minimè sinant,
sed constanter obluctentur, taceat, &
dissimulet, vel sermonem ad alia transf
ferat, maximè si disceptatio fuerit de re
ad salutem non pertinente, sic enim
plus proficiet, quàm si seriò susciput
patrocinium veritatis. Atque hoc est,
Phil. 2. quod D. PAVLVS tanta verborum effi
cacia postulat à fidelibus. *Si qua, inqui*
ens, *consolatio in Christo, si quod solá*
tium caritatis, si qua societas spiritus,
si qua viscera miserationis, implete
gaudium meum, vt idem sapiatis,
eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per
contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi
inuicem arbitrantes. non quæ sua sunt
singuli considerantes, sed quæ aliorum.
Quibus verbis perspicuè declarat quo
antidoto sanare spiritum contendendi debeamus.

HVIVS rei notabile exemplum habemus in diuina Scriptura. Videbat pro-
pheta Elisæus Eliam prophetam cu-

rui igneo per turbinem rapi in cælum, vt deponeretur, quemadmodũm creditur, in paradiſo terreſtri. Et mox eũ adierunt viri quidam religioſi, dicti filij prophetarũ, rogantes, vt quinquaginta viros fortes, quos ſecũ habebãt, emitteret ad quærendum in vicinis montibus, vallibuſue Eliam. Cumq; Eliſæus indicaret, fruſtrà laborem illũ ſuſcipi, ac ipſi vrgerent miſſionem, tãdẽ, vt contentioni cederet, aſſenſit vt mitterentur. Vt reuerterunt ſpe ſua fraudati, dixit ad eos Eliſæus, *Nũquid non dixi vobis, ne mitteretis?* Hoc exemplum meritò imitari debemus in quotidiana conuerſatione cum proximis, vt quando in noſtram veriorem eos ſententiã trahere non poſſumus, omiſſa omni lite, vbi nullũ peccandi periculum eſt, libenter illis acquieſcamus. Ratio huius rei eſt perſpicua; reſciſſa enim contendendi materia, cauẽtur ſimul multæ auerſiones, rixæ, amaritudines, detractiones, & verba probroſa, quæ hincindẽ in æſtu cõtẽtionis iactari ſolẽt; cõſeruatur quoq; pax & animorũ vnio, quę præſtat omnibus cõmodis, quę ex cõtẽtione ſequi poſ-

4. Reg. 2.

sūt. Ad hęc, qui primus in cōtentione alteri cedit, quasi victus, singulare actum humilitatis exercet, & cum proximo caritatem, posthabendo illius iniuriam suæ. Quanquam, licet victus forte alicui videri possit, tamē honorem non excidit suo, imò honorem maiorem conciliat. Verus enim honor Christiani est, persequi ea quæ sunt cum praestantiori virtute cōiuncta, & quæ maiori in pretio sunt apud Deum, vt est virtus caritatis & humilitatis. Ita sacra Scriptura docet. *Honor*, inquiens, *homini, qui separat se à contentione.* Prou. 20.

QVANDO verò contentio oritur in disputationibus litterarijs, in quibus sæpè acerrimè dimicatur pro exequenda veritate, excessus quoquo modo mius cauendus est, hoc est, vt ne attollantur clamores, ne verba probrosa effutiantur, ne ad pudefaciendum antagoniſtam vel ad reportandam victoriam, sed tantùm ad cognoscendam veritatem cum modestia & mansuetudine, solidis argumentis allatis, disceptatio instituatur. Veritate verò semel clarè exposita, vel si argumentis aut testimonijs ad prosequendam dispu-

disputationem argumentator destituatur, tacendum est, nã inutilis contentio non illustrat, sed obscurat potius veritatem, vt benè animaduertit Dionysius Richelius in Iob scribens, sicut obscurat & obnubilat rationem. Vnde & Iob dicebat amicis suis, *Respondete obsecro absque contentione.* Iob. 6.

NEQ. solùm cauendus est nimius oppugnando excessus, post inchoatã contentionem, sed radix etiam contẽtionum, hoc est, cupiditas illa aliorum dicta vel facta improbandi, euellenda est. Quare quotiescunque proximus noster quippiam dicit vel facit, quod aliquo modo in bonam partem exponi potest, aut quando aliquid dicitur, vel fit, quod reprehensione caret, siue hoc modo, siue alio dicatur, aut fiat, tũ seruo Dei cõuenit tacere, & ab omni oppugnatione se cõtinere. Id enim ipse spiritus sanctus consuluit, dicens. *De eare, qua tenõ molestat, ne certeris.* Eccl. 8. quasi dicat. De alienis dictis vel factis, quæ ad te non pertinent, hoc est, nec offendunt Deum, cuius gloriam tenetis defendere, nec iniuria te, vel eos quos tueri debes, afficiunt, cum nemi

ne contendas. Breuiter, seruorum Dei mores debent esse ab omni contentione & dissensione alienissimi, vt commonefecit eos B. PAVLVS, dicens. De 2. Cor. 13. *cætero fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.*

CAPVT XXXII.

De inordinatione linguæ, quoad verba otiosa, eiusq; mortificatione.

INORDINATIO vel abusus linguæ ordinarius & communis, in quo etiam impingunt, qui Deo seruire cœperunt, est effutire verba otiosa & vana. Primò haud dubium est, neminem otiosum non carere culpa, si non mortali, saltem veniali, ob quam homo, licet iustus, grauissimas Purgatorij luiturus est pœnas. Vt verò intelligamus, quanto studio & vigilantia nobis, quoad fieri potest, cauendus sit lapsus, vel offensa venialis contra Deum, attendamus quanta verborum grauitate apud D. Matthæum CHRISTVS salua-

saluator noster de iudicio, & verborũ otiosorum punitione locutus sit. *Dico autem vobis*, inquit, *quoniã omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* quasi diceret. Ego qui Deus vester sum, de ea re vos moneo, audite magna attentione, quia seriò commendo, & magno studio à lapsibus linguæ, licet videantur vobis leues, cauete. quia in die iudicij non de aliquibus tantũ verbis otiosis, sed de omnibus, siue grauioribꝰ, siue leuioribꝰ estis rationẽ reddituri, nõ vt illa vobis cõdonẽtur, sed vt propter illa iudicemini & puniamini. *Matt. 12*

Quo autem constet, quæ dicantur verba otiosa tantoperè fugienda, videamus quid sit verbum otiosum. Verbum otiosum est, inquit, B. GREGORIVS, *quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intẽtione piæ vtilitatis caret.* Quãdo ergò verba nostra sũt necessaria ob bonum aliquẽ finem, non sunt otiosa: non solùm quando finis absolutè obtineri nõ poterat sine illis verbis, sed quãdo cõmodè nõ poterat, vtrũq; enim nomine necessitatis cõprehẽditur. Similiter otiosa nõ sũt, quę cedunt *3. p. Pastor. admon. 15. Et hom. 6. in Euang.*

dūt in dicētis vel audiētis spiritalē pro
fectum, id enim appellat piam vtilita-
tem. Vnde S. BASILIVS. Verba otiosa,
reg. bre-uior. q. 23. inquit, sunt, quæ nullum adferunt fru
ctum, hoc est, quæ nō seruiunt vel ad
præstandum cultum diuinum, vel ad
Hier. in c. 12. Matth. procurādā animæ salutem. Et S. HIE
RONYMVS in eandem sententiā alicubi
dicit, Verbum otiosum esse, quod pro
fertur sine vllo dicentis audiētis ue fru
ctu: vt cum omissis historijs vera, nu
ramus fabulas, & res nullius momēti
si verò narremus res fœdas & permix
tas, aut cū immoderato cachinno, quę
piorum offendant aures, tum, inquit,
sermones nostri, non velut otiosi, sed
vt grauioris culpæ rei castigabuntur.

HÆC quamuis certa sint, tamen
negandum non est, si quis fabulam,
facetumue aut festiuum aliquem ser-
monē de re adiaphora vsurpet, non
audi ægri, vel solandi mœsti causa, nō
cum verba otiosa prolaturum: quā-
quam consideratione moderationeq;
magna in hoc genere opus est, vt
huiusmodi sermonibus non solū cor
poralis recreatio, sed etiam spiritualis
quæratur, hoc est, ne animæ noceant,

sed

sed prosint potius. Si enim tantùm ad voluptatem aurium corporalem efficiendam dirigantur, vix fieri potest, quin multa verba otiosa, ac fortè etiã animæ noxia interijciantur. Ob quod periculum sancti homines tanta vigilantia fugiebant otiosa colloquia, vt Metaphrastes scripserit B. Ioannem Chrysostomum nunquam vsum fuisse sermonibus superuacaneis & vanis, nec in alijs perpessum. De hac moderatione verborum scribens B. VINCENTIVS Ferrerius hortatur, vt lingua prorsus ab otiosis abstineamus, nec rogati quidem, nisi de necessarijs & vtilibus respondeamus: & si recreationis causa, ne sit molestus, perfacetum & ridiculum sermonem quis ingerat, benignos quidem & comes nos prebeamus, sed nihil omninò respondeamus: & si grauatè feratur silentium, patienter toleremus, & intus in corde pro illis Deum oremus.

MOVERE autem debet seruum dei ad cauenda verba otiosa imprimis iudicium, quod liber erit à multis peccatis venialibus, quæ per sermones otiosos committũtur. Ad effugiendum enim

vel vnicũ peccatum veniale, cò quòd sit offensa Dei, meritò deberet homo non solũ omnibus temporalibus mundi consolationibus se priuare, sed etiã ad quasuis huius vitę pœnas & calamitates perferẽdas offerre: quãtò magis id faciẽdũ esset ad cauenda tot peccata venialia, quot otiosis colloquijs committũtur. quodlibet enim verbũ otiosũ est peccatum veniale. Quãuis verò quę nostra est fragilitas, nõ possimus euitare omnes sermones otiosos, *Cap. 3.* *Quis enim in nullo offẽdit*, inquit B. Iacobus, *hic perfectus est vir*: vitare tamẽ possumus illos, qui data opera & deliberato atq; ideò grauioris sunt noxę, subiecti instituũtur. Oquãtũ Deo placet sibi refrenãdi linguã, ne aliquid cõtra hanc diuinã maiestatẽ temerè effutiat, quippe qui illã creauit, illi spiritũ dedit, & iugo rationis subdidit, vt laudare & glorificaret ipsũ, vt faciebat sãctus ille, qui dicebat. *Laus eius sẽper in ore meo.* *Psal. 33.*

HÆC quoq; cura efficiet, vt nõ otiosis tantũ, sed etiam noxijs & pernitiosis colloquijs abstineamus: certũ enim est, vbi semel linguæ habenas laxauerimus ad sermones otiosos & vanos,

nos, prono cursu deuolui mox ad que relas & murmurationes aduersus proximum, ad nostras laudes extollēdas, & deprimēdas alienas, ac denique ad patefacienda, quæ alto silentij arcano tegenda erant: siquidem quouis peccato minor homo disponitur, vt tentatione dæmonis impulsus, facilius labatur in grauius. Etenim, velut is qui precibus, alijsué operibus bonis vacat, paratior fortiorque, est ad insultus Satanæ expugnandos; sic qui re vana exponenda, spectandaué detinetur, aut cibi potusué sectatur delitias, vel loquitur otiosa, imbecillior est ad impetū dæmonis sustinēdum, & facilè in graue aliquod crimē præceps agitur. Hęc doctrina est B. GREGORII Magni.

OTIOSA deinde verba idcircò diligētius cauenda sunt, quòd animam pace & deuotione spirituali priuent. Quid seruis Dei carius pretiosiusq; esse solet tranquillitate & serenitate conscientię? quid feruore spiritus, consolatione & voluptate spirituali iucundius? quātū sudant ad consequēda hæc dona beneficio orationis ac mortificationis? & tamē sępenumerò horū omniū iactu-

Lib. 6. mor. c. 18.

rã faciunt, dum se plus iusto in verbo
otiosa profundunt. Quemadmodum
enim aqua odorifera, si inclusa sit vas
rectè obturato, suauitatis odorem re-
tinet, secus autem, perdit. Sic conscien
tiæ pax, & deuotio animæ actualis si
freno silẽtij in corde iusti, tanquam in
vase accuratè custodiatur, facilè conser
vatur, & hominem ad omne bonum
excitat, sin verò lingua ruptis silentij
repagulis in verba otiosa & vana solua
tur, facilè omnis spiritalis tranquilli-
tas, ardorque Deo seruiendi perit, ani-
maq; languescit & obtorpescit in cur-
su pietatis inchoato. Ac nonnunquã
vnum verbum otiosum hæc omnia
incommoda parit. Vnde S. Dorothe-
Serm. 26. vs, Caue, inquit, à multiloquio, quia
omnem sensum pietatis è cælo delap-
sum extinguit. dem diuinæ litteræ in-
culcant. *Vbi verba sunt plurima, ait Sa-*
Prou. 14. *piens, ibi frequenter egestas.* hoc est, de
fectus deuotionis, ardoris, & consola-
hom. 6. in Euang. tionis spiritualis. Et Gregorius sedu-
lò monet, vt otiosos sermones fugia-
mus, dicens. *Mecum vos admoneo, vt*
ab otioso sermone parcamus, inutilem
loqui declinemus, inquãtum reatus in-

gu

gua valemus, in ventum verba non defluant, cum iudex dicat, de omni verbo otioso rationem reddendam. Otiosa ergò colloquia ad ædificationis studiũ vertite, quàm celerrimè huius vitæ tempora fugiant considerate, quàm districtus veniat iudex attendite, hunc ante oculos vestri cordis ponite.

CAPVT. XXXIII.

Quibus medijs mortificandi sint linguæ abusus.

INTER media ad refrenandam linguam, comprimendamque cupiditatem multa loquẽdi, primum est, humiliter & constanter à Domino petere donum coërcendæ linguæ. Esse enim donum supernaturale Dei declarat sapiens, dum ait. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Licet enim naturalibus liberi arbitrij viribus, interueniente concursu Dei communi, homo debeat cooperari refrenationi linguæ; ideircò enim dicit, *hominis esse præparare animam*, faciendo nimirum quod in se est: tamen quia tam arduum & difficile est membrũ illud cohibere, vt om- Prou. 6.

nes humanæ vires satis non sint, nosse est ad auxilium diuinum confugere, & magno studio donum dictum expoſcere, dicendo cum Psalmista. *Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Psal. 140.

ALTERVM medium est, defugere occasiones temporum & locorum, vbi homo facilius se solet in nimiam effundere loquacitatem, vt quando se dedit nimiæ lætitię, quãdo plus æquo bibit, aut comedit, quãdo ira accensus est, quando cum hoc vel illo socio conuersatur. Vt verò non incidat in hæc incommoda, subterfugiat vanã omnẽ lætitiã, frugalior sit in cibo & potu, irę perturbationẽ comprimat; hi enim sunt otioſorum, vanorumq; ſermonum fõtes. Nec sanè mirum est ei, qui non cauet occasiones delinquendi, dum scit, euenire aliquod malum, siue mortis corporalis, vt dum negligit curationem morbi, siue spiritualis animæ: dictum enim est ab æterna sapientia: *Vita & mors in manibus linguæ.* Prou. 18.

IAM & aliud medium refrenandæ linguæ appositissimum de cælo habemus, vt nõ antè ad loquendũ prosiliat quis,

quis,quàm secum attentè expenderit, sitné bonum an malum, vtile vel noxium,quod est enunciaturus:quemq; finẽ & scopum propositum habeat. deinde simul mẽtẽ ad Deum erigat,cum desiderio omnia ad gloriã diuinã faciẽ di,opemq; & gratiã postulet,vt neminẽ sermone suo offendat.ac quod initio sermonis facit,id quoq; in progressu repetat.Et quoniã seruus Dei applicando intentionem suam ad ea quæ eloquitur, facit quod suarum est partium,orandoq; impetrat,vt Deus faciat quod suum est,hoc est,vt gratiã suã largiatur, facilè obtinebit quod vult, vt non offendat linguà vel Deum,vel proximum,sed potius ædificet. Sic de Nehemia scriptura diuina dicit, cum in conspectum regis Artaxerxis venisset,& rex percunctatus eum esset, quid à se peteret ? illum orasse Deum cæli,vt sciret quid petendum foret, & tunc petitionem suam proposuisse. 2. Esd. 2.

Hoc medium docuit nos spiritus sãctus.*Ne temerè* inquit,*quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendũ sermonem coram Deo*.q.d.nihil loquaris,nisi considerate.Nam vt alibi dicit. Eccl. 5.

Qui

Prou. 23. *Qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala*, hoc est, culpæ, & pœnæ,

Iac. 1. quæ inde oriuntur. Atq; hoc est, quod per B. Iacobum monuit. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autẽ ad loquendum.* nec enim loquitur de tarditate, qua quidã inter singula verba prolata respirant, sed de ea, quę contraria est temeritati, qua nulla antegressa consideratione quidvis effutiunt, quod in buccam venerit. Idẽ significant verba illa Ecclesiastici: *Cor fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorũ.* Stultos enim vocat inconsideratos & imprudentes, quicon ideò dicuntur habere in lingua, quod loquantur quicquid in buccam venerit, haud secus quàm si cor & lingua vnum membrum essent. Contra sapientes vocat seruos Dei, qui ideò linguã habere in corde dicũtur, quod nõ alia in publicum efferant, quàm quæ ante in cordis penetralibus, adhibita in consilium ratione, considerata fuerint.

Ecc. 12.

Ex hac consideratione omnis recta linguæ gubernatio pendet. Ex hac oritur, vt verba non sint otiosa, sed ne-

cessa-

cessaria & vtilia, hinc fit, vt serui Dei suis colloquijs pijs & sanctis se & alios ædificent, & multos ad amādum laudandumque Deum inflamment. In Verbo Dei legimus nūquam apertos fuisse cælos, nisi magna aliqua de causa, & cum ingenti fructu. Semel aperti filijs Israhel effuderunt manna cibū nobilem & suauissimum, quo ipsi in deserto victitârunt, alijque multi hoc miraculo ad cognoscendum, colendū que verum Deum excitati. De quo Dei beneficio ait Psalmista. *Ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* In baptismo quoque Christi patefacti sunt cæli, & vox æterni Patris suauissima insonuit, ac spiritus sanctus in columbæ specie descendit. In morte item S. Sthephani apertis cælis apparuit Christus stans ad dexteram Patris, vt significaretur illum pugnare pro Sancto. Homines iusti in eodem Dei Verbo appellantur cæli, qui vt loquitur Dauid, enarrant gloriam Dei; cæli inquam spirituales, multò præstantiores istis materialibus. Ianua horum cælorum est os vel lingua. Vult itaque Deus, quod æquū

Psal. 77.

Matt. 3.

Act. 7.

Psal. 8.

est

est, nunquā hos cælos patefieri sine iu
sta causa, vel vt emittant manna, hoc
est, sermones sanctos, qui ædificent &
solentur audiētes, vel vt descēdat spiri
tus sanctus, id est, verba talia vsurpen
tur, quę excitēt animos, vel ad cōpun
ctionē de peccatis, vel ad diuinum a
morē, vel certè ad ea virtutum opera
quorum beneficio nobis à Deo spiri
tus sancti charismata communicārur.
Vel deniq; vult patefieri, vt nobis spe
ctandū se præbeat Christus, hoc est, ta
libus nos vti sermonibus quibus, ad
adit⁹ paretur ad verā glorię & potēię
Christi cognitionē, eorūq; donorū, qui
b⁹ ille cultores suos locupletare solet.

Quod terra exhalet vapores & nebu
las, & aqua stagnans gignat ranas, res
naturalis est: quando autem cælum e
mittit vapores & ranas, res extraordi
naria est, & diuina plaga. Sic quod pec
catores rebus huius mundi caducis &
fluxis immersi, de rebus vanis & inuti
libus loquantur, & instar ranarum
multa, que deum & proximum grauis
ter offendant, garriant, mirum non
est. Sed si serui Dei, quorum cor deli
xum est in cælis, & vitæ cælestis pro
fessi-

fessionem faciunt, simili sermone vtantur, id mirandum est, & diuinæ punitionis argumentum. Vnaquæq; enim arbor producit fructum suæ naturæ congruentem: iustus ergò cum sit homo spiritualis, homo Dei, homo, inquam, cælestis, meritò etiam loqui debet de Deo, de rebus spiritualibus, de cælo, aut certè de rebus eò collimantibus, vt omnes magni Dei serui fecerunt.

S. GREGORIVS Turonicus narrat Nicetium presbyterum, postea Episcopum Lugdunensem, cum alijs virtutibus, tum hac imprimis excelluisse, quòd nulla verba nisi sancta & pia sineret ex ore suo elabi, otiosa autem vel iocosa nunquam. Imò quod grauiter ferret ad aures suas deferri aliorum dicta contumelioſa etiam in se iniecta; aiebat enim non esse audienda, quæ ex perturbatione animi alij effutiuissent. De S. THOMA Aquinate quoq; in vita proditur, eum nullum solitum miscere sermonem cum alijs, quibuscum conuersabatur, nisi de rebus pijs, & ad salutem animæ spectantibus: eaque de causa orandi,

Sur. in Apr.

Sur. in Martio.

orandi, & meditandi, consuetudinem non fuisse illi vnquam molestũ vel grauem. De S. Monica matre sua ait AVGVSTINVS, quod cum illa colloquia habuerit de rebus celestibus, & ex admiratione rerum creatarum gradum fecerint ad tractationem de pulchritudine & maiestate creatoris. B. LVTGARDIS, virgo sanctissima, vt cõmemorat in eius vita Thomas Cantipratensis oculatus testis, simplici oratione & plana de rebus sanctissimis ita efficaciter loquebatur, vt omnium circunstantium corda incenderet, & sapientibus magnæ admirationi esset.

l. 9 confess. c. 9.

Surius in Iunio.

Hic perpetuus fuit Sanctorum hominum spiritus, ac proinde merito ab omnibus Dei seruis imitandus. Qui magnoperè promoueri potest, si se assuefaciant sermonibus pijs crebrò auscultandis, euoluendisq; libellis & tractatibus spiritualibus, sic enim in congressibus familiaribus suppetet loquendi materia. Felix profectò & beata erit anima eius, qui id fecerit: quotidiè enim occasiones multorum lapsuum, qui linguę lubricitate committuntur, euitabit: & consuetudine salutaris loquendi

loquendi accumulabit merita, gratiq-
que & gloriæ thesauros in cælis, con-
uenienter dicto Christi. *Ex verbis tuis* Matt. 12.
iustificaberis & ex verbis tuis condem-
naberis Si enim verba nostra fuerint
bona & fructuosa, in iustitia accessio-
nem faciemus: sin inania & perni-
tiosa, pro grauitate noxæ, ad
infernum vel Purgato-
rium damnabi-
mur.

FINIS.

III. PARS.

IN qua declaratur, qua discretione exerceri debeat mortificatio, & quibus rebus impediatur.

PROOEMIVM.

POSTQVAM seruus Dei desideris teneri cœpit exercēdæ mortificationis, cognouitque cęlestia & spiritualia bona & dona quæ ex ea consequuntur, supereſt, vt intelligat qua moderatione vsurpari debeat mortificatio, vitæ Christianæ tam necessaria & fructuosa, ne ex ipso vsu aliquod damnum emanet, & exploratam habeat dæmonis tentationes, ac media quibus illæ expugnentur.

CAPVT. I.

De discretione tenenda in exercitio mortificationis externa, pro comparanda vera anima pu-

ritate.

PRI-

PRVDENTIAE & discretionis est, hominem in actionibus virtutū per media dirigere in suū finē, efficereq; vt media aptè conditioni finis respōdeāt. Sicut ergò in omni exercitatione virtutis, ita multò maximè in vsu mortificationis opus est norma discretionis: quæ si adsit, ingēs & eximius existit fructus, si desit, magna sæpè fit iactura animi & corporis. Vt autē nō ab erremus à scopo, sciendū est omniū corporis mortificationū quæ fiunt per labores, ieiunia, cilicia, disciplinas, nuditatem, aliasque asperitates, finē esse internā animæ puritatē & perfectionē. Puritas in eo consistit, vt anima exculta sit præstātissimis quibusq; virtutibus, vt humilitate, patiētia, castitate, fortitudine, ac imprimis caritate. In his enim vera sanctitas, & perfectio hominis spiritualis sita est. Has autem virtutes Deus tum in animam nostrā effundit, cùm adiuuāte diuina gratia eam expurgauerimus à peccatis: mūditia enim illa est immediata dispositio ad virtutes; quoq; anima plus à peccatis mundatur, hoc à Deo virtutibus amplius illustratur.

S. Tho. 2. 2. q. 66. a. 3. Et 22. q. 47. a. 7.

Cassian. coll. 2. c. 16. & 17.

VN-

VNDE libenter fatemur in mortificationibus non esse posità vitæ Christianæ sanctitatem & perfectionem, sed esse tantùm instrumēta & media, à Deo ordinata ad consequendam facilè sanctitatem & perfectionem. Qua de causa BASILIVS: Necesse est omnia corporis exercitia, vt est abstinentia à cibis, & alijs, à nobis ad suum scopum dirigi, nempè ad comparandas veras animi virtutes; quò si non dirigātur, neque bona, neque mala ex se sunt, sed adiaphora, si verò dirigantur, laudem virtutis obtinent. Eadem est aliorum sanctorum Patrum sententia, quam præclarè apud CASSIANVM exposuêre sancti Abbates, Moyses & Theonas. *Ieiunia*, inquit Moyses, *vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Et alibi Theonas fusè asserit, omnia, cæterasque carnis afflictiones ad virtutes ad obtinendam caritatem, fortitudinem, iustitiam, temperantiam & veritatem, in quibus primarium hominis

Lib. de vera virgin.

Cass. coll. 1. c. 7.

S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1.

Cass. collat. 21. c. 13. & 14. 25.

minis bonum consistat, eò quod hæ virtutes suapte naturâ sint bonæ, omniquetempore & loco necessariæ, afflictiones verò carnis bonæ non sint, nisi quatenus referuntur ad obtinendam cordis puritatem, & mortificandas animi passiones, vt mens humana expurgata à cordibus, his medijs possit secum suo creatore coniungere. Hanc doctrinam etiam S. PAVLVS vnica sententia ad viuum expressit, cum diceret. *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto.* quorum verborum hic sensus est. Dona, quorum beneficio Christus regnet in iustis, esse primò virtutem iustitiæ, qua voce comprehendit omnes virtutes interiores, quibus homo iustificatur; deinde pacem, & gaudium spirituale cum reliquis spiritus sancti donis & fructibus. Vesci verò vel abstinere ab hoc vel illo cibo, aut potu, aliisque id genus, quæ naturâ suâ sunt indifferentia, eatenus bona & laude digna sunt, ac ad regnum Christi pertinent, quatenus homo eas dirigit ad virtutes animæ consequendas, vel certè quatenus lege Dei vel

Rom. 14.

Ecclesiæ ad eundem scopum diriguntur.

QVARE seruo Dei omni ope & studio laborandum est, vt sicut sedulus est in corpore ieiunijs, ciliciis, disciplinis, alijsque similibus castigando, sic impiger sit in cauendis verborum otiosorum, & peruersorum operum, prauarumque cogitationum & consiliorum lapsibus, faciatque satis obligationibus, quas status eius postulat, sectetur iustitiam & caritatem, passionibus cõcupiscentiæ interais, iræ quoque & superbiæ, alijsque fortiter obsistat, seruata patientiæ, mansuetudinis & humilitatis lege. Deinde mortificationes suas & pœnitentias Christo Domino passioni eius copulandas in eundem finem offerat, nempe ad impetrandas virtutes principales, & dona spiritus sancti, in quibus sanctitas perfectioque consistit: sic enim externa mortificatio magni erit valoris & meriti, & efficax erit ad impetranda quæ diximus. Quòd si specialis illa consideratio alicui non occurrat, sed tantùm eo generali respectu se mortificet, vt faciliorem aditum habeat

ad virtutes, suo fructu spirituali & merito singulari non carebit.

HÆC documenta tam salutaria, necessariaque traduntur à S. AVGVSTINO. *Duo*, inquit, *sunt abstinentiæ & crucis genera. Unum corporale, aliud spirituale. Unum à potu, atque à cibis temporali, appetitum gulæ à delectationibus, & mollissimis suauitatibus coercere, &c. Alterum genus est pretiosius atque sublimius, motus animi regere, et perturbationes illius modestia tranquillare placare, iræ atque superbiæ impetum quasi feram bestiam refrenare, increpare se quadam censura austeritatis & virtutis, voluntates proprias abnegare, easq; interiori examinatione discutere, &c.* Hæc Beatus Augustinus. Vbi liquidò demonstrat, quantum discrimen sit inter mortificationem externam, qua castigatur caro, & internam, qua perturbationes, ipsaque propria voluntas mortificatur, ac anima à vitijs expurgatur, nec obscurè indicat externam illam, vti minus principalem, velut mediũ referendã ad internam, vt magis principalẽ & finemalterius.

Aug. serm. 1. de S. Ioan. Bapt.

CAPVT. II.

Quæ fraudes beneficio dictæ discretionis auertantur.

HAc doctrina iam tradita binæ fraudes vel errata in hac materia facilè intelligi & caueri queunt. Prima est multorum, qui postquam seruire Deo cæperunt, maximum studium ponunt in mortificanda carne ieiunijs, cilicijs, disciplinis, pedum nuditate, & alijs id genus: exiguum autem in fugiendis otiosis, mēdacijs, detractionibus, ira, impatientia, curiositate, profusa lætitia; caritatis etiam opera negligunt, aliaque multa prętermittunt, quæ ratione officij, status, & professionis alijs præstare deberent. Licet enim mortificationes corporales bonę sint & fructuosæ, vt suprà docuimus, tamen illis anteferenda est animæ puritas, etiam à noxis leuibus & venialibus; mortificationes enim illam proscopo & fine propositam habent. Atque in cultu seruitioque diuino plu-

rii.

gis refert fugere vnum lapsum veniale, lege enim diuina id nobis mandatum est quàm multas voluntarias assumere mortificationes.

NARRAT Metaphrastes magnum Arsenium in colloquio quodam, in quo multas occultas dæmonis tentationes detexit, inter alia hæc elocutum. Fratres, finis & scopus, cur mundo & pompis eius renuntiauerimus, est, expurgatio animæ, hocque medio à Deo obtinere veram perfectamque salutem spiritualem. Quidam hanc puritatem consequi student quoad carnem & vitia externa, & idcirco plurimum se exercent ieiunijs, alijsque afflictionibus corporalibus: verũ non perinde laborant in expurganda anima à vitijs & defectibus internis, atque occultis, vt superbia, temeraria præsumptione, nimia cupiditate honorum, & bonorum temporalium, inuidia, æmulatione, alijsque affectibus, quorum bellum est maius, & victoria difficilior. Itaque fit, vt tales similes euadant statuis, quæ extrinsecus quidem inaura-

Sur in Iulio.

tæ sunt, venustisque coloribus depictæ, sed intus vili & abiecta constant materia. Hucusque B. Arsenius, qui vt erat litteris etiam humanis excultus, & lumine diuino plenus, probè intelexit, in quo consisteret vitæ Christianę religiosæque perfectio.

Hvivs doctrinæ veritas confirmari posset multorum exemplis, qui nō animaduersa hac fraude & deceptione, in multos errores, & atrocissimos casus inciderunt. Exempla legi apud Cassianum collatione Abbatis Moysis secunda possunt: & in vita S. Francisci legitur, religiosum quendā mortificationi exteriori ita fuisse deditum, vt nudis pedibus incederet, in feruentis nocte cubaret, solo pane aquâ nonnihil mollito victitaret, ac nomē suū hominis Sancti obineret, qui si mortificationes illas ex humilitate recusset ad obtinendam humilitatem cordis, verè sanctus extitisset. verū quia eam nullam habuit hominis interni, vt animā à vitijs & passionibus expurgaret, in tantā deuenit cæcitatem, vt etiam contra paupertatis votum sibi peculium vsque ad obitus horam reser-

seruā-

surpârit, quod indicium nõ obscurũ erat æternę suæ damnationis. Et B. Eusebius Emisenus ad eos qui Deo servire cupiunt scribens: Fratres, inquit, scitote non satis esse affligere carnem ieiunijs & vigilijs, si interiora negligamus, & mentem non purgemus à vitijs. Quid enim prodest castigare corpus, si lingua contaminetur sermonibus detractorijs? frustrà gloriamur de inflictis carni verberibus, si mentem non liberemus passionibus internis. Idem confirmat appositâ quadam similitudine: Si, inquit, cuipiam in grandi campo esset vinea, omnemque laborem ille impenderet in colendo campo extra vineam sito, vineam autem sineret compleri spinis & vepribus, nonne ille frustrà laborasset? Sic contingit homini mortificanti corpus, animamque spinis passionũ plenam relinquenti. Quod autẽ dicit Eusebius, mortificationem externà nihil prodesse negligenti internam, id intelligendum est de fructu meriti, in eo qui obnoxius est peccato mortali. nemo enim operibus mortificationis quantumuis maximis mereri

Hom. 4. ad monach.

potest vitam æternam, nisi sit iustus. Iis autem, qui dum in gratia dei sunt, negligunt mortificationes internas, externę non multum prosunt; longè autem plus prodessent, si ad puritatem cordis obtinendam dirigerentur. Vnde idem sanctus alibi eosdem sic alloquitur. Quid prodest affligilijs, laboribus, & ieiunijs, dū negliguntur ea, quæ Deus maximè à nobis exigit? vt nempè, quantum in nobis est, cor nostrum à culpis leuioribus mūdū cōseruemus: nā à leuioribus lapsibus proximus gradus est ad grauiores.

Hom. 6. ad monach.

ALTERA fraus, quæ ex superiora capitis doctrina detegitur, est communis vulgi, nempè eorum, qui arbitrantur, ex mensura mortificationis externæ in ieiunijs, disciplinis, alijsq; asperitatibus, metiendam esse cuiusq; serui Dei sanctitatem & perfectionē: vt quò quis seuerius castiget corpus, hoc sanctior censendus sit: etiamsi enim pœnitētiæ illæ exteriores sint ad modum gratæ Deo & animę nostræ salutares; tamen in ijs non est sita sanctitas vera & vitæ Christianæ aut religiosæ perfectio, sed in caritate, patientia, hu-

tia, humilitate, mãsuetudine, iustitia, misericordia, alijsque virtutibus cum caritate necessariò connexis. Itaque è seruis Dei is sanctior & perfectior est, qui humilior, mansuetior & patientior est, caritate in proximum ardentior, qui puritatis studiosior, qui voluntatem suam diligẽtiùs abnegauit, & diuinæ subiecit. Pœnitentiæ enim & mortificationes externæ, vt diximus, sunt tantùm instrumenta & adminicula ad veras virtutes, earumque perfectionem consequendam, ac proinde quò quisq; plus in illis profecerit, hoc fine ob oculos posito, hoc sanctior & perfectior in conspectu Dei efficietur. *Caritas enim*, vt habet Apostolus Paulus, *est vinculum perfectionis*: tũ quia in illa præcipuè consistit perfectio, tum quia secum trahit omnes virtutes veras & solidas, in quibus sita est essentialis vitæ Christianæ perfectio. *Coloss. 3.*

HÆC hactenus eò dicta sunt, vt serui Dei rectè de virtutum operibus iudicare possint, & cuique suum attribuere valorem, præstantiusque & prin opalius bonum alijs anteponere. Ce

terum minimè ex hac doctrina sequitur, ideircò eos, qui impensè mortificationi externæ dediti sunt, in magna veneratione non esse habendos, quia piè existimandum est, eos quoque non negligere internam, omnesque actiones suas referre ad obtinendam cordis puritatem, & virtutum perfectionem, talesque in Dei esse conspectu, quales videntur esse apud homines. Si enim secus fiat, temeritatis notam vix effugiemus. Nam, vt dicit

Matt. 7. saluator, *non potest arbor mala bonos fructus facere*, nec bona malos. Cùm ergò mortificationes externæ cum bonis moribus coniunctæ, sint boni & laudabiles fructus, non possunt ordinariè nisi ab homine verè bono proficiscì.

CAPVT III.

Qua moderatione mortificatio instituenda sit, vt nec vita, nec virium ad diuinum seruitium præstandam necessarijs obsit.

DIVI

DEvs Op. Max. vitam, sanitatēq; corporis nobis concessit, vt tanto commodiùs ei seruiremus. Et quamuis tollente vtramque à nobis Deo, moderatè ferre debeamus, tamen, quia vitæ nostræ domini non sumus, non licet nobis eam pro arbitrio nostro abbreuiare, vel abscindere: immò mandatum à Deo habemus illam per media rationi congruētia seruādi. Quanquam nemo pro tuenda vita eiusdē incolumitate tenetur vel quæuis, vel optima media vsurpare, vt v.c. meliores cibos, præstantiora vina, habitationem commodiorem, sed satis est vti communibus & ordinarijs. Cū enim corporis vita sanitasque sit bonum temporale & caducum, multò inferius vita & salute animæ spirituali, voluit Deus nos ad alia media obligare. Licet & obliget ad abstinendum ab eo cibo potuque, quem constaret notabiliter vel vitā abbreuiaturū, vel sanitatē imminuturū. itaq; seruus Dei, ardens castigandæ carnis, fructusque mortificationis excellentes percipiendi desiderio, non debet vel ieiunijs vel vigilijs, vel cilicijs, alijsue pœnis

Victor. relect. de homicid. 2. 36. Et relect. de temperant. n. 13. 14. 15. Medin. de pœnit. q. vlt. de iust. Sotol. 5. de iure. q. 1. a. 6.

eam affligere, quas experientia, vel admonitione virorum in spiritali vita exercitatorum, cognouit, notabile damnum vitæ vel valetudini afferre: nam si exiguum tantùm damnum sit, non tenetur ab eiusmodi mortificationum genere, maximè si sentiat se inde iuuari ad vitæ probitatem, abstinere. Quemadmodum enim licet, magnæque virtutis est & meriti apud Deum, periculo mortis se exponere pro salute spiritali vel corporali proximi, vt faciunt, qui inseruiunt peste laborantibus: sic magnæ virtutis est, ad prouerandam animæ nostræ salutem, per mortificationem exponere se periculo exiguo vitę & incolumitatis corporalis, modò vt paulò post dicemus, id fiat cum facultate superiorum, & contra præstantiorum operum dispendium.

Vitt. ibid. n. 17.

Soto ibid.

Laur. Nider in consolat. p. 3. c. 7. 8

Hoc fundamento iacto, quod nititur doctrina Theologorum communi, & ab omnibus recepta, seruus Dei eligat ea mortificationum genera, quæ minus officiãt sanitati, vt sunt ieiunia ordinaria, diuerberationes corporis citra sanguinem, cilicia ex pilis equi-

equinis, durior lectus, & alia, quæ valetudinem tædere non solent. nullo autem modo suscipiat, quas re ipsa animaduertit sanitati obesse. S. Basilius disertè monet, in cohibenda per abstinẽtiam carne, eam moderationem tenendam, vtn e frangantur corporis vires: sicut enim noxium est indulgere appetitui cibos, quoscunque adamârit, sic rationi repugnat, imò stultitiæ affine est, corpori necessaria ad officium præstandum alimenta subtrahere. Rationem autem huius sui moniti addit huiusmodi. Sicut enim, inquit, equus plus æquo saginatus, & lautè tractatus suum sessorem in terram præcipitem agit, & calcibus ferit, macilentus autem & ieiunè habitus nullis flagris adigi potest vt progrediatur; sic qui nimis lautè corpus suum nutrit, facilè in omnis generis vitia ab illo præceps agitur; qui verò asperè & durè illud tractat, tandem in cursu pietatis semel susceptæ deficere cogitur. Hæc S. Basilius, quod pressius declarans S. Hieronymus, *Quicquid*, inquit, *illud, quod inflammare corpus potest, quod fomentum suggerit vo-*

Lib. de vera virginit.

Ad Demetriad. virg.

luptati, castitatis amore fugiendum. Nec tamen ita magno huiusmodi labori grauari te volumus, vt sub ipso fluxum onere succūbas. Optimus est in omnibus modus et laudabilis vbq; mēsura. Corpus non frangendum, sed regendum est. Id ratio discretionis à nobis postulat, vt quoniā mortificatio corporis instituta est ad tollendum & mortificādum malū, nō mortificemus id quod boni est. Malum quod in homine est, est culpa, inclinatioque ad culpam. Quāndo ergò homo sic mortificat corpus, vt languat illi robur sufficiens ad exercendam virtutem, tum mortificat malū. quando verò ita frangit eius vires, vt languidior in bonorum operum exercitatione reddatur, mortificat in eo bonum. ita docet B. Gregorius in suis moralibus. *Sic necesse est*, inquiēs, *vt artem quisq; cōtinentiæ teneat, qua tenus non carnem sed vitia carnis occidat. Nam plerunq; dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur: vt ad orationem quoq;, vel prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adiutorem quippe habemus intentionis interna iam bo-*

Lib. 30. c. 28.

minem, quem exterius gestamus. & ipsi insunt motus lasciuiæ, ipsi effectus supperunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hostem insequimur, etiã ciuem, quem diligimus, trucidamus: & sæpè, dum quasi conciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Eisdem namq; alimentis vitia superbiunt, quibus nutrita virtutes viuunt. Et cum virtus alitur, plerunq; vires vitijs augentur. Cum verò immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Vnde necesse est, vt interior homo noster æquus quidam arbiter præsideat inter se, & eum, quem exterius gestat, quatenus ei homo suus exterior, & semper ad debitum ministerium seruire sufficiat, & nunquam superbè libera seruicem contradicat, nec moueat, si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper superposita calce dominationis premat. Ex his B Gregorij verbis colligitur primaria discretionis regula, quã seruare debemus, vt nempè sic mortificemus corpora nostra, vt sanitatem & virescius necessarias sic integras seruemus, vt omnibus suis necessarijs functionibus facere satis possit,

omnia-

omniaque virtutum prosequi exercitia, quæ ad salutem animæ nostræ spiritualem procurandam requiruntur. Quomodo autem in executione huius doctrinæ nemo debeat suo iudicio fidere, sed libenter obsequi patris spiritualis, vel Confessarij consilijs, iam antè monuimus.

CAPVT IV.

Quatenus mortificatio exercenda sit, sine impedimento operum præstantiorum; quaq; discretionis in ea imitandi sancti.

NON solùm mortificatio carnis eò moderanda est, vt suppetant nobis in tegrę vires ad cætera officia pietatis ritè decenterque obeunda, verùm etiã, vt opera caritatis ad cõsolationẽ proximorũ, siue ex præcepto siue ex cõsilio præstanda, nõ impediãtur. Exempli causa, si ieiuniũ tẽperandum est, ad seruiendum promptius ægro, visendos carceres, aliosque afflictos solandos, id omninò faciendum.

Similiter, si ad recreandum hospitem vel peregrinum etiam carnibus vescendum est ei, qui statuerat ab omnibus carnibus & piscibus sponte se abstinere, consultius id faciet, quàm si propositi sui renax sit. Quod idem dicendum est de alijs operibus, maximè quando illa opera caritatis pertinent ad commodum proximi. Ratio huius est, quia opera præstantiora semper anteferenda sunt minus præstantibus, at constat opera caritatis longè præstare, & Deo gratiora esse operibus, quamuis magnis, externæ mortificationis, si illa voluntariè, & non ex præcepto sint suscepta. Quare meritò dicit S. HIERONYMVS. Non mediocriter hallucinari, qui media bona præferunt summis, ieiunium caritati. Cum enim caritas sit mortificationis, omniumque virtutum finis, proculdubio hæc secundùm illam moderari debet.

c. non mediocriter. de Cons. d. 5

B. THEODORETVS commemorat Martianum monachum sanctissimũ, licet in seculo fuisset regia stirpe oriundus, tamen postquam se in eremum abdidit, tanta seueritate vitam traducere cepisse, vt in quartum vsque diem

In hist. religiosa

vna

vna tantùm panis libra contentus fuerit Et tamen cum aliquandò ad eum diuertisset Auitus monachus vir summæ abstinentiæ, moderata ieiunij consuetudine lege, mensam illi apposuit, ad prandendum suo etiam exemplo inuitauit. Et cum Auitus constanter negaret se à more suo discessurũ, hoc est, vt nihil ante occasum solis degustaret; Martianus ob pertinaciam illius in iudicio, proprio ingemuit, & dixit. Non quoque, amice, complexi sumus vitæ genus, quod profiteris, & maiorem laboris, quã quietis, ieiunij quã mãducationis rationẽ habemus: sed id quoq; nõ ignoramus, caritatẽ nobiliorẽ esse virtute ieiunij, ac proinde meritò hoc, si spõtaneũ sit, illi posthabẽdũ esse. Hac oratione Martianus docuit liquidò, qua discretione seruanda sint ieiunia, aliæq; similes mortificationes. Atque hanc doctrinã omnes sancti verbis & exemplis confirmârunt, vt tradit S. AVGVSTINVS in libro de moribus Ecclesiæ, in quo postquam recensuisset graues Sanctorum sui ęui pœnitentias, maximè monachorum, sexcraque eorum ieiunia, subiungit.

Cap. 33.

Cæ-

Caritas præcipuè custoditur, caritate victus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur: hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse à Christo & Apostolis, vt si hac vna absit, inania; si hac adsit, plena sint omnia.

VNA tantùm difficultas hic occurrit ei uis Dei mortificationis & perfectioni studiosis, ob admirandas pœnitentias & mortificationes quas legunt in Sanctorum vitis, an non illas imitari debeamus, cùm Deus in diuina Scriptura nos ad eorum mores imitãdos inuitet, & Ecclesia sancta eorum exempla in dies ob oculos ad imitandum proponat. AD hoc respondemus: duplices in vitis Sanctorum expressas virtutes. Quædam sunt principales, in quibus diximus constitutam vitæ Christianæ perfectionem, veramq; sanctitatẽ, vt est interna humilitas, mãsuetudo, patiẽtia, castitas, misericordia, caritas, propriæ volũtatis, iudicij, & passionũ mortificatio, peccatorũ odiũ, mũditia cordis. In his omnes possum imitari sãctos, nullo etiã præfixo

modo

modo & mensura: siquidem in harum imitatione, nullus est excessus, nullum damnum, nullum absurdū, sed quo quis plus proficerit in humilitate, abnegatione sui, puritate, patientia, & caritate in Deum & proximum, hoc Deo gratiorem, & plus animæ suæ proderit. ALIÆ vero virtutes sunt minus principales, ut sunt mortificationes externæ, ieiunia, paupertas, tolerantia æstus, frigoris, imbrium, aliorumque incommodorum & pœnarum temporalium, in quibus non consistit perfectio, & sanctitas, sed sunt instrumenta & media quibus perducimur ad perfectionem. In his autem Deus vult nos imitari sanctos iuxta certum quendam modum & mensuram, hoc est, vt illas mortificationes illas externas vsurpemus conuenienter viribus naturalibus ab eo concessis. Nā clemētissimus Deus quibus suis immēsam impertiuit donorū suorum copiā, vt possint esse perfecti, & in veris solidisque virtutibus humilitatis, patientiæ, caritatis, & cæterarum progressus facere: idem ad exercendas mortificationes externas non impertiun

tiuit omnibus eadem vires & præsidia, sed alijs plura & maiora, alijs minora & pauciora: quia contentus est, si quisque secundùm facultatem sibi data se exerceat. Qua moderatione si seruus Dei vtatur, non ideò iacturam facit alicuius boni: si enim non potest sine manifesto valetudinis suæ damno tanta ieiunia, quanta vsurpâ ūt sā cti, sustinere, vel alias ferre asperitates, potest æquè ac illi tantā animi submissionē, patientiam, mansuetudinem, puritatem cordis, ac denique sinceram charitatem sectari, in quibus virtutibus, quo quisque plus profecerit, & simul voluntatem promptam habuerit plures mortificationes, grauioresque subeundi, si vires suppeterent, hoc copiosius externæ mortificationis defectum supplebit.

Ex hac doctrina error eorum liquet, qui nullum ponunt studium in imitandis primarijs Sanctorum virtutibus, cum tamen auxilia à Deo sufficiētia presto sint; ponunt autem in extraordinarijs pœnitentijs, pro quibus imitandis vires sufficientes nequaquā acceperunt. Scriptura diuina narrat

Deum

2. Mach. 2. Deum Iudæ Machabæo eiusque fratribus, & quotquot ex eius stirpe erãt inusitatam animi fortitudinẽ in oppugnandis gentibus concessisse, sic prorsus, vt paucorum militum ope ingentes fugaret exercitus, nam sex millibus aliquandò deleuit cẽtum hostium millia. Alij Israhelitæ, qui ex illa stirpe non erant, conati sunt quidem imitari illos, sed gentilium armis deleti sunt. Cuius euentus causam illam Scriptura reddit, quòd non fuissent ex eorum prosapia, quos Deus singulari sua prouidentia elegerat ad vindicandam populi Israhelitici libertatem. Idem contingit in conflictu spirituali aduersus hostes animæ, vt qui insolitis pœnitentijs ad imitationem Sanctorũ pugnam inire volunt, sine peculiari Dei auxilio, in grauissima incidant mala. Nam primò consuetis corporis viribus destituuntur, tum irruunt morbi varij, hinc, inquit, S. Basilivs, omnia pristina virtutum exercitia deseruntur, & opus est ad illos curandos multis ministris. Verùm & postea incipiũt ab omni mortificationum genere abhorrere, vt nec leuissimas deinceps sub

ij ea

ire velint, alijsque autores sint, ne sub tant. ac quod peius est, vt animad uertit S. VINCENTIVS, fraude callidis- simi dæmonis eò pertrahuntur, vt to- tos se dedant inquirendis corporis ō modis in cibo, potu, somno, otio, a- lijsq; carnis voluptatibus, ac proinde nec longè absint à grauibus peccatis, in quæ tales sæpè turpiter relabuntur. Hæc vero omnia mala auerti possunt seruata discretionis regula, secundùm documenta & exempla Sanctorum.

De vita sp. r. c. 30.

CAPVT. V.

Quibus rebus impediri soleat exercitium mortificationis ac primò quidem doctrinâ quorundam.

NON SATIS est, explorata nobis esse media, quibus excitemur ad mortificationis exercitiū, ac discretio- nē, qua illud tēperemus, verū etiā opus est notas nobis esse tētationes, quib⁹ humani generis hostis, illud impugna re cōsueuit. E quib⁹ vna est, doctrina quorūdā autoritate & eruditionis fama pstātiū virorū, qui, vt exercitati nō sūt in mortificationis ludo, nec experti sūt

nobis

nobiliſſimos eius fructus, etſi diſcre-
cã r õ im probent, quod ſalua fide nõ
poſſunt, tamen dicta quędam genera-
lia vſurpant, quæ malè intellecta non
parum multos à mortificationis ſtu-
dio deterrent, vt dum dicunt, Chriſtia-
no homini ad ſalutem ſufficere, ſi di-
uinis præceptis obſequatur. Poſſe quē
uis hominem indulgere corpori re-
creationes & alia commoda, quando-
quidem licita ſint, & legi diuinæ non
repugnent. Mortificationes, aliasque
pænitentias externas, eſſe quidem bo
nas, ſed non neceſſarias, exceptis ieiu-
nijs Eccleſiæ, & pænitentijs à ſacerdo-
te in confeſſione iniunctis: Deum præ
cipuè à nobis exigere cor noſtrum, &
virtutes animi. His, ſimilibusque dic-
tis, quibus ſana poteſt ſubiecta eſſe
ſententia, imperitis perſuadēt, parum
prodeſſe externas iſtas pænitentias &
mortificationes; quæ concluſio vera
non eſt, nec ſana, ſed falſa & pernicio-
ſa. Et quamuis ad intelligendam veri-
tatem, fraudēque illam auertendam
ſatis eſſe poſſint, quæ in prima parte
dicta ſunt de mortificationis fructi-
bus.

bus, tamen æquum est, vt pro quiete & solatio aliquorum respondeamus ad obiecta, & declaremus, quomodo intelligenda sint illa dicta, vt de vero ac legitimo eorum sensu constet.

Quod enim ad primum attinet, fateor ad salutem fideli sufficere diuinorum præceptorum, Ecclesiæ, & Superiorum obseruationem; verùm addo, ad præstanda præcepta post naturæ nostræ corruptelam ex peccato secutam, opus esse præsidio mortificationis. Nam cum in homine remanserit non parua ad malum procliuitas, catoque capitalem inimicitiã gerat cum spiritu, non certè potest cõmunibus fultus præsidiis omnes tentationes cum præceptis dictis pugnantes excutere, nisi auxilium aliquod petat à mortificationis exercitio, tum ad perturbationes animi carnemque domandam, tum ad obtinendam perseuerandi gratiam. Itaque licet mortificationes vltrò susceptæ necessariæ nõ sint ad salutem, sicut præcepta, tamen necessariæ sunt ceu media conuenientia & salutaria ad custodiendum præcepta, in eorumque obseruantia per-

sistendum. Ad alterum dictum respondemus, recreationes licitas posse sine nota culpæ vsurpari, cùm bono fine & scopo suscipiuntur, vel eorum necessitas aut vtilitas ad fructū aliquē animi, & non tantùm ad meram voluptatem aucupandam, vt latè superius dictum est, dirigitur. Cum quo conuenit, quod citò dictum est, in mortificationibus externis non consistere perfectionem, & sanctitatem, sed eas esse instrumēta & media quibus obtinetur vera sanctitas & perfectio.

Licet alterū sine altero esse non possit. Sicut enim Deus in arborū fructibus, quas condidit, licet solam medullā voluerit seruire sustētationi hominis, tamē medullā cōtexit cortice, propterea quod sine illa nec gigni nec cōseruari medulla possit: sic ad spiritalē hominis vitā sustentādā Deus omnes cōdidit virtutes, in quib⁹ perfectionis medulla cōsistit, & tamē voluit illas tū gigni, tū conseruari per exercitiū duræ mortificationis, tāquā per corticē.

His ergò armis debemus profligare dictas tētationes: & certo nobis persuadere, omnē doctrinā qua animus de-

mul-

mulsus incipit in desiderio mortificationis lãguescere, & carnis blandimẽtis delitijsq; oblectari, debere esse suspectã, quia non est Christi sanctorũq; spiritui cõsentanea, vt S. BERNARDVS præclarè obseruauit. *Nasciturus, inquit Dei filius, cuius in arbitrio erat, quodcũq; vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, præsertim paruulo, et pauperis matris filio qua vix pannos haberet ad inuoluendum, præsepe ad reclinandũ. Non est tale iudicium mundi, aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed diuinam falli impossibile est sapientiã. Quid enim Christus, vtiq; qui non fallitur, elegit quod carni molestius est? Id ergo melius, id vtilius, id præstantius eligẽdum: ergo quisquis aliud docet vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cauendũ.* Hæc Bernardus. Et S. Cyprianus martyr, dũ hortatur fideles, ad exercitationem pẽ tientiæ, mortificationumq; exterarum, vt ieiunij, ciliciorum, humiculationis, suadet, vt omnis studio fugiãtur, qui huic doctrinæ resistũt, eo quod pernitiosior eorũ sit conatus, quã tyrannorũ persecutio. Atq; hæc monita audidêre hactenus sãcti, eo quod expe-

Serm. 3. in natal.

Serm. de lapsis.

rientia didicissent, non solū fideliū sa-
luti obesse, qui praua sua doctrina de-
clarabāt se apertos Ecclesiæ inimicos,
sed etiam quosdā Ecclesiæ filios, qui
vt minus amantes erant vitæ crucis
Christi, qualis in mortificatione quo-
tidiana cernitur, suis dictis alios à sa-
ctissimo instituto mortificandi se, oc-
cultè retrahebant.

CAPVT. VI.

De alio mortificationis impedimento, nempè nimia cura sanitatis conseruandæ.

INTER discretionis regulas vna
fuit, ne mortificationes vllæ fiant
cum sanitatis, viriumque natura-
lium notabili detrimento: verū quia
contingit nonnullos ab infesto huma
næ salutis hoste, proprioque amore &
tepiditate deceptos, ex immoderata
valetudinis conseruandæ cura, cum in
genti animæ suæ iactura mortificatio
nis exercitium negligere, operæ pre-
tium duxi, hic aliquas regulas doctri-
næ sanctorū conformes, pro cauendo
in

in alteram partem excessu, ponere. Principio itaque certum est, quotiescunque periti medici, vel alij homines prudentes & spiritalibus rebus exercitati, in Domino iudicant, seruum aliquem Dei, si huic vel illi mortificationi operam det, de incolumitate corporis periclitaturum, laudabile esse illi prohibere talis mortificationis exercitium. Quanquam, cui natura æquo procliuior est in corporis commoda & delitias, alienior autem ab omnibus incommodis & pœnis, facilè in fraudem à proprio iudicio induci potest, vt quod necessarium non est ad valetudinem, tamen iudicet esse; & quod nō est admodum noxium, arbitretur esse: Eoq; facilius induci potest, si huic inclinationi inordinatę præterea accedat pusillanimitas ex compassione naturali, vel metu damni, quod aliâs expertus est immoderatis pœnitentijs, profectò: tunc enim procliuius iudiciū proprium excæcatur, & deceptio maior est.

Hinc verò fit, vt necessitatis sanitatisq; prætextu tales anhelent ad lautiores cibos palatui ipsorū congruentes,

fugiant autem omnia incommoda & pœnitentias, etiamsi id fiat cum damno animæ ipsorum, & proximi offendiculo. Deinde ita informēt medicos, vt potius præscribant quæ eorum gustui, quàm quæ reuera sanitati recuperandæ sunt accommodata. Qua de re sic loquitur B. Bernardus, in sermone de triplici genere bonorum. *Nihil corpori*, inquit, *vltra dandum, vel quærendum est præter sanitatem. Sed hic fouea est, quæ nolo vos lateat. Insidiatur enim voluptas sanitati, & tã subtili malignitate persequitur, vt vix eã quis vel possit cauere vel nouerit. Inde est, quod multi ad tam bestiales & rebelles impetus descenderũt, vel, vt dicam verius, ceciderunt, vt voluptatem præferant sanitati, & illis ipsis sæpissimè voluntatibus, quas scirẽ difficiles & accuratissimas subsequi passiones.* Et alibi proposita sententia Christi: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Hippocrates*, inquit, *& sequaces eius docēt, animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli perdere, quãnam vos è duobus sequi magistrum elegitis? At manifestum se facit, qui sic d*

Matt. 16. Bern. serm. 30. in Cant.

putat

putat: hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel stomacho nocet. Profectò vnusquisq; quod à magistro suo didicit, hoc in medium profert. Epicurus atq; Hippocrates, corporis alter voluptatem alter bonam habitudinem præfert. Meus magister vtriusq; rei contemptũ prædicat. Anima in corpore vitam, quam summo studio iste vnde sustentet, ille vnde & delectet inquirit, atq; inquirere docet. Saluator monet & perdere. Et infrà. Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum, ciborumq; varietatibus exquirẽdis quotidianã expẽdere curã. Legumina, inquit, vẽtosa sunt. ea seus stomachũ grauat, lac capiti nocet, potũ aquæ nõ sustinet pectus, caules nutriũt melãcholiã, cholerã porri accẽdũt, pisces de stagno aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non cõgruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuijs, agris, hortis cellarijsué vix reperiri possit, quod comedas? Puta, quæso, te monachũ esse nõ medicum, nec de complexione iudicandũ, sed de professione. Parce, obsecro, priuatũ quidẽ quietis tuæ parce deinde laboriministrantiũ. parce grauamini domus,

parce conscientiæ. Hęc omnia B. BERNARDVS, qui his verbis non improbauit moderatam discretionem, qua cauemus eam abstinentiæ seueritatem, quam experientia didicerimus nobis ad sanitatem vehementer obesse, sed superuacaneam tantùm sollicitudinẽ quorundam, qui leui ex causa de qualitate ciborum queruntur, contra illud

Rom. 13. Apostoli: *Carnis curam ne feceritis in desiderijs.*

VT verò intelligatur, quæ cura licita sit & necessaria, hoc est, quam seruus Dei conseruandæ vitæ ac valetudini tribuere potest, quæque superflua & illicita, quam non potest, memorã recolendum est, quod superius monuimus: etsi fas sit cuique studium aliquod ponere procurandis vitæ valetudinique necessarijs, tamen nemini ea lege astrictũ, vt præstantiora, cõmodioraq; in quoq; genere, siue vestitus, siue victus, siue habitationis, deligere teneatur, sed ea tantùm, quorum vsu nullum notabile damnum nouit virg vel incolumitati suæ accessurum. Deinde & illud obseruandum est, hoc discrimen esse inter prudentiam carnis,

In hoc tract. p. 3. c. 2.

quam

quam B. Paulus ait esse inimicã Deo, Rom. 8.
mortemque culpæ & pœnæ æternæ conciliare, & sapientiam spiritus, quæ effectrix est vitæ & veræ pacis: quòd illa prouideat homini commoda corporis, nullo ad animam habito respectu, hoc est, siue noceant animæ, siue prosint: Qua prudentia vsi sunt sapientissimi quique Gentilium, eorumque celeberrimi Medici, eaque proh dolor, multi quoq; fideles nunc vtuntur, vero timore Dei destituti, quorum Deus venter est: hæc verò, nempè sapientia spiritus, quæ de cælo venit, ita prospicit homini de corporis commodis ad valetudinem tuendam necessarijs, vt tamen nullum detrimentum afferat incolumitati animæ. Itaque corpori omnes illas lautitias & superuacua cõmoda adimit, quæ impedire possunt, quò minus spiritus imperium in carnem retineat, vel quò minus anima contemplationibus, precibusque & alijs virtutum exercitationibus vacare possit, modò inde nullum graue vel notabile damnum vitæ sanitatique corporali inferatur, vt iam sæpè dictum est.

In psal. 118. 8. contra Iu. de Cōs. d. 1.

S. Ambrosius certè non dubitat affirmare, medicinæ præcepta, quibus inhibentur ieiunia, orationes & meditationes pugnare cum præceptis diuinis, & qui talibus medicinis vtūtur, adimere sibi ea, quæ animæ sunt fructuosa. vbi sine dubio loquitur de medicinis, quibus nonnulli sola prudentia carnis duce vtūtur, hoc est tantā sanitatis conseruandæ curam gerunt, vt sine magna necessitate animæ omnē mortificationis aliorumq; exercitiorū spiritalium fructum adimant: quales sunt illi, qui quoties paululum se malè affectos sentiunt, etiam Ecclesiæ ieiunia preuaricantur, & diebus vetitis sibi esum indulgent carnium.

De triplici genere b. ijus.

Ex his demum omnibus superest, vt seruus Dei excerpat sibi normam & formā, quam tenere debeat in tuenda corporis sanitate ne in alterū tendat extremū, hoc est, vt ne sinat se ob leues causas, vel exigua incommoda à sancto mortificationis exercitio dimoueri. Nam, vt scribit S. Bernardus *Si sanitati corporis sollicita prouidenda est custodia, puritati cordis tanto sollicitior est impendenda, quanto pars ista dig-*

nior

nior esse conuincitur. Deinde, vt in hoc biuio animam mortificãdi, & corpus tuẽdi, potius inclinet in prius, ẽ quod æquo vehementior sit inclinatio carnis in sua commoda: nam & Aristoteles, licet gentilis, in suis Ethicis, monuit, vt cum perdifficile sit attingere virtutis medium, debere hominem obseruare, in quã partem extremi persequendã procliuior sit, eoq; animaduerso, contendere in eius contrarium, & quod eo plus est addit, in hac re maxime fugiendam voluptatem. Deniq; vt seruus Dei ab amoris proprij fraude liberior sit & securior, non fidat nimium suo iudicio, cũ ferè, vbi de proprio negotio agitur, homines falli ſõleant, sed primum supplex à Deo diuinam lucem, cum desiderio id faciendi, quod diuinæ eius maiestati gratius iudicatum fuerit, postulet: tum omni puritate necessitatem suam Superiori, si habet, vel Patri spirituali exponat, eorumq; iudicio & consilio acquiescat, firma spe fretus se hoc medio in diuinæ voluntatis notitiam deuenturũ. *Lib. 2. c. 9.*

Adhęc seruus Dei hac in parte excludat omnes inanes terrores infirmitatis

& morborum: nam, vt in alijs rebus, teste Scriptura, *prouidentiæ hominum incertæ sunt*, ita maximè in hac materia; quod enim homo existimat valetudini suæ esse conueniens, sæpenumerò noxiũe: quod verò noxiũ, idim primis illi est salutare. Et experientiæ liber docet, quòd qui plus æquo sanitati tuędę dediti sunt, cũ mortificationis detrimento, nunquam ad optatam sanitatem perueniant: cõtrà, qui mediocrem curam tantùm, & moderationem, non neglectis consuetis mortificationis exercitijs, valetudini curandæ adhibent, veram tandem sanitatẽ obtineant. Imò exemplis multis probari posset, eos qui diligentissimi iocunda cuticula fuêre, & nulla medicorum antidota neglexêre, breui vitam cum morte commutasse: contrà verò, sanctissimos quosque viros, qui seueriſſimum abstinẽtiæ colendæ institutum arripuêre, nullis laboribus in persoluendis diuinis precibus pepercisse, & in decrepitam vsque ætatem vitam prorogauisse.

S. Hier. in eius vita.

S. PAVLVS eremita adolescentiam suam

suam paucis dactylis aluerat, senectutē verò tātùm dimidiato pane, omnibusque humanis commodis destitutus ætatem extraxit in annum decimum tertium supra centesimum.

S. ANTONIVS humi cubans, & pauxillum panis & aquæ sub vesperam sumens de viribus corporis ad colendū Deum necessarijs nihil detraxit, & in centesimum quintum annum vitam produxit. *Athan. in eius vita.*

S. HILARION in iuuentute paucis caricis & herbis vixit, extremam verò ætatem vno pane hordeaceo traduxit, ac tandem tota vita in summa asperitate acta octogenarius animam Deo reddidit. His alijsque innumeris sanctis, qui omnia humanæ vitæ commoda neglexisse videntur, tamen Deus integram corporis incolumitatem ad præstanda sua nocturnis diurnisque horis officia, & cum ea longissimā ætatem concessit; vt his exemplis declararet, quàm grata fuerit continua illa carnis castigatio & mortificatio; nosq; intelligeremus, tantum abesse, vt mortificationis studiosis Deus suo diuina auxilio desit, vt etiam vtrumq; *S. Hieron. in eius vita.*

& animi & corporis incolumitatem liberalius promoueat. Neq; id eò dico, quo nos curam conuenientem & necessariam sanitati conseruandæ detrahamus, aut indiscretas mortificationes ad imitationem dictorum Sanctorum suscipiamus, cum eas antè improbauerimus, sed vt notatis his exẽplis, vanos commentitiarum infirmitatum timores excutiamus, & defectus vitiosis extremis, duce & magistra discretione, ad medium virtutis collimemus.

In hoc tract. p. 3. & 4.

CAPVT. VII.

De alio mortificationis impedimento, nempe quorundam Sanctorum exemplis malè intellectis.

QVONIAM tenebrarum princeps capitali odio prosequitur studium sanctæ mortificationis, quippe per quam sua sede & habitatione, quæ est *terra suauiter viuentium*, pellitur: idcircò, sicut aliàs sacrarum scripturarum testimonijs, perperam de-

Iob 28.

detortis à Catholica fide homines abducere conatus est ita nunc, exemplis quorundã sanctorum malè intellectis imperitos deterrere conatur à studio mortificationis, atq; experiẽtia docuit, quosdam extitisse, qui exemplis sanctorũ inordinatarum passionum regnum defendere non dubitârint, vt ambitionem, & cupiditatem alijs imperandi exempio Apostolorum, qui aliquando inter se contenderunt, quis illorum esset maior. Deinde S. Ioannis & Iacobi, qui primam sedem in regno Christi affectârant: iracundiã verò, in verba contumelioſa erumpentem exemplo Apostoli Pauli, dicentis ad Põtificem Ananiã. *Percutiat te Deus paries dealbate* Et Faustini ac Iouitæ, qui Imperatorẽ Adrianũ appellârũt serpentẽ tortuosum, & viperã crudelissimã. Et S. Agathæ virginis & martyris, quæ Quintianũ, aliosq; tortores suos: vocauit immanes tyrãnos Sic ad tuẽdũ dissensionũ studiũ allegant exẽplũ Pauli & Barnabæ, qui se mutuò separâtũr, ob contentionẽ ortã de assumẽdo in sociũ Marco. Dein. S. Epiphanij & S. Chrysostomi, qui ob quæstionẽ de con-

Matt 20. Act. 23.

Ado in martyr. 19. Feb.

Act. 15.

Trip. l 8. c. 15.

condemnandis Origenis libris non sò lùm à se mutuò discesserunt, sed etiã Ephiphanius dixit Chrysostomo: spero te non moriturum Episcopum, & hic illi, spero te non peruenturum ad tuam vrbem. Adhæc ad defendendã superbiam, exemplum inculcant, prophetæ summa libertate increpantis regem Achab, & Elisæi regem Ioram, at S. Stephani Principes Sacerdotum. Denique ad retinendam pompam vanã & profanam, mensarumque delitias producunt exemplum S. Thomę Cantuariensis Archiepiscopi, qui multo cum famulorum comitatu in publicum, splendidoque ornatu prodibat, & mensam multis opiparisque ferculis instructam suis apponebat.

3. Regum. 18.
4. Reg. 3.
Act. 7.

His similibusque exemplis animi sui perturbationes, & immoderatos affectus, velut iustos & æquos, palliãt, & mortificationi omnem aditum occludunt. Quanquam verò hoc argumentum admodum sit imbecille, & dilui facilè possit, tamen pro solatio & instructione rudiorum operæ pretiũ facturi videmur, si respondeamus, declaremus-

claremusque neque iam allata, neque vlla alia Sanctorum exẽpla facere pro tutela & patrocinio istarum inordinatarum animi passionum. Sanctorum enim vita prorsus consentit cum purissima eorum doctrina, & cum omnis perfectionis archetypo, nempè CHRISTI Domini nostri vita. Quocirca in Sanctorum historijs distinguẽdum est tempus, quo vixerunt, ab eo, quo non vixére. Nam licet multi à prima ætate fama sanctitatis fuère celebres, vt S. Hilarion, S. Chrysostomus, S. Eduardus Cantuariensis Archiepiscopus, S. Malachias Archiepiscop⁹ Hiberniæ, S. Clemẽs martyr, & Episcop⁹ Ancyran⁹, S. Macloui⁹, S Bernard⁹, S. Thomas Aquinas, S. Bernardinus, S. Eduardus rex Angliæ, & S. Ludouicus rex Franciæ, & alij: nihilominus alijfuêre, qui in prima adolescentia vitã duxêre communem, postea autẽ potẽti Dei manu tacti in alios homines commutati sunt, & vitam egêre perfectissimam. Alij verò etiam primam ætatem consumpsere in grauibus sceleribꝰ, sed, radijs diuini luminis exceptis, ita illustrati sunt, vt ostenderint ibi abun-

bundare sanctitatem, vbi ante abundârat malitia & peruersitas. Ac rursũ alij extitêre qui omnem ætatem in infidelitatis tenebris vel in grauibus peccatis omni gratia destituti transegêre, & tamen ad Euangelij voces, aut conspectam Christianorum Martyrum in atrocissimis tormentis constantiã, resipuêre, & ad mortem pro Christi fide tolerandam se obtulêre, ac sic nomen & mercedem sanctorum Martyrum breui temporis momento retulêre.

In his omnibus sanctis, nihil ad auctoritatem exempli trahi potest ex rebus ante adeptam sanctitatem gestis, ac proinde quod de Apostolis obiectũ est, nullius est ponderis, idcircò enim Christus saluator ex infimo hominũ statu, & rerum omnium ignaros elegit, vt quicquid postea eorum opera efficeret, non ipsorum, sed Christi virtuti, à quo missi erant, attribueretur Poterat quidem Christus eos vno momento reddere perfectissimos, sed maluit sensim vsque ad spiritus sancti aduentum proficere, vt suorum imperfectuum & defectuum memores, se magis submitterent, totamque sanctitatem

Chrysost hom 66. in Matt.

tatem & perfectionem suã syncerè altissimo trãscriberent: deinde vt hoc exemplo omnes fideles mai' solatiũ caperẽt, clarius q; agnoscerent omnia bona sibi contigisse per Christum, & si imbecilles sint ac rudes, Deũ sua gratia & benedictione illis non defuturũ. Itaq; in Apostolis eos mores imitandos nobis proponere maximè debemus, quos post adeptũ spiritus sancti lumen longè copiosissimum, demonstrârunt. defectus verò, quos tempore nouitiatus sui habuisse videntur, non imitari, sed corrigere, quemadmodũ & ipsi in se correxerunt

In S. Thomæ Cãtuariensis exẽplo nõ dissimilis ratio est, nam ille in sanctorum numerum, præcipuè ratione persecutionis & martyrij pro Ecclesiastica immunitate fortiter perpessi, relatus est: itaq; si quos nævos ante illud habuit in auctoritatem exempli trahi ne queunt: certè quosdam & ipse paulò antè mortem, vt splendidum habitũ cum monastico, & lautã mensam cũ vulgari, magnumq; seruitorum numerũ cũ sex famulis, licet primarius esset regni Archiepiscopus, cõmutauit, eiicij

cilicij quoque continua asperitate, & quotidiana corporis vsque ad sanguinē non semel repetita diuerberatione, & in perfrigidum profluentem demersione afflixit, vt hoc melius ad profundendum pro Christo sanguinem se compararet. Atque hanc vitam duxit, postquam Deus eum potenti sua dextera in alterum virum, & verum athletam suum, posthabitis omnibus seculi vanitatibus, conuertit.

CAPVT VII.

Quomodo intelligenda sint exempla quædam, quibus inest mysterium, vel quæ speciali Dei instinctu accidêre.

IN Vitis Sanctorum illud quoquè non prætermittendum est, nonnullis eorum factis dictisue inesse aliquod mysterium, & ideò non ad cõsuetam normam communis vitæ Sanctorum cæterorum, sed ad peculiarem diuinę inspirationis, prouidētięq; particularis regulam esse expendenda. Act. 23. Quò pertinet, quod S. Paulus Principi Sacer-

Sacerdotum dixit: nec enim fuit maledictio, vel cõtumelia, sed prophetia: plenus siquidem spiritu sancto, inquit B. GREGORIVS, prædixit, qualis esset futurus. Nec enim dixit, *Percutiat te Deus*. sed: *Percutiet*. Prædicebat autẽ, vt annotauit Venerabilis Beda, Sacerdotium Israheliticum, quod tum erat instar parietis dealbati, & apparebat quale non erat, prædicatione Euangelij funditùs euertendum. Deinde congruebat, vt dicit S. Chrysostomus, Paulum in illo congressu eam dicendi libertatem & autoritatem ostendere, vt gentiles, qui præsentes aderant, non parui facerent Euangelij prædicationem. *libro 7. mor. c. 22.*

Dissensio inter B. Paulum & Barnabam non orta est ex animorum perturbatione, sed ex magna S. Barnabæ pietate, iudicantis non esse à sua societate auellendum Marcum consobrinum propter defectum, in quem ex humano metu inciderat. S. Paulus verò sanctissimo iustitiæ zelo accensus ad maiorem Dei gloriam ipsiusque Marci documentum, & aliorum, putauit separationem faciendam. Vbi di

uina

uina prouidentia factum est, vt Barnabas ob maius Ecclesiæ bonum iudicio B. Pauli non subscriberet, eo quod singulis cum comite suo digressis vberior fructus in conuersione animarũ erat secuturus. Nec aliud opus est respondere de Epiphanio & Chrysostomo: nam Epiphanius iudicabat condẽnãda scripta Origenis, Chrysostomus verò arbitrabatur id in sua diœcesi nõ faciendum, nisi antegresso examine. Vterq; autem grauibus mouebatur pro sua sententia rationibus. Interea Deus S. Epiphanio diuinitùs reuelat exilũ, mortẽq; S. Chrysostomi, & cõtrà S. Chrysostomo mortẽ S. Epiphanij. Quas reuelationes verbis antè prolatis sibi mutuò patefecerunt, quod facere salua caritate potuerunt, & salua veritate fecerunt, quia vtrumque euenit.

Responsa à prophetis facta impijs regibus Israhel, hoc continent mysterium. Sancti corde sic inhærebãt cælo, omnibusq; rebus mundi erant superiores, vt nullius reformidarent potentiam, nullos aucuparentur honores, vni peccato vitando intenti, & diui-

næ

næ promouendæ gloriæ. Hoc cor volebat Deus detegi agendo cum tyrannis, eorumque scelera sancta quadam libertate, mirabiliq; iustitiæ zelo coarguendo. Qua de re ita scribit B. GREGORIVS. *Sancti inquiens, si per se immensi rius rapti, in alto animum figunt: & quæque in hac vita patiuntur, quasi longè infra labentia, atque à se aliena conspiciunt, atque, vt ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, penè ipsa, quæ tolerant, ignorant. Vnde & nullis contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus autoritatem premunt.* Hinc nata sunt omnia prophetarum & Martyrum verba contra tyrannos prolata, non autem ex superbia, quia erant humillimi, non ex ira, quia mansuetissimi, non ex rancore, quia parati erant vitam pro illis profundere, sed ex Dei inspiratione, qui opera illorum volebat superbos huius mundi reprehendere, inuictumque robur Sanctorum suorum patefacere, quo fulti, ne fæminæ quidem tenellæ atrocissima eorum tormen- Lib. 7. t. 27. c. 22.

tormenta, mortemque ipsam pertimescebant.

Quæret hoc loco aliquis, cum verba huiusmodi geminum sensum habere queant, vt vel ex contemptu prolata putentur, quod est impatientiæ, vel elationis; vel ex zelo iustitiæ, quod est magni in Deum amoris: vnde cognosci possit ex bona radice profecta?

Cap. 23. Respondet eodem loco B. Gregorius. *Quod Zelo veritatis, non autem vitio elationis sancti viri ad verba tantæ altitudinis exiliant, ipsi patenter indicant, qui factis dictisq; alijs & quanta humilitate polleant & erga eos, quos redarguunt, quanta caritate feruant, manifestant. Quomodo enim Elias superbo regi Achab increpationis verba pertumorē intulit, qui ante eius curru humiliter cucurrit? Quomodo Elisæus loram filium Achab ex arrogantia confudit, dicens Quid mihi & tibi est Vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ: quomodo videre Naaman ex elatione noluit, dum nec ianuam aduenienti aperuit, qui non solùm se conspici, sed teneri etiam à muliere permisit? de qua scriptum est. Cum venisset ad vim-*

3 Reg. 18.

4. Reg. 3. & 5.

Du-

Dei in montẽ apprehendit pedes eius. & accessit Giezi vt amoueret eam. ait vir Dei, Dimitte eam: anima enim eius in amaritudine est. Quomodo S. Stephanus proferre increpationem, dum vocaret duros & incircuncisos corde, per elationem potuit: qui pro eisdem, quos increpauerat, ad deteriora crescẽtibus, se 4 Reg. 4. *que lapidantibus flexis genibus orauit, dicens. Domine ne statuas illis hoc peccatum?* Idem fecére martyres alij: nã pro carnificibus, tortoribusq; suis in ipsis cruciatibus Deum precabantur, vnde & multos eorum conuersos legimus. Quare liberiores eorum voces iactatæ in reges & præsides, non ex animi fastu, sed ex puro amore & zelo tuendæ veritatis procedebant. Nam vt dicit B. Gregorius ibidem. *Superbia odium generat, humilitas amorem.* l. 7. c. 29.

Veniamus nunc ad alia exempla, quæ in vitis sanctorum exstant, non ab omnibus imitanda, vt quæ ex singulari spiritus sancti instinctu facta sunt, vt quòd quidam in vastissimas solitudines se abdiderint, ab omnium hominum consuetudine disiuncti,

quod nudi in syluis oberrârint, solis herbarum radicibus victitârint, omni cibo potuque plures dies, hebdomadas, menses, integras Quadragesimas abstinuerint, stultos & quasi, emotæ mentis, vt Simeon Salus, se finxerint, & alia id genus egerint. Hęc, inquam, miranda potius quàm imitanda sunt. Imitanda siquidem nobis incumbunt ea exempla virtutum tantùm, in quibus omnes sancti vniformiter consenserunt. hæc enim sola, pro regula certa & secura piorum morum, vitæque sanctæ nobis Ecclesia proponit. Deprehendimus autem in Sanctorum historijs, quod communiter omnes amârint exercuerintq; paupertatem, opes abiecerint, & defugerint dignitates, honores, & nominis existimationem, omnes mansuetissimi fuerint in tolerandis iniurijs, & inimicis beneficio & amore deuincendis, quod admodum temperantes in cibo & potu fuerint, & magna ieiunia sustinuerint, commoda delitiasque carnis contempserint, ciliciis & flagris crebris, aliisque asperitatibus eam perdomuerint, sum-

mum

mum ſtudium curamque in cohibendis ſenſibus, maximè autem frenanda per ſilentium lingua posuerint, quod amantiſſimi diurnarum nocturnarumque precum, & contemplationum cæleſtium, otijoſores, laborum & tribulationum amatores, quod colloquia vana & inutilia deteſtati fuerint, ſummam autem voluptatem ceperint ex collationibus rerum diuinarum, quod aliorum proſperis ſucceſſibus ex animo gratulati fuerint, aduerſis verò compaſſi, omnemque operam locârint in remouẽdis vel certè mitigandis afflictorum ærumnis. quod libenter obſecuti fuerint maioribus, omnibus pedibus ſe ſubiecerint, & ab omnibus hominibus contemni & ludibrio haberi, ſalua Dei gloria, optârint. Hi mores, hæc exempla communia & ordinaria omnium ſanctorum fuêre: quæ ſi imitari conabimur, non dubium, quin imitaturi ſimus Chriſtum illorum omnium magiſtrum, ducem, & anteſignanum, participesq; vna cum ipſo Chriſto reddemur gloriæ, qua illi iam ſe-

curissimè & in omnem æternitatem perfruuntur.

CAPVT. XI.

De nonnullis medijs, quibus vinci potest difficultas quæ est in exercitio mortificationis.

MORTIFICATIONIS exercitia nulla ferè alia re impediuntur, quã difficultate, & afflictione, quam ipsa mortificatio secum affert. Nam cum virtus ipsa spinis difficultatum circumsepta sit, sedemque suam in loco sublimi collocârit, ad quam nisi multo labore & sudore peruenirì possit; mortificationis verò munerì incumbat laborem, & quicquid aduersum est, deuorare, & quasi onus omnis difficultatis ad capessendum virtutis culmen suis humeris perferre, idcircò in ipsa mortificatione magna est difficultas & afflictio. Primò liquidum & certum est, hominẽ ritè mortificatum in actionibus virtutum nullum experiri laborem vel difficultatẽ, imò potius promptitudinem & suauitatem

uitatem. Itaque difficultatem, de qua loquimur, tantùm sentiunt, qui primum aggrediuntur hoc exercitium, donec diuina gratia adiuti, omnes naturæ malè inclinatæ repugnantias viterint. Pro ea autem superanda media aliquot hic subijciemus. Primum est, magna animi submissione, & imbecillitatis confessione postulare in orationibus à Deo, voluntatem efficacem, viresque se mortificandi, atque hæc petitio semper inter primarias repetatur. Quamuis verò homo imbecillem agnoscere se debeat in omni virtutum studio, maximè tamen debet in exercitatione mortificationis, eò quod ob insitam naturæ corruptelam à nulla re magis abhorreat, quàm quæ infligit aliquam pœnam. Pro magno quoque beneficio & agnoscere & æstimare debet, quod sibi tam infirmo & ad mala procliui voluntas animusque concessus sit exercitium mortificationis tam vtile & pretiosum complectendi: ac proindè quoties desiderium mortificandi aliqua in re Deus menti iniecerit, continuò cum gratiarū actione opus ipsum aggredi, vt

dona sua semper cumulet maioribus.

Chrys. quod virtus à minimis inchoãda.

Aliud medium ad mortificationis studium prosequendum, & ad obtinendas à Deo vires, est, initium facere à minoribus & facilioribus, cuiusmodi sunt, oculos claudere ad res aspectu iucundas, linguam continere à proprijs laudibus, de consueto potu cibóue modicum detrahere, nonnihil æstus vel frigoris vltrò tolerare, aliaque similia, quæ colligi possunt ex ijs, quæ diximus de mortificatione propriæ voluntatis, passionum & sensuum. Mouere autem plurimum nos debet ad hoc studium non contemnendum, quod, vt supe. *Ma. l. 3. c. 4.* riùs ostendimus, mortificatio etiam in rebus paruis Deo sit gratissima. Deinde, quod omnis mortificatio præter Deũ facta, licet exigua, sit iusto meritoria, tantoque maioris meriti, quò promptiori voluntate, & alacriori facit, ita vt nonnunquam longè excedat mortificationem durissimam. Nam meriti essentialis magnitudo, cuius merces consistit in visione Dei, non operis magnitudini & difficultati, sed actuali caritati, bonæque voluntatis

tatis promptitudini, ac syncero desiderio Deo placendi, respondet. Magnitudini verò operis, & difficultati, vt tradit Sanctus THOMAS, respondet præmium accidentale, quod consistit, non in Dei visione, sed in gaudio quodam, quod omnes beati in cælo ex omnium creaturarum, bonorumque operum, quæ ipsi alijque iusti aliquando fecerunt, contemplatione, hauriunt. Verum quidem est, ipsam operis magnitudinem & difficultatem argumento esse, illum qui id præstat, ampliore amore actuali, desiderioque Deo placendi præstare, & consequenter promereri augustius præmium essentiale: conatus siquidem tentandi magis ardua, promptioris quoque voluntatis solet esse indicium: attamen diffitendum non est, sæpe tãta promptitudine, alacritate, & ardore animi minores mortificationes, aliaque externa opera leuiora subiri, vt longè superent meritum difficiliorũ, duriorumq; operũ: & verò tum certissimè id fit, quando à seruo Dei illa minuta exercitia eo animo suscipiuntur, vt si occasio daretur, aut vires suppeterent, aut facul-

tatem à superioribus, quibus parcere gitur, obtineret, reuera etiam aggredere retur grauiora.

Vbi verò initium factum fuerit à paruis mortificationibus, Deus sua gratia continuò præsto erit, vt & voluntatem accendat, & vires suppeditet atque occasiones offerat, maiora tentandi, vt benè docet Venerabilis Richardus Victorinus. Ac sanè dignū & iustum est, vt quoniam illud dæmonis institutum est, iustos antè in rebus leuibus & paruis inducere ad lapsum, quo iam nutantes & debilitatos postea in grauiorem ruinā impellat; sic contrà nos omnem laborem impendamus in mortificandis, vincendisq; nobismetipsis in rebus minoribus, vt aditū præcludamus dæmoni ne nos vincat in maioribus, Deusque vberem gratiam largiatur ad difficiliora etiam mortificationum genera suscipienda. Quare Cassianus agens de perturbationibus animi leuioribus, quibus nonnunquam monachi solitarij afficiuntur, vt dū succensent calamo, & litteras non exprimat, cultellō, si ma

k

lè secet, alijsque rebus creatis, si ad votum non seruiant, admonet eos, valdè conueniens esse huiu modi inordinatos motus, licet sint de rebus leuibus, refrenare & compescere: eo quod hoc vsu & consuetudine obtinetur, vt dum grauiores occasiones iræ aliarumúe passionum, velut dum iniuria vel contumelia ab alijs afficimur, sese offerũt, facilè nos colligamus, & mortificandi nostri causâ, diuina gratia opitulante, grauiora æquo animo, & corde tranquillo, perpetiamur.

CAPVT X.

De alijs medijs, quibus difficultas mortificationis vinci queat.

INTER media, quæ ad amplectendum mortificationis studium permouere possunt, principem locũ meritò sibi vendicat consideratio mysteriorum vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi: in ijs siquidem tanquam in speculo se prodit ineffabilis

Dei voluntas

voluntas & caritas, qua filius Dei se æterno Patri ad cruciatus & contumelias pro salute nostra perferendas obtulit: Apud Romanos, teste Valerio Maximo, mos receptus fuit, res præclarè ab Imperatoribus aliisque bellicis ducibus gestas mandare versibus, & cantare, vt adolescentes ad eas imitandas inflammarentur. Sic decantata fuit fortitudo Horatij Coclitis, qui solus pro salute patriæ cum manifesto vitæ discrimine aduersus Hetruscorum copias depugnauit. Sic robur Mutij Scæuolæ carmine celebratum, intrepidè in luculentum ignem manum inijcientis, vt Romam liberaret, & hosti terrorem incuteret. Sic audax & temerarium facinus Curtij, qui pro incolumitate populi armatus vna cum equo se in vastum fori Romani hiatum præcipitem egit. His exemplis Romana iuuentus incitabatur ad ardua quæque pro salute patriæ tentanda, vt immortalem inde aucuparētur apud homines gloriam. Publius Decius ea de causa, cum Latino bello Romanam aciem inclinatam videret, caput suum pro Reip. salute

Lib. 3. c. 2.

Li. 2. c. 3.

Valer. l. 3. c. 6.

salute deuouit, ac concitato equo in medium hostium agmen irruit, factaque ingenti strage corruit. Cuius exemplo commotus filius, vt idem Valerius refert, deuotione simili æquè strenua pugna consentaneo exitu labentes perditasque vrbis Romanæ vires correxit. Si ergò vnius hominis exemplum tantum valuit ad accendendos alios vt similia pericula vitæ, ingentesq; labores adirent, quantò amplius mouere nos debet exemplum Christi, cum homo exemplo non præbeat vires ad imitãdum imitatori suo, nec præmium largiatur pro afflictionis, quam tolerat, merito, at Christi exemplum vtrumque præstat, nam & gratiam subministrat ad imitandum, & labores suo nomine perpessos compensat æterna gloria. *Ibid.*

Quis non libenter & promptè, inquit B. Cyprianus, *calicem salutis accipiat, quis nõ appetat gaudibundus & lætus, vlt. ad in quo aliquid & ipse Domino suo retribuat? quis non pretiosã in conspectu Dei & fortiter & constanter mortem excipiat, complacituros eius oculis, qui* *Lib. 3. ep. Menes.*

nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retribuione pietatis paternæ remunerans in nobis, quicquid ipse præstitit, & honorans, quod ipse perfecit? Elephanti, vt est in
1 Mach. 6. diuina scriptura, conspectu sanguinis animantur ad pugnam: quin ergò animetur Christianus ad pugnam incundam contra se suasque passiones conspecto pretioso sanguine filij Dei pro se effusi? Certè exemplo Christi longè promptius sancti martyres diris simis se obiicere supplicijs, quàm vnquam Curtiorum, Deciorumue exemplo Romani: hi enim ex mera temeritate, & nimia famæ & existimationis cupiditate manus violentas sibi intulêre, & repentinum sibi procurauêre interitum, at martyres Christiani magna pace & hilaritate animi ad cruciatus diuturnos, acerbissimasque pœnas
Ruf. l. 8. c. 10. se obtulere, nō pro sua, sed Christi gloria. Phileas Episcopus sanctus, agens de martyribus, quos suis ipse oculis conspexerat sanguinem pro Christo profundere, Glorioſi, inquit, martyres mortem pro Christo oppetiêre, exclu-

so omni

so omni metu. & tamen tam atrocia erant tormẽta, vt verbis exprimi non queant, nec facilè quisquam credet tã dira fuisse, nisi qui præsens viderit. Verũ quid eos permouere poterat vt tã ta supplicia sustinerent cum gaudio? Respondet: quia oculos mentis continuò in Christum Dominum intentos habebant, qui cùm esset Deus, factus fuerit homo, & humiliârit se vsq; ad mortem crucis. Hoc Christi exemplum quod sanctos martyres commouit ad subeundum martyrium, mouit & cæteros Dei seruos ad assumendas voluntarias pœnas, & affectus suos mortificandos, ac nos quoque meritò mouere debet, vt cũ illis conformes fuerimus in passione, simus etiam socij in gloria & fælicitate æterna.

Iam verò & alia consideratione seruus Dei ad persequendum mortificationis studium non parum incitari potest: si nempè animo reputet, quanta homines huius sæculi incommoda sustineant pro caducis & temporalibus fortunæ bonis. Quid non facit famulus in gratiam sui principis, vt fauorẽ illius beneuolentiamque conciliet,

exiguumque salarium, quod minimum cum vita terminatur, obtineat? Quos non labores tolerat noctu diuque aperto capite ad nutū expectans, si quid imperare velit? quoties excipere auribus debet scommata, grauissimasque iniurias, quoties intempestiuas suscipere profectiones, cælo æstuoso, gelido, pluuio, cum iactura sanitatis & vitæ suæ, omniumque quæ annis multis incredibili sudore coacer uauit? Quas non molestias patitur agricola, vt frumenti aliquid cumulet ad sustentandam familiam? Multos menses frigoribus hibernis, solisque ardoribus vritur, solum proscindit, arat, seminat, occat; frumenta vbi maturuêre metit, in fasces colligit, in hôreum inuehit, excutit, purgat, denique sollicitus est ne casu aliquo fortuito totius anni labores pereant. Hoc exemplo B. Iacobus in epistola sua hortatus est fideles ad perferendas forti animo huius vitæ afflictiones & molestias. Iam quid non patiuntur nautę in mari, quid mercatores suas merces cum summo discrimine deportantes ad extremas Indias, aliasque regiones

remo-

remotas? Quot noctes humi sub dio transigunt, niuibus, & imbribus, grauibusque cæli iniurijs? quam malè conditis vescuntur cibis, quàm putida aqua sitim leuant? quot agitantur terroribus? Quoties pyratarum, latronum, naufragij, aliaq; discrimina subeunt? Has ærumnas & calamitates si homines sustinent pro viliſſimis huius mundi bonis, quæ vno momento instar florum campi euanescunt & marcescunt, ad pascendum corpus mortale, quod cras in puluerem redigetur: quantò æquius corporis passionumque suarum mortificationem aliquam sustinere debent, vt aliquando sempiternis fruantur regni cælestis bonis, ad pascendam animam suam, quæ nunquam morietur?

QVID verò iam dicemus de quibusdam cæcis huius mundi amatoribus, qui, vt importunæ cupiditati faciant satis, duriſſima quæque perferunt? iniuriam quis passus est, quid nō molitur vt vindicet? lorica ferrea se onerat, nocte somnū capere nequit, cibum

cibum nulla cum voluptate capit, irruit in apertum discrimen carceris, tormentorum, & mortis. Alius vt turpi & fædo amori pareat, facultates omnes dilapidat, noctes totas vigilat, stultis vnius vanissimæ mulieris iussis obtemperat, manifestis honoris & vitæ periculis se obijcit. Hæc si seruus Dei sedulò perpendat, quomodo non animabitur ad faciẽdum pro Dei amore, quod isti faciunt amore hominum, & rerum terrenarum? quomodo nõn libentius dura perferet ad præstandam voluntatẽ Dei id consulentis, quã suis cupiditatibus obsecũdet ad perficiẽdã voluntatẽ diaboli? cur nõ faciet pro vita, quod illi faciunt pro morte? Qua ratione negabit se posse aliquid tolerare pro pace, & gaudio spirituali animæ, gloriaque cælesti, cùm illi eadem tolerent pro condemnatione & cruciatibus æternis?

CAPVT. XI

De aliis mediis, quibus difficultas mortificationis vincitur.

CA-

Svnt alia tria media ad superandã mortificationis difficultatem nõ parum idonea, nempè odiũ sui, misericordia in proximos, & amor in Deum; in quorum mediorum tractatione, non omnia, sed id tãtùm, quod ad nostrum institutum attinet, persequemur. Primum enim seruus Dei dum considerat & in mentem reuocat anteactæ vitæ lapsus, eorumque radices cordi suo inhęrentes, sancto quodam odio exardescit in culpam, eiusque fontem. & quamuis non ignoret impulsore dæmone omnia facta, ac proximos sæpe peccandi occasionem prębuisse, tamen se solum culpabilem facit & reprehendit, eò quod diuina adiuuante gratia potuerit, si voluisset, omnes tentationes discutere, ac proinde primariam lapsuum suorum causam nullam aliam esse agnoscit, nisi propriam voluntatem: ac vt alij autores illi delinquendi fuissent, se non esse illorum, sed sui ipsius tantùm iudicem constitutum, quare nec iure reprehendere posse, nisi seipsum. Similiter, si qui ministeria vel officia illi deferre detrectent, vt cognati pietatem, famuli

muli vel liberi obedientiam, proximi caritatem & iustitiam, imò iniuria pulsam afficiant, & inde grauiter perturberur, doleat, contristetur, succensear, sibi soli culpam meroris, impatientiæ, iracundiæ & turbationis, non alijs adscribit. probè enim nouit sibi patientiæ virtutem voce diuina commendatam, nec vllum tempus esse quo diuina opitulante gratia eam habere non possit, ac proinde si ea careat, sua negligentia & incuria accidisse. Ex hoc autem sancto odio, quo seruus Dei lapsus suos, prauasque inclinationes detestatur, atq; ex iusto illo iudicio, quo contra se, non alios profert sentẽtiam, nascitur ingens desiderium, atque animus extirpandi prauas illas inclinationes, quæ causam labendi dedêre, & vindicãdi noxas, quas in se redarguit, ac proinde etiam se mortificandi. Id quod significauit Apostolus in altera epistola ad Corinthios his verbis. *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindi-*

2. Cor. 7.
& ibid.
Anselm.

ctam

tam in omnibus. Quod, inquit B. Anselmus, intelligendum est de indignatione sancta, qua homo propter delicta sibi indignatur, & de mortificationis pœna, qua in se illa castigat.

Aliud medium pro viribus ad expugnandam mortificationis asperitatem necessarijs nobis suppeditant opera misericordiæ exhibita proximis, vt dū famelicis cibus, nudis vestitus, ægris solatium, incarceratis auxilium, viduis & orphanis patrocinium contra oppressionem potentium subministratur, inter cætera enim præmia, quæ Deus in diuinis litteris promisit, hæc propter Deum facientibus, vnum est, quod diuino suo auxilio protecturus sit illos, ne facilè aut dæmonis tentationibus, aut perturbationibus animi succumbant. Sic enim habet Ecclesiasticus. *Elee* e.17.& 29.
mosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & per gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. Quorum verborum sensus est, sicut homo magnam curam gerit oculorū suorum, eò quod magni eos facit: sic Deus peculiari

cura

cura tuetur gratiam eorum, qui erogant eleemosynam in pauperes. Et infra addit. *Eleemosyna super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicũ tuum pugnabit.* quasi diceret: Sicut homo fortis scuto & lancea defendit infirmum & debilem; sic eleemosyna à Deo impetrat, vt nullus hostiũ visibilium vel inuisibilium homini misericordi nocere queat. Hanc vim eleemosynæ operũq; misericordiæ & ipse Dominus apud S. Lucam patefecit. nam cùm reprehendisset scribas & pharisæos, quod nimium operæ locarent in abluendis manibus & vasis, è quibus cibum potumuè capiebant, animæ expurgationem negligerent, à vitijs & flagitijs, mox remedium suggerit. *Date* inquiens, *eleemosynam, & omnia munda erunt vobis.* operibus enim misericordiæ Deum sibi conciliare poterant, vt daret gratiam pœnitentiam agendi, & donum iustificationis quo peccata eorum omnia expiarentur, obtinendi. Et quoniam Christus hic loquitur de perfecta mũditia, quæ est non solùm à peccatis lethalibus, sed etiam venialibus, & passionibus,

Luc. 11.

prop-

prorsus sequitur, eleemosynæ beneficio quoque à nobis obtineri donum mortificandi: quandoquidem via ordinaria non nisi per mortificationem carnis perueniatur ad perfectam puritatem cordis.

NEQ. verò tantùm corporalia misericordiæ opera, sed spiritualia etiam eandem vim sibi vendicant, vt rudes informare in doctrina Christiana, aliisque rebus ad salutem pertinentibus, consilium animæ salutare postulantibus subministrare, mœstos & afflictos consolari, peccantes corrigere, animos discordium conciliare, verbis exemplisque ad meliorem frugem improbos reuocare, incitare ad confessionẽ sacramentalem, & sacram communionem, seriamque vitæ superioris emendationem; ad conciones piasque exhortationes audiendas, quibus ad cultum diuinum accendantur: monere, vt patienter maleuolorũ iracundorũque hominum mores sustineant, vt pro omnibus hominibus Deum orẽt, pro iniustis quidem vt ex peccatis emergant & conuertantur; pro iustis verò, vt in virtute, Deique cultu indies

pro-

proficiant. Quamuis autem opera misericordiæ, quibus proximi corporis necessitatibus succurritur magnam vim & efficacitatem habeant ad auxilia obtinenda pro mortificationis exercitio, tamen ea quibus anima immediatè adiuuatur, habet longè maiorem. Nã vt docet Sanctus Thomas, in omnibus rebus creatis nihil est excellentius animæ salute, quæ cõsistit in clara Dei visione. itaque qui promouet hominem ad salutem illã, maiore beneficio illum afficit, quàm si vel infirmum sanaret, vel pauperem opibus locupletaret, vel etiam mortuum ad vitam reuocaret. Vnde Beatus Chrysostomus agẽs de eo qui proximum à lapsu in peccatum seruârat. Hæc, inquit, eleemosyna, nempe animæ facta, longè præstantior est eleemosyna facta corpori: imò, quod eo amplius est, anteferenda est toti huic corporeo mundo. Homo enim toto hoc mundo præstantior est, cum illius causa omnes mundi partes, cælum, elementa, quæque in ijs continentur, cõdita sint. Itaque qui laborat in hominis

Lib. 1. contragent. c. 33.

Orat. 4 in Iudæos.

minis alicuius peccatoris conuersione, præstantius opus aggreditur, quã qui immensum auri pondus in unũ pauperum effundit. Sic loquitur Chrysostomus. Vnde colligit B. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus, exponens, quàm stricta ratio in extremi iudicij die exigenda sit de operibus misericordiæ corporalibus, addit multo strictiorem accuratiorem quo reddendã de spiritualibus, ad salutẽ animę pertinentibus; sicut enim nobiliori remuneratione dignæ sunt si fiant: sic, maiori castigatione quando iustitia vel caritas postulat exhibenda, prętermittãtur. Sed & ipse B. Chrysostomus alibi docet nos per opera misericordiæ spiritualia, longè maiora à Deo dona & charismata posse consequi, quàm per corporalia: vt si animam vnam extrahimus ex peccatis nempe ob operis præstantiam multò efficaciora à Deo impetranda auxilia verã pœnitentiam de vitæ anteactę noxis agendi, ac deinceps gratia Dei accepta in virtutũ studio in dies accessione faciendã.

Lib. de humil.

Orat. contra Iudæos.

Postre-

Postremum medium, quod dicebamus prodesse ad leniendam mortificationis difficultatem, est amor Dei: nam, vt loquitur S. Augustinus, verus amor amaritudinem non sentit, sed dulcedinem in eo quod facit pro illo quem amat, laborem autem non sentit. Refert Bl. Theodoretus sanctas fœminas duas Maranam & Ciram, quas ipse Episcopus inuiserat, licet quondam locupletissimæ fuissent, & illecebris mundi innutritæ, tamen postquã diuini amoris igne accendi cœpêre, tam duram asperamque egisse pœnitentiã, vt dona dei isti illis magis admiranda fuerint. Nam corpora sua cilicio contecta tanto ferri pondere grauârant, quantum vix robustus homo ferre posset, ingentia frigora, solisque ardores perferebant, parum comedebant, & ieiunia in aliquot dies extrahebant, arctissimè in quadragesimũ vsque annum inclusæ, neminẽ erant allocutæ, nisi necessitas aliud postulasset. Enumeratis autẽ hisce mortificationibus addit: Tanto amore in Deum flagrant, dum assiduè sui sponsi cælestis bonitatem pulchritudinemque contem-

Lib. 13. confess.

In hist. religiosa.

templantur, vt tormenta & labores iã dictos, pro tormentis non habeant, sed pro materia incredibilium cordis voluptatum Poterat hoc loco & aliud adiungi non ignobile medium, Diffidentiæ sui, suarumque virium, sed de eo copiosiùs alibi egimus.

CAPVT. XII.

Epilogus & anacæphaleosis totius materiæ de mortificationis fructibus, & declaratio quanta sit hominis mortificati felicitas.

Vix exprimi potest verbis, ad quantam fælicitatem homo in hac vita pertingat, qui sedulò & seriò operam mortificationi dedit. Quid enim præstabilius homini contingere potest, quàm vt dum in hac carne mortali degit, viuat spiritu dùm in mundo versatur, non secundùm mundi spiritum viuat, sed secundum Dei spiritũ? Hoc caput & summa est virtutum omnium, exercitiorumque spiritalium, ab Apostolo Pau

Gal.5. lò crebrò commendata. Ad Galatas di cit. *Spiritu ambulate, & desideria carnit non perficietis.* Et rursum dicit. *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Ambulare spiritu, est in virtutibus progressum facere, ac in bonorum operum exercitatione, non ductum sequi inclinationum, passionumque naturalium, sed spiritus diuini lumen, roburque fidei & Christi gratiam. Vnusquisque enim in ijs operibus exercere se debet, quæ congruunt cum vita, quam profitetur: cum ergò homo Christianus per baptismum sit renatus, & per pœnitentiam reuocatus ad vitam spiritualem, tenetur etiam operari conuenienter tali vitę, in omnibus diuinæ voluntati, legique à spiritu sancto cordi nostro impressæ obsequendo; quod faciet, si omnia opera sua purâ rectaque intentione faciat, ad maiorē scilicet Dei gloriam, si in viâ cæli semper cum maiori ardore & fructu spirituali decurrere conetur, ac denique in studium mortificationis sui cōtinuò sit intentus. Quemadmodū enim homo moriendo peccato, per pœnitentiam obtinet vitam gratiæ; sic gra-

grauis inclinationibus moriendo per mortificationem obtinet gratiæ incrementum.

Cuique autem inclinationi, quam homo mortificat, respondet vnus gradus nouæ vitæ spiritus, roburque crescit secũdum operationem illi congruentem. Sicut enim vitis, quæ radices viuas egit in terra, idcirco amputatur, vt in plures pampinos se diffundat, pulchrioremque & vberiorem fructũ ferat: sic iustus, dum viuit vita gratiæ, idcirco mortificationis falce cupiditates inordinatas amputat, vt fructus ac gratiores in oculis Dei, & vberiores aliquando producat. Quoq; vita interna iusti mortificationis opera amplius augescit, latiusque se diffundit in opera bona facta cum spiritu, hoc in omnem æternitatem gloriosior erit & cumulationibus fælicitatis donis abũdabit, vitæ nempè Christi simillima. Hęc doctrina & institutio est B. Pauli Apostoli: sic enim loquitur in epistola ad Colossenses. *Si ergo surrexistis cũ Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite, non quæ supra* Colos. 3.

per terrã. quasi dicat: Cum vobis suppetat vita gratiæ, secundùm quam spiritualiter estis resuscitati, præstate opera illi vitæ congruentia, amplectendo cælestia, deserendo terrena, nec sinite vos duci affectibus huius mundi, sed spiritu Christi in cælo regnantis. Deinde mox Apostolus quibus medijs ista vita obtineatur, eiusque fructus, subiungit: *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Sensus est. Mortui estis peccato, quia horretis illud: & mundo, eiusque pompis, quia illas contemnitis: & cupiditatibus terrenis, quia eas mortificastis. vnde consequẽs est, vos agere vitam spiritualem, quę occulta latet in intimis cordis penetralibus, secundùm mundanorum iudicium, sicut secundùm eorundem iudicium iã latet vita Christi in cælo regnantis & ad dexteram patris considentis. Quando autem Christus ad vniuersale iudicium venturus est, & toti mundo se spectandum præbiturus, tunc etiam vita vestra iam amatoribus mundi ignota

nota patefiet toti mũdo, quia in ſocie tate Chriſti eritis glorioſiſimi & quaſi cũ eo renati.

O fœlix mortificatio, quæ tã nobilem fructum tum in altera vita habet, beatitudinis animæ & corporis ſempiternæ, tum in præſenti vitæ ſpiritalis, qua anima viuit per gratiam, & viuunt bona omnia cum ſpiritu vitæ perfecta. Atque hinc omnes alij diuini mortificationis fructus à nobis declarati dimanant; vt, quod per illam magna parte naturam noſtram ſanemus, lucem quandam rerum diuinarum cognoſcendarum accipiamus, ſolatium item & gaudium ſpirituale in tribulationibus & ærũmis, expugnationem carnis ſub ſpiritu, & contra paſſiones tentationeſq; victoriam, facilitatem & ſuauitatem in bonis operibus, efficaciã ad purè contẽplãdũ, robur cõtra humanos terrores, ac pacẽ & ſerenitatẽ ſpiritualẽ. Hac homola tisfacit pro peccatis prætetitis, & liberat ſe à futuris, in quæ labi poterat. Hac irã refrænat, cõcupiſcentiã extinguit, & verũ imitatorẽ Chriſti ſe efficit. Illa bonũ exemplum prębet proxi-

mo, fit manſuetus, benignus, & moribus ſuauis. nam, vt bene notauit Ludouicus Bloſius, ſeruus Dei mortificatus eſt ſimilis botro vitis maturo, pulchro, & ad guſtatum ſuaui; non mortificatus verò botro immaturo, duro & acerbo. Denique hoc ſancto mortificationis exercitio homo obtinet culmen perfectionis virtutum, & velut homo perfectus & omni virtute inſtructus vtiliſſimus eſt Chriſti Eccleſiæ, oculisque Dei gratiſſimus, vt dicit venerabilis Beda.

In inſtit. cap. 6. 2.

Gen. c. 32.

FINIS.

Lib. Coll. Soc. Jesu Paderborn. 2 160.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
4473
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN